Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Jacob Duerrfeld

# Perseverantia Sanctorum Christiana : Qua Doctrina De Stabilitate Sanctorum In Fide; item de aeterna Dei Praedestinatione & Reprobatione, deq[ue] Foederali gratia, conversione, & Libero Arbitrio sobrie enucleatur: ac Ludovici Crocii theolog. Brem. Libri VII. de Perseverantia Sanctorum, dogmatici & Apologetici, ...


Rostochi[i]: Rostochi[i]: Hallervordius: Pedanus, 1625

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0001
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0003
DFG

F. g – 3765 1.2

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0004
DFG

PERSEVERANTIA
# SANCTORUM
CHRISTIANA:

Qua

# DOCTRINA DE STABILITATE SANCTORUM IN FIDE;

item de æterna DEI Prædestinatione & Reprobatione, deq; Fœderali gratia, conversione, & Libero Arbitrio sobriè enucleatur: ac Ludovici Crocij theolog. Brem. Libri VII. de Perseverantia Sanctorum, dogmatici & Apologetici, tam contra Augustanæ Conf. ψηφίας Assertores, quam P. Bertium directi, solidè, quantum nos impugnant, confutantur, & inprimis *scripturæ loca* vindicantur.

*Cum præmissâ Præfatione, adversus Cr[illegible] Apologeticâ, quâ* Calvinianor[illegible] Augustana Confessione *ess[illegible]* cis Actis, *demonstr[illegible]*

ADORNATI

*à*

M. JACOBO DURFELDIO
Osnaburg. Guestph.

---

ROSTOCHI
*Typis exscripsit Jo: Pedanus, Acad. Typ. sumptus faciente Johanne Hallervordio, An. 1625.*

ΖΩΗ ΒΙΟΤΟΣ ΜΕΛΗ ΚΑΛΟΙΣ
Rost. 1625. 10 Febr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0005
DFG

*VIRIS MAGNIFICIS. AMPLISSIMIS, Consultissimis,*

Dn. THEODORO BUSSIO, J. U. D.
& Serenissimi Danorum Regis, & Celsiss. Illmiq; Principis ac Domini, Dn. FRIDERICI Ducis Holsatiæ per Holsatiam &c. Cancellario provinciali eminentissimo:

Dn. MARTINO CHEMNITIO, J. U. D.
& prædicti Holsatiæ &c. Ducis Cancellario aulico gravissimo:

Dn. JOHANNI Overbech / J. U. D.
& Celsissimo Illustrissimoq; Principi ac Domino, Dn. ADOLPHO FRIDERICO, Duci Megapolensi &c. â consiliis intimis:

Dn. THOMÆ LINDEMANNO, J. U. D.
ejusdemq; in alma Rosarum Antecessori celeberrimo, inclytæq; Reip. Rostochiensis Syndico dignissimo, fidelissimo.

*Dominis Patronis & promotoribus meis omnî observantiæ cultu prosequendis*

D. I. C. O.

MAgnifici, amplissimi & consultissimi viri, patroni omni observantiæ cultu prosequendi: *Cum*, Crœsus *Lydorum Rex olim splendidam*

dam legationem Delphos misisset, sciscitatum, num bellum contra Cyrum susciperet, aut à proposito desistere debeat: oraculum quidem perpulchram & auream recitavit sententiam, licet ambiguam, ita reboans: γνῶθι σεαυτὸν. Ambiguam quidem; quoniam Crœsus categoricum urgebat responsum, certumq; consilium: quod Apollo, vel potius Satanas non dabat, nec ejus erat dare; adeoq; ζητούντα sua dubia non eximebat, sed potius augebat. Perpulchram verò & auream, si rectè adhibeamus. Nam homo renatus in statu triplici *in terris consideratur.* Primus *est integritatis in Adamo* ἀναμαρτήτῳ, *quo donis longè excellentissimis intus & foris fuit munitus & ornatus, juxta quæ illum suam substantiam, & actiones exigere decuisset: ut semper, more sanctorum & immaculatorum angelorum, innocens perstitisset, ijsq; ad Dei gloriam & suum commodum usus fuisset. Quod si fecisset, nec incredulus & inobediens Deo conditori factus esset, nec pœnas sibi attraxisset.* In altero statu, *qui est peccati & destitutionis imaginis divinæ Rom. 3. v. 23. c. 5. v. 17.* τὸ γνῶθι σεαυτὸν, *ad suam imperfectionẽ & peccatum agnoscendum repetere debebat: modestiam & justitiam, saltem in foro civili & externo (ob quam qualitercunq; servatam quidam*

gentiles celebrantur) exercere: quin ex naturali cognitione, ceu ruderibus imaginis divinæ adhuc residuis, Ecclesiam & verum Deum quærere, Rom. 1. & 2. Denig; in statu reparationis itidem suam imperfectionem & proclivitatem ad peccandum ab oculos subinde prponere debet, ac quid in sese sit, quidq; ex gratia Dei, ac quomodo illâ abuti & privari possit, contentè expendere.

*In* primo *quidem* statu *illud suum officium plenè & strenuè faciebat, usq; dum à Satana decipiebatur. In* altero *verò hoc vel nemo, vel pauci tantum fecerunt. Quinimò tunc quoq; non minus requirebatur, ut in lege, æterna justitiæ divinæ norma, immaculatus viveret homo: verum non noverat illam justitiam, non noverat seipsum & naturæ suæ depravationem, tantum aberat, ut legẽ servaret. Tristissimis verbis scriptura illam servitutem deplorat, quum hominem intellectu excœcatum, justitiæ mortuum, ac peccato eum vivere testatur: esse eum aversum: possidere cor insipiens, saxeum, superbum, cujus figmentum omne omni die, tantum sit malum. Et licet post lapsum quosdam, ceu igniculos ac rudera pristinarum divitiarũ & rectitudinis primævæ retineat homo, non tamen illis sese convertere ac legi conformis vivere potest; imò ne quide*

dem ÿ, qui sunt extra Ecclesiam, ad quærendum Deum illis utuntur, nisi vix è millibus unus fortassis: cui magnalia Dei ex fama vel concione, piorum hominum innotescunt. Et quamvis rudera ista imaginis tanta adhuc sint, ut non levẽ multi de Deo cognitionem habuerint, eumq; esse colendum, justitiamq; homini exercendam scíverint: ea tamen in foro justitiæ interioris considerata, sunt revera aut nulla, aut languida, aut manca & imperfecta, ut Theologus ille incomparabilis, Martinus Chẽnitius loquebatur. Quis n. sit Deus in essentia & volũtate sua, ac quomodo velit à nobis adorari & coli, prorsus ignorarunt. Unde prodigiosum πλυθείας figmentũ fuit exortum, tantaq; adeò confusio cultus invaluit, ut quidvis pro Deo & quoquo impio colendi modo prosequerentur. Expendamus vel unicum exemplum. Athenienses absq; dubio in toto imperio Romano habebantur sapientia & cognitione omnium peritißimi & clarißimi, tanquam qui in nobilißima orbis terrarum sapientiæ officina quotidiè exercebantur: qui tamen aram suam, ἀγνώστω θεῶ, h. e. ignoto Deo, inscripserant: quod Deum, quem adorabant & colebant, ignorarent. Cum etiam paulò post diluvium pœnæ divinæ exemplum horrendũ in omnium memoria adhuc

versaretur, non tamen manserunt posteri Noachi in doctrina patriarcharum constantes: sed confusionem linguarum incredibilis confusio rerum & cimmeria doctrinæ cœlestis excepit obscuratio: quæ tanta quoq; in rebus historicis fuit, ut in ætatibus subsequentibus nec mundi ortum, nec veram veri diluvij historiam, nec patres suos & mundi divisionem amplius noverint. Sic cupiditatibus suis per duo annorum millia dimissi, cum magna Dei misericordia per Christum & Apostolos rursum colligendi essent, & sol justitiæ exoriretur, Evangelium non tantum multi contemserunt, verum ut stultitiam Græcorum sapientissimi rejecerunt; imò ut dogma nefarium, imperioq; Romano & regnis alijs intolerabile, ferro, aqua, igni persecuti sunt. Manet proinde quod homines plus tenebras, quam veritatis lucem diligant, nec quicquam in rebus divinis ex sese valeant. Deploranda est insuper gentilium cœcitas, qua justo Dei judicio, verbi contemptum comitante, alij summam hominis libertatem seminaq; virtutum, quæ nobiscum nata sint, extulerunt, quale fuit τὸ αὐτεξούσιον Platonicorum & Philosophorum ἐφ' ἡμῖν. Explodenda est Epicuræorum securitas & Academicorum Scepticorumq; dubitationes, qui nihil certi definiverunt,

sed

sed omnia in suspenso reliquerunt. Procul hinc procul inde abarcenda sunt Zenonis & Stoæ placita, quæ omnium rerum absolutam necessitatem induxerunt, omniaq; Fato evenire finxerunt, omnemq; rerum contingentiam sustulerunt. Quibus Poëticæ Parcarum Tabulæ succenturiantur, præsertim apud Vergilium & Homerum, licet sibi in hac re dissimilem & inconstantem. Porro ex Platonis schola phrases quædam, libertati arbitrij nimis faventes, in Ecclesiam invectæ sunt: ex quibus tandem Pelagianismus, fœtus sanè pessimus, suppullulavit. Quem nondū enectū, sed in Pontificijs, licet variè dissimulantibus, adhuc vivere deprehendimus. Contra verò ex fati tyrannide & Stoica necessitate postmodum, justo Dei judicio, Valentinianorū, Manichæorum & Coddianorum monstrum, de triplici hominum genere & materia, prodijt: qua alios ita puros esse creatos finxerunt, ut nequeant amplius peccare, alios verò mediæ naturæ; alios denique terreos & malos: ut planè regenerari & quicquam spiritus admittere nequeant. Ex utroq; vel fluxit vel illi certè quam similimū est Calvinianum dogma de absolutè electis & reprobatis; indeq; prodiente illorum irresistibili & fatali conversione, fide, perseverantia ac bonis operibus: qui ita regan-

tur, ut nunquam studeant peccato, sed semper regeniti maneant. horum verò infidelitate & malitia, quæ non debeat tolli, quod Deus illorum ad vitam dandam non sit misertus, nec Christus, nec fides in ipsum, nec dona spiritus illis salvificè debuerint dari. In his omnibus igitur nondum considerat homo illud γνῶθι σεαυτὸν. Ac quia seipse suis viribus non convertere, nec currere ad cœlum potest: sed omnia sunt miserentis & trahentis Dei, non absoluta voluntate & viribus, sed ordinata, mediis certis inclusa, & ad voluntatem hominis relata & respectum habente, trahit: Ideò Dei isti potentiæ homo resistere Act. 7. Spiritum S. contristare Eph. 4. & rebellare ei Esa. 61. ac spernere consilium ejus potest Luc. 7. Hinc non nisi in illis, qui non ponunt obicem, verbum Dei, potentia illa Dei ad conversionem omni credenti, finem suum obtinet; hominem mortuum vivificat, cor saxeum emollit, in carneum convertit, & novum creat. Denique quanquam Deus, quod suum est, indesinenter & immutabiliter facit, tn. multa infirmitas adhuc renato adhæret: Experitur n. hostes duum generũ: internos & externos: interni sunt caro & ejus concupiscentiæ variæ & infinitæ, non tenues sanè & imbecillæ, sed ἐνοχλοῦσαι & hominem quandoq; captivum sibi redden-

reddentes; præsertim si ab externis hostibus, quæ sunt Satanas & mundus, vires & suppetiæ illis summittantur. Ille enim quotidiè, imò singulis momentis, ut leo rugiens ad devorandum pios, obambulat, atq; menti intus malas cogitationes ac consilia suggerit, voluntatemq; ut exsequatur ea, solicitat, & externa membra & sensus, quantum potest, incitat, inescat. Hic verò tam rebus bonis & delectabilibus, per se quidem licitis, quam malis & illicitis, nos tentat; originalis radicis ἐνοχλούσας & seditiosæ vires roborat & ad superandum spiritum vehementer instigat. Ac propterea semper scriptura renatos vigilare jubet, atq; in filiali timore, tremore & cura, ne excidamus, salutem operari hortatur. Quare immoti Israelis fontibus, solatij plenissimis, sanisq; nostris confessionibus & symbolis, medullam scripturæ nobis exhibentibus, adhæreamus. Quod facientes tuta ingrediemur via; nec vel in Fati Tyrannidem, vel Platonicorum, Pelagianorum, & Epicuræorum præcipitia incidemus. Quod ut in hoc libro, pro modulo, præstarem, non tantum Antagonistæ argumenta incidere, sed etiam quorsum faciant, & quomodo ijs ad confirmandos & consolandos piorum animos uti possimus, ostendere volui. Atq; omninò id spectavi, ut fi-

lialem perseverantiam, quæ ex fide fluit, explicarem: quæ longè tam à securitate, fide ac perseverantia fatali & Stoica, quam à dubitatione, timore ac tremore servili distat: quæq; non filiali timori & tremori, sed necessitati irresistibili, securitati & elationi opponitur. Quare si cautè hanc veritatis viam calcaturi sumus, undiquaq; muniti & certi esse poterimus.

Cæterum: cum de Patronis cogitarem, quibus hasce chartas, cum debita reverentia & observantia inscriberem & offerrem: non potui non vestras Magnificas & Amplissimas dignitates accedere, illisq; humiliter eas offerre; idq; non unam ob causam. Cum n. scriptum adversarius suum Celsissimo Holsatiæ duci, felicissimæ recordationis, inscripserit, ejusq; Celsitudini, licet irrito per Dei gratiam effectu, quævis persuadere conatus fuerit: ego hanc responsionem vobis, viri Magnifici, offerendam esse duxi: ut vestra authoritate tutior eat, & lux veritatis illis, qui fortassis ex Antagonistæ labyrinthis non tam facilè explicare sese ubivis noverūt, illucescat, & nebulæ obortæ à claritate solis & calore dissipentur. Quòd nō invitos vos esse facturos nullus dubitabo, sed certò ob pietatē mihi promittam. Altera causa est communis omnibus ac singulis, viri

magni-

Magnifici, Amplissimi, Consultissimi, *quod singulari ὀρθοδοξίας amore & zelo flagratis, quem à patribus vestris, Germaniæ nostræ magnis Theologis & Politicis viris, ad vos transmissum, acriter conservatis, augetis, eoq; Ecclesiam nutritis, plantatis: Ideoq; de laude sanctorum hominum, qui parentum pietatem in scriptura æmulati esse dicuntur, vos quoq; participatis. Accedit illid deniq;, quod cum quibusdam vestrûm, mihi patria communis, musis præ multis chara, nunc autem sub marte (cujus tota vis in VVestphaliam translata est) triste gemens, obtigerit.*

*Accipite ergo, rogo humiliter, animo sincero & hilari hunc libellum, vestroq; patrocinio, contra Theoninos dentes defendite, meq; vestra gratia fovere non dedignamini. Deus ille unus misericordiarum Pater & Pacis Autor, tandem Christianis regnis atq; inprimis nationi Germanicæ populisq; adhærentibus ei, pacem restituere, & Ecclesiæ suæ Halcyonia rursus optata largiri velit: idemq; vestris,* Magnifici, Amplissimi & Consultissimi viri, *consiliis, votis, actionibus & fortunis omnibus, suo spiritu sapientiæ, sua directione divina & larga benedictione perpetim adesse velit: ut hic regnis, ducatibus, urbibus, Academiæ justi & sancti præesse, & deniq; privatis*

*tis prodesse posſitis: & tandem in altera vita*, *ceu* intelligentes, ut ſplendor firmamenti & *ceu* erudientes ad juſtitiam (*quod* primò *illos concernit, qui cum zelo pio docent, paſtores,* & cõſequenter *quotquot Eccleſiarũ ſunt nutritij & Patroni, atq; id ſpectãt, ut curſus verbi per miniſtros verbi ſit felix & non impeditus, quiq; ſuo proprio exemplo multos ad pietatem erudiunt,* & *deniq; juſtitiam civilem in Republica ex fide procurant*) multos, tanquam ſtellæ in ſeculum & in æternum. *Sic enim qui hîc alijs eruditione, pietate & honore præluxiſtis, apud Deum, qui unicuiq; fidelium gradum gloriæ ſuum in vita æterna, ſecundum opera ex fide facta diſtribuet, præ multis etiam gloria & honos æternus vòs manebit.* Amen *Domine Jeſu Amen! Dabam Roſtochij è muſæo meo die XIII. Julij, qui eſt Margaretæ ſacer, Anno: PaCIs præsIDIVM JVVet JehoVa!*

V. Magnificas & Ampliſsimas Dignitates humiliter & obſervanter colens

JAC. DURFELD.
Oſn. Weſtph.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0016
DFG

*Præstantißimo & Literatißimo*
*Viro,*

# DN. M: JACOBO DURFELDIO,

S. D.

GRatum, DURFELDI, vir Præstantißime,
JOVÆ
Officium præstas, gratum multisq; laborem:
Dum, quæ doctrinæ veræ contraria sparsit
CROCIUS, ipse sibi plaudens, doctâ arte refutas.
Est solida hæc laus una Viri, si pectus honesti
Flagret amore pium, & sinceræ Relligionis:
Quale tibi rutilat, DURFELDI: nec tua fallet
Te virtus: dabit ista tibi præclara corollas,
Tum te posteritas celebrabit: si qua futura est,
Quæ sit amans JOVÆ unius, studiosaq; Veri.

JOANNES SIMONIUS
Khet. in Acad. Rostoch. P. P.
& Facultatis Philosophicæ
h. t. Senior.

Est

*Est ita, vera doces DURFELDI, & falsa refutas,*
*quæ duo doctoris munera dico boni.*
*Sunt multi, quibus hæc meditatio sacra probatur,*
*forsan erunt, quibus hæc scriptio displiceat.*
*Ne cures, sortem hanc sancti sensêre Prophetæ,*
*& Christi tecum cœtus Apostolicus.*
*Pugnandum est his salvifico pro nomine Jesu,*
*cœlitus arma quibus contulit apta Deus.*
*Urge propositum, miles fortissime Christi,*
*sic te justitiæ vera corona manet.*

M. Johannes Goldstein.
ad D. Nicol. Pastor & ministerij Senior.



*Erra-*

ERrata, quæ hinc inde irrepserunt, B. L. Sic restituere dignetur. Lit. B. 2. lin 4. l. infarcit. B. 7 b. lin. 4. à fine l. genus C. 2. l penult. occisus. C. 3. l. 5. à fine l. tantum lit. D. lin. 1. urgent. D. 5 b lin 4. dele, ut. lit. E. 3. lin 7. l. pro. lin. eadem, agnoscant. Pag. 1. lin. 6 à fine, incrustentur. p. 2 l. 8. à fine, redi. p. 8 l. 2. hæc. p. 16. l. 11. ante sentiens, insere, ita l. 3. à fine, fide justificãte, insciue & impiè. p. 17 l. 7 queunt. p. 21 l. 8 à fine, post qua insere, in. p. 30. l. 13. concederet. p. 34 l. 4. confirmat. p 6. l. 7. evadunt, lin. penult. delitescat p. 63. l. 12 consecuturos. l. 6. à fine pro non l eos p. 67 l. 4. à fine l. symboli. p. 57. l. 4. à fine, detonat. p. 83. l. 16. l. homini & lin. 3. insere, sentit. p 96. l. 4. instituros p 103. l 4. illis. l. 7. acturum. p 117. l. 5. à fine, eandem. p. 119. l. 6. d et. p. 121 l. 4. à fine, individuis p. 135. l 7. desudat p. 138. l. 10. post causis insere, veris &. p. 143. l 9 2. Tim. 1. p. 154. l. 17. Mi, transpone ad lin. 19. & lin. 18. verba, (Gen. 12.) ad lin. 20. lin. 19. d. cujus p. 156. l. 10. nos. lin. 4. à fine ἐπαίνους. p. 175. l. 14. eundem p. 161 l 1. d. & p. 164. l. 15 pro mœchi l. molles. p. 166. l. 7. à fine inser. enim, p. 171. l 19 ullius. p. 174. l. 15 potes. p. 176. l 10 scripturam, l. eadem, inter. p. 80 l. 13. c. 10. p. 197. l 21. pro nos l. eos p. 20. 17. pro Esa. l Ps. p. 202. l. 3. à fine, ultra. p. 212. lin. 7. à fine particulam p. 230. l. 3. post possint, insere, peccatores. p. 242. l 13. capite 5 p. 286. l. 10. impediat p. 288. l. 5. velit p. 298. l. pen. possit. p. 299. l. 21 post continetur insere pius p. 317. l 9. eligi. p. 349. l 9. defecit. lin. 10 facere. l 11. faciunt. p. 367. l. 12 cassa. ibid. ante qua insere, sed. l. ult defecerant. p. 369. l. 11. pro anre l. antea. p. 371. l. 1. accedit p. 381.

l 6. à

l. 6. à fine d. posterius isti. p 400 l. 4. בעתו 384. l. 1. Hi lin. 10. d. &. p. 394. l. 3. à fine, malignus. p. 391. l. 6. pro an l. at. p 404 l. 4. à fine, ante esse insere, non p. 410. l. 14. vacarit. p. 517. l. 17. novitates. p. 439. l. 3. virum. p. 443. l. 15. gustet. p. 478. l. 4. à fine l. externa confessio in afflictis. p. 469. l. 3 quæ. lin. 5. historicam. p. 474. l. 10. à fine, qui. p. seq. l. 1. d. qui p. 477. l. 17. historicæ. p. 479. l. 17. ἐξηκας. p. 480. l. 9. insere, in p. 482. l. 17. pro 1. Tim. l. loco. p. 493. l. 20. pro nos l. in nobis. p. 508. l. 5. à fine, possumus. p. 515. l. ult. prædestinationem p. 518. l. pen. pro sic l. falso. & ibid. inquit p 519. l. 10. insere, enim p 520. l. 18 pro de l. in. p. 534. l 10 inser. illis esset. p 555 l. 13. deficere. p 569. l. 6. præmittit. p 571. l. 1. decidit. p 590. l. 1. pro & l est. lin. 20. quædam quæ transposita sunt, insere p. seq l. 9 p. 596. l 15 pro & l. v. p. 600. lin. 1. post verbum insere, est verbum. p. 602. l. 2. nolentes. p. 608. pen. vocant. p. 611. l 21. scripturæ, p 614. l. 2. insere, sancti. p. 616. l. 17. invalescerent. p. 622. l. 17. d. in. p 624. l. 5. d. idem. l 12. Pontificio. p. 631. l 5. argumentantis p. 638. l 2. oportunitatem p. seq l. pro nos l. non. p. 640. l. insere 3. l. 14 quæ p. 631 l 4. à fine, ulterius. Reliqua candidus L. per se corriget.

*Cum Crocio Momis & Maledicis ex l. 5. de Persev. p. 551. ita respondemus, scribente:* Verum omnes sophisticæ numeros implere videris voluisse, adquos etiam pertinet, adversarium adducere, ut solœcismum committat. *Neq; enim errata typographica sunt soloecismi.*

(o)

# Ad Benevolum et Candidum Lectorem Præfatio, adversus Crocianam, Apologetica.

Gravissima est Spiritus Sancti adhortatio Zach. 8. v. 19. Veritatem (tantùm) & pacem diligite. Et illa Apostoli 2. Tim. 2. v. 24. Servum Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos v. 25. cum mansuetudine erudientem eos qui obsistunt, si quando det illis Dominus pœnitentiam: ad agnoscendam veritatem v. 26. & sobrij reddantur è diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius voluntatem; *gravissima, inquam, est. Nam ejusmodi homines, juxta præceptum Apostoli, verè diligunt proximum suum, ducuntur à Spiritu Sancto, cujus fructus est inter cæteras virtutes sancta veritas, pax conscientiæ & pax civilis; student inservire Christo & Ecclesiæ, qua laude quæ major? qui fructus dulciores cogitari possunt? Non solum autem pacem commendat nobis, sed quoq; veritatem. Nam pax sine veritate est mendacium.*

est maligna contra Dominum conspiratio: itaq; servanda pax est, sed non contra Deum, colenda amicitia, sed non cum his, qui Dominum oderunt: qualis erat Josophati cum Achabo 2 Paralipp. 19. v. 2. Colamus quidem pacem cum adversarijs, verùm usq; ad aram; non ultra. Si enim cum inimicis Domini jungemus dexteras amicitiæ & pacis, obijt Christi prodemus: si tacuerimus, irrepente lupo sub pelle ovili pacis, pietatis hypocriticæ & sanctam se simulantis doctrinæ; non pastores & fidi servi, sed mercenarij & canes muti à Spiritu S. perhibebimur.

Utinam istud considerarent illi, qui nonaginta jam annis & ultra, nobis concordiæ, non Veræ, sed fucatæ, porrexerunt manus, ac fraternitatem in Christo, nobiscum ineundam & colendam petierunt; subq; Protestantium phrasibus, simulata fraternitate & religionis consensu, qua toto à nobis distant cœlo, ficte, sese occultarunt; subq; Augustanæ Confessionis & Lutheri amplo nomine sua zizania, pessima illa animarum venena, disseminarunt! Verùm μυελοτέχνης ille Stygius, qui sese in mille formas transmutare, & habitus mentiri consuevit, mille nocendi artes nobit, non tantùm in alijs hæreticis & perversis hominibus, sed etiam in Calvinianis, missa nigredine, in angelum lucis & pacis, egregiè transformare se nobit. Hujus farinæ homo est Ludovicus Crocius, Pastor & Professor Bremensis, qui antehac, edito scripto, simulat, se à nobis tribus tantùm quæstionibus, ijsq; magis eruditorum pulpita, quam populi cœtus concernentibus, distare in fidei clamat non à Zvvinglianis & Calvinianis impediri aut turbari pacem, verùm à nostris.

Dolo-

*Dolosæ autem sunt querelæ* Crocij in præfatione sua ad Illustriss. Hollatiæ Ducem *p. 2. dicentis*: Omnium vero maximè hæc mala (*Germaniæ*) exasperat fatalis illa Protestantium (*quorum nomini Calvinianos infracit*) dissensio, ex quâ tanquam ex fonte promanant immanes invectivæ, criminationes, sycophantiæ, contumeliosæ contiones, scriptiones, colloquia, famosi libelli, etiam civili jure vetiti, quibus contra omne jus & fas traducitur innocentium virorum doctrina, tanquam Judaicâ, Turcicâ, gentili, imò diabolica profanitate, superstitione, aut mendaciloquentiâ vanior, nequior, & magis blasphema.

*At verò*, Croci, *quis est harum author calamitatum, pugnarum, dissensionis? Lutherus aut Lutherani? Minimè: sed primus est* Andreas Carlstadius, *teste* Sleidano, *historico Cæsareis privilegijs munito & fide probato, lib. 3. p. 42. qui ad annum 1522. ita scribit in editione Argentin. 1566.* Andreas Carolostadius, de quo supra dictum est, interea dum Lutherus (*in Pathmo suo*) abest, diversa dogmata propositit, & tumultuosè statuas è templis ejecerat, concitatâ plebe: Lutherus autem hac de causa potissimum revocatus à suis, cum redijsset, factum istud Carolostadij damnat, demonstrans, non hoc ordine progrediendum, sed imagines atq; statuas primum esse removendas ex animo, populumq; docendum, sola fide nos placere Deo, statuis verò nihil profici: sublatis illis adhunc modum & rectè informatis animis, nullum esse periculum amplius, ne quid noceant, & sponte collapsuras: non secus quidem repugnare, quo minus tollantur, sed hoc à magistratu fieri debere, neq; permittendum, ut vulgò & promiscue

miscue fiat ab omnibus. Melanchton in præfatione *libelli de sententijs veterum de cœna Domini*, *sic scribit*: Carolostadius primum excitavit hunc tumultum, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi; quem nullum unquam humanitatis officium, aut intelligere aut facere animadvertimus? tantum abest, ut in eo significatio aliqua Spiritus Sancti animadversa sit, imò extant manifesta signa impietatis. In tota doctrina solebat ἰουδαΐζειν καὶ σαπάζειν, damnabat omnes leges ab Ethnicis conditas, contendebat in foro jus ex Moyse dicendum esse, non intelligens vim & naturam Christianæ libertatis, totam illam fanaticam Anabaptistarum doctrinam statim initiò ταῖν ἀμφοῖν amplectebatur, cum cepisset eam in Germania serere Nicolaus Storck: & controversiam de cœna Domini tantùm odio Lutheri, non aliqua pietatis opinione, movit; idq; ob ἑτερονομαχίαν illius à Luthero improbatam. *Plura de seditione, furoribusq; ejus enarrat iterum Sleidanus lib. 5. p. 82. a. & b.* Secundus *& quidem subtilior Sacramentariæ pugnæ autor ebasit* Zwinglius, *de quo* Lavaterus *scribit*, eum multò antè, quam disputationem hanc movere cepisset Carolostadius, dogma novum contra Lutherum fovisse ac parturijsse; imò etiam passim ad præcipuos Germaniæ & Galliæ viros doctos scripsisse, se novam quandam ac singularem de cœna Domini sententiam producturum esse. *Proinde cum* Lutherus *anno 1525. mense Februario scripsisset contra* cœlestes prophetas, *sequenti* Zwinglius *mense prorupit, atq; ad* Regem Galliæ de vera ac falsa religione scripto, *suam de cœna Domini corruptelam evomuit, adeoq;*

Caro-

*Carolostadij patrocinio in ipsa præfatione susceptο, conquestus est*: Esse, *inquiens*, plerosq; obstinatos, qui cum viderent veritatem (*corruptelam verborum institutionis in cœna*) non per se sed per alios (*Carolostadium*) in lucem proferri, toti in hoc sint, ut alios criminentur, & in eos bacchari incipiant, more furiosorum. *Emisit adhuc eodem anno, librum, cui titulus est*: Subsidium Eucharistiæ, *ex professo Luthero oppositum. Quin sequentibus annis* Zvvinglius, Oecolampadius & Leojudæ *de eodem argumento, multis editis libellis, certamen, tacente adhuc pacis studio, Luthero, continuarunt.*

*Deinde in* Colloquio Marpurgensi Zvvinglius *suos errores fassus revocavit omnes, excepto uno de Eucharistia*, esse Luthero *T. 6. VViteb. &* Philippo *ad Henricum Saxoniæ ducem Tom. 4. Jenensi G. f. 511. & ad Johannem Saxoniæ ducem*: *iterum Luthero in literis ad* Jacob. Præpositum *Ecclesiasten Bremensem, quibus ait*: Vides hos Marpurgi revocasse in articulis positis, ea, quæ de baptismo, sacramentorum usu, similiter externo verbo, & alia, quæ hactenus editis libris pestilenter docuerunt. Nos nihil revocamus &c. *Et sanè Carolostadium ac Zvvinglianos hanc sacramentariam auspicatos primum esse tragœdiam, non obscurè ipse quoq; Sleidanus innuit ad annum 1522. f. 82.*

*Verùm non steterunt in puritate* Zvvinglius *& socij: sed sibi victoriam ex isto colloquio malè gesto, attribuerunt, ac passim jactarunt. De qua vanitate* Lutherus *ibidem respondit*: Quod, *aiens*, sacramentarij jactarunt me esse Marpurgi victum, faciunt more suo. Sunt enim non modò mendaces, sed ipsum mendacium, fucus & simulatio, quod testatur Carolstadius & Zvvinglius ipsis factis & verbis suis.

*Atq; inde factum est, ut Zwinglius sequenti anno in* Confessione ad Carolum Imperatorem *suos fassos errores recoxerit & ex orco reduxerit. Similiter, licet anno 1536.* VVitebergæ *inter quosdam superioris Germaniæ Theologos &* Lutherum *pax sit inita; ubi, ut habet* Augustanæ Confessionis historia, *illi omnes errores abjurarunt: tamen* Helveti *pacem & concordiam istam non approbarunt, verùm in suis erroribus perstitêre. Quod ipse* Lavaterus *perspicuè & diserte fatetur in* hist. Sacram. *p. 28. 29. 30. Cumq; Sacramentarium virus serperet & sese latius diffunderet.* Lutherus *scriptis & voce impugnabit; inprimis in* parva Confessione *1544. edita, præmonens omnes ne Calviniani* ipsius *authoritate & nomine abuti post mortem possent. Deinde* Johanne Calvino *pro eâdem Helenâ saltante & certamen ipsud passim interpolante & incrustante, excitabit Deus Joachimum* VVestphalum, *Morlinum, Illyricum, Heshusium & alios contra illum & illius discipulos. Eat nunc* Crocius, *& dicat non suos, sed nostros hoc excitasse certamen.*

*Immeritò quoq; nos criminationum, invectivarum, sycophantiæ, contumeliosarum concionum, famosorum libellorum accusat sparsorum; quin hoc est alios accusare & traducere ob crimina, quæ ipsi commiserunt.*

Porro: *Calvinianos furores esse pessimos nemo pius negare quibit. Adversarium id negantem remitto jam ad nervosissimum scriptum Dn. D. Johannis Gisenij, quod* Reformationem Collegij Rinthelienſis *inscripsit; Item,* Defensionem Catechismi Lutheri *Disp. 23. Actum est quoq; ea de re in negotio & tractatione præsenti passim.*

*Pergit deinceps conqueri scribens.* p. 3. Hinc autem tam amarulenta, tamq; plena offendiculi pugna, quæ est in Evangelicis Ecclesiis, eò tristior & calamitosior est, quod in

in fundamento veræ religionis ac Christianæ doctrinæ omnes ferè consentiunt. *Citat quidem eum in finem* Formulam Concordiæ, Confessionem Mansfeldensem, Confessionem Virteberg. Saxonicam, Augustanam, *præter Calvinianorum scripta; sed infideliter, ut collatio ad oculum demonstrabit.*

*Quoniam igitur Zwinglio-Calviniani miris & iniquis modis, quovis Vertumno aut Proteo mutabiliores, quod sentiunt, celant, interdumq; verbis apertis negant; modò pro diversitate personarum aiunt, ac plerumq; sensu ambiguo ludunt: idq; non in uno aut altero, sed multis fundamentalibus fidei articulis, placet hunc in illos librare syllogismum.* Quicunq; in multis, præcipuis & fundamentalibus articulis fidei contrariam nobis doctrinam tuentur: illi non possunt fratres nostri in Christo & fide censeri. Atqui Calviniani in multis, præcipuis & fundamentalibus articulis fidei contrariam nobis doctrinam tuentur. Ergo non possunt fratres nostri in Christo & fide censeri. Propositione *mole sua stante*, Minorem *probo*, *de Deo*. Qui in praxi, Dei veritatem, misericordiam *erga omnes homines*; bonitatem *erga creaturas rationales*: Justitiam *in ejus decretis*, *& executione decretorum*: Dei omnipotentiam *in corpore Christi in cœna præsens constituendo*: Omniscientiam, *si quicquam fuisset futurum, præter ea, quæ Deus decrevit futura*: Dei immensitatem: ij in articulo de Deo contrariam nobis doctrinam tuentur. Atqui Calviniani quidam *in his omnibus*, quidam *in aliquibus*, contrariam nobis doctrinam tuentur. *De qua re brevitatis ergo consuli possunt Dn. D.* Mentzerus *in* Exegesi *Au. C.* Defensione Collationis; Anti Crocio & censura Crociana, *ubi hæc invictissimè obtinuit: & Dn. D.* Balthasar

Meisn. in der ersten vnd andern Calviniſchen Prob.

II. Quicunq; diſſentiunt de Chriſti perſona, duarum naturarum unione, triplicis officij adminiſtratione: illi non conſentiunt, excepta unica quæſtione de Ubiquitate humanæ naturæ, ut falsò prætendit Crocius. Atqui Calviniani à Proteſtantibus diſſentiunt, 1. *de* Chriſti perſona, *ubi Arianizant, idq; in multis.* 2. *Negabat cum alijs* Martinius, *Chriſtum ſecundum H. N. eſſe filium Dei, niſi per adoptionem. Quem errorem* Theodori Mopsveſteni *ſolidè confutabit D. Dn.* Mentz. *in Tom. 6. Gieſſ. & in Martinio Elenchomeno.* 3. In unione perſonali, *qua fingunt alium Chriſtum, (*vel ut ipſi loquuntur*) totum Chriſtum* ἄνωρχον, *& totum* ἔνσαρκον: *dicunt non Naturam divinam filij, ſed perſonam eſſe incarnatam: Unionem deſcribunt per geſtationem & ſuſtentationem tantum; pugnant humanam naturam eſſe divinæ adjunctum &c.* 4. In communicatione idiomatum & officio triplici. *Nam Chriſto ſecundum H. N. per & propter unionem perſonalem, infinitæ & Deitatis idiomata eſſe attributa & data: ut omnipotentiam, omniſcientiam, virtutem vivificandi, judicij faciendi, præſentis regiminis in cælo & in terrâ, &c. negant: Ajunt divinam duntaxat naturam patraſſe miracula: Negant Chriſtum ſecundum H. N. eſſe adorandum pars; pars geminam comminiſcuntur adorationem: pugnant non Deum, ſed hominem eſſe paſſum, mortuum; vel ſaltem, Deum ſynechdochicè aut per* ἀλλοίωσιν *hæc ſuſtinuiſſe; cum tamen ipſe filius Dei in ſua propria carne ſit paſſus. Spoliant filium Dei ſecundum H. N. ſuo throno majeſtatis; dexteramq; Dei localem faciunt; cum tamen ſit omnipotens ipſius in-*

cælo

cælo & terra regimen. Ex his & alijs manifestum est non tantùm in unica quæstione Ubiquitatis (sub qua voce nobis multos crassos errores Calvinianos, quos execramur, affingunt) esse dissensum.

III. Qui dissentiunt de creatione hominis secundùm imaginem Dei, de lapsu protoplastorum & causa peccati; illi nec hîc, ut vult Grocius consentiunt. Atqui plerique veteres & nonnulli recentiores Calviniani hic dissentiunt. Quod partim ex præsenti tractatione, partim ex Dn. Mentzeri dictis libris patescit. Ergo &c.

IV. Dissentiunt de peccato originis, quo omnes homines ita sunt infecti, ut sint inimici Dei, filijq; iræ, & æternæ damnationi obnoxij; eoq; nunc quoq; afferat æternam mortem. Antithesis Calviniana est: Quidam, ut sanctorum parentum filij, nascuntur sancti & in fœdere Dei. Nasci autem Dei fœderalem & sanctum: ac nasci peccatorem, æternæ damnationi obnoxium, manifesta est contradictio. Referendi & huc alij sunt errores, quos gratia brevitatis transeo.

V. Utrùm in articulo de libero arbitrio sint sani, & per omnia scripturæ & nostris Ecclesijs conformes, ex ijs, quæ passim in hoc libro annotata sunt; tum quoq; ex illorum sententia, qui omnia necessario evenire sentiunt, cognosci potest.

VI. Illud certè contra Grocium nequaquam prætereundum est, quod similiter jactare non veretur, esse consensum in articulo de justificatione hominis peccatoris coram Deo. Quin ostendamus contrarium: Quicunq; enim meritum Christi justificantis docent esse particulare: gratiam & fidem justificationis faciunt simpliciter ex absoluto decreto, in electis, necessariam; reprobis inaccessam: docent Vocationem ad gratiam justificationis, esse non nisi ex

parte Dei particularem; idque ex absoluto Dei decreto: Quinimò fingunt fidem absq; verbo & promissionibus; Constituunt justitiam nostram, partim in gratia meriti Christi, partim in habituali infusione charitatis & amoris Dei circa cor consistentis: Paganizant, dum contendunt, reprobis verbum Dei prædicari & proponi cum sacramentis, ut credant, & sint civiliter & Ethicè justi; credant, vel potius mentiãtur, se justos esse & Christum ad se pertinere, qui ad illos non pertineat: illi à Protestantibus contrariam fovent & tuentur doctrinam in articulo justificationis. Atqui Calviniani 1. meritum Christi justificantis docent esse particulare. *Videatur tractatus hujus 2. libri c. ult.* 2. Gratiam & fidem justificationis, simpliciter ex absoluto decreto, in electis necessariam; reprobis inaccessam docent. *p. 311. l. 4. c. 11.* 3. Vocationem ad gratiam justificationis, ex parte Dei, non esse nisi particularem docent. *Hæc enim illis non potest non esse efficax; & reprobis ineffi-cax.* 4. Fingunt fidem absq; verbo & promissionibus. *Omnes enim promissiones fidelium, atq; omne verbum, quibus fulcitur fides, nisi sit generale, nihil certi potest subsumi & in individuo concludi, ut cum alibi, tum in c. 3. l. 1. exa-mine; inprimis* 5. Propositionis, *fuit demonstratum. Calviniani autem, quibus ista omnia, non nisi respectu abso-lutè electorum, sunt generalia, nullam inde veram concipe-re & alere fidem queunt: siquidem ex particulari non na-scitur firma demonstratio, & hypostasis fiduciæ: adeoq; Cal-viniana fides, qua Calviniana, est nihil nisi inanis persuasio & confidentia: qua recedente succedat desperatio necesse est.* 5. Constituunt justitiam nostram, partim in gratia meriti Christi, partim in habituali infusione charitatis & amo-ris Dei circa cor consistentis, illudq; suaviter & leniter fo-ven-

fovent; ut habet Crocius, p. 267. eoq; Calviniani nonnulli & Crocius, hic Papizant. 6. Paganizant, & mentirâ reprobos dotent. Confer Crocij præsentem tractatum passim. Ergò Calviniani à Protestantibus hîc contrariam fovent & tuentur doctrinam.

VII. Nec in doctrina de Invocatione nominis divini, sunt sani Calviniani, quod in Tractatus mei (Cujus titulus est, Norma Invocationis &c.) præfatione & capitibus aliis antehac ostendi.

VIII. Nec verum est, consensum esse in articulo pœnitentiæ, in quo manifestus deprehenditur dissensus. Dissentiunt n. à nobis 1. in veris & essentialibus Pœnitentiæ partibus, quos illi mortificationem veteris Adami & vivificationem novi faciunt; Protestantes & Augustana confessio contritionem esse & fidem ex verbo Dei demonstrant: 2. Dissentiunt rursus, quod Aug. Conf. mortificationem carnis & vivificationem fructus veræ pœnitentiæ constituit, inquiens in exemplari Germanico: Darumb sol auch besserung folgen / vnd das man von den Sünden lasse: Denn diß sollen die frucht der Busse sein / wie Johannes spricht / Matth. 3. Wircket rechte schaffene früchte der Busse. Quin & Variata Confessio idem asserit. 3. Antithesi, qua damnant Anabaptistas, qui negant semel justificatos posse amittere Spiritum Sanctum. 4. In subruendo fundamento pœnitentiæ, quod universalis Christi est mors & satisfactio. Ergo Calviniana doctrina è diametro huic articulo contradicit.

IX. Nec consensus est in articulo de sacramentis in genere & baptismo. Nam 1. sacramenta V. & N. T. ratione substantiæ, eadem fuisse scriptitant. 2. Per sacramenta & verbum confertur fides & salus; donatur Spiritus S.

Confess.

*Confess. Aa. art. 2. Atqui verò ista* Crocio & Calviniſtis *ſunt non niſi ſigna; & ſacramenta ſigilla ſalutis communia, non certa ulli, niſi ſit electus.* 3. Volunt infantes ac ſenes non regenerari & fide donari in baptiſmo. *Quod* Articuli Aug. Conf. quinti antitheſis *appellat errorem Anabaptiſticum. Atq; ut* Anabaptiſtæ *per ſuas præparationes & opera converti ſe arbitrabantur, quando Deo ſit viſum: ſic* Calviniani *per neceſſariam & efficacem vocationem, ſive in verbo, ſeu abſq; illo, ex abſoluto decreto promanantem.* 4. *Infantes circumciſi omnes & baptizati recipiuntur in fœdus Dei æternum:* Confeſſ. *etiam* Variata *ar. 9. ait.* Quod infantes per baptiſmum Deo commendati, recipiantur in gratiam Dei & fiant filij Dei, ſicut Chriſtus teſtatur, loquens de parvulis in Eccleſia Matth. 18. Non eſt voluntas patris veſtri, qui in cœlis &c. *Calviniani in commune fœdus quidem recipi permittunt, & quos abſolutè reprobatos fingunt, non niſi externorum beneficiorum reſpectu, in eo collocant: ideoq; nullus Calvinianus tentatus ſeſe ex ſuo baptiſmate conſolari & erigere poterit; nullos quoq; parentes Calviniani doctiores, de ſuorum infantium obitu & ſalute, certò illis communicatâ, conſolari & confirmare valent: quod Crocius p. 432 diffiteri non eſt auſus.* 5. Calviniſtæ VVederavici longius progreſſi, ſatis audacter effutiunt, infantum nec electionem eſſe, nec reprobationem. *Mirùm ſanè, ſi in cœlo erunt homines non electi, in tartaro non reprobati!* 6. Baptiſmus eſt unus; *Calviniani comminiſcuntur duplicem: internum & externum.* 7. Baptiſmus dat fidem, *tanquam lavacrum regenerationis: Calviniani negant infantes credere; negant omnes regenerari.* 8. *Omnia ſcripturæ loca de baptiſmi operationibus & effectibus, tropis ſuis enervant partim, partim à baptiſmi ſacramento relegant:*

*legant, & sic in alijs deinceps. Ubi hic consensus* Croci?

*X. Articuli decimi Aæ C. verba hæc sunt:* De cœna Domini docent, quòd corpus & sanguis verè adsint (*Calvinianis tam procul absunt, quam supremum cœlum ab infima terra*) & distribuantur vescentibus (*Calviniani nullum indignum corpore & sanguine Christi vesci admittunt*) in cœna Domini, & improbant (*Calvinianos*) secus docentes. *Porro: valdè illustria & clara sunt hæc* Apologiæ *verba*: Verè & substantialiter (*non fidei*) adsint corpus & sanguis Christi, & exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, his (*omnibus*) qui sacramentum accipiunt *Iterum*: Cum enim Paulus dicat, Panem esse participationem corporis Domini &c. sequeretur panem non esse participationem corporis, sed tantùm spiritus Christi, si non adesset verè corpus Domini. Et comperimus non tantùm Romanam Ecclesiam affirmare corporalem (*id est, qua Christus adest suo corpore, licet non corporaliter*) præsentiam Christi, sed idem & nunc sentire & olim sensisse Græcam Ecclesiam. Id enim testatur canon Missæ apud illos, in quo apertè orat sacerdos, ut mutato pane, ipsum Corpus Christi fiat. Et Vulgarius, scriptor, ut nobis videtur, non stultus disertè inquit, panem non tantum figuram esse, sed verè in carnem mutari. Et longa sententia est Cyrilli cap. 15. in qua docet, Christum Corporaliter nobis exhiberi in cœna. Sic enim ait: Non tamen negamus recta nos fide caritateq; sincera, Christo spiritualiter conjungi. Sed nullam nobis conjunctionis secundum carnem (*quam fidei & charitatis conjunctioni opponit,*) cum illo esse, id profectò pernegamus. Idque à divinis scripturis omninò alienum esse dicimus. *Rursus.*

*sum*: Unde considerandum est, *non habitudine solùm*, quæ per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse verum etiam *participatione spirituali &c.* Hæc recitavimus, non ut hîc disputationem de hac re institueremus. Non enim improbat hunc articulum Cæs. Majest. sed ut clarius etiam perspicerent quicunq; ista legent (*aurige auras Croci*) nos defendere receptam in tota Ecclesia sententiam, quod in cœna Domini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & verè exhibeantur cum his rebus, quæ videntur, pane & vino, & loquimur de præsentia vivi Christi. *Desinat igitur* Crocius *obscuriora verba* confessionis Saxonicæ *nobis objectare, quibus confessores isti, non absentiam corporis & sanguinis Christi in cœnæ mysterio eunt defensum, sed de usu & fructibus sacramentorum concionantur. Calviniatorum* & *omnes & singulos errores, qui nobis instar sunt, proponere, instituti ratio non sinit.*

*XI.* De prædestinatione *quantus sit dissensus cùm ex aliis locis, tum etiam ex capitis ult. libri primi examine, patet.*

*XII. Nihil jam dicam de* adiaphoris: *præter alios namq; renovarunt veterum iconoclastarum errores, atq; imagines & statuas ex templis exturbant, demoliuntur, ejciunt; idq; non ordine & per magistratum, sed seditiosè, furiosè. Turbant Ecclesias in panisragio adumbrativo & repræsentativo mortis Christi; Decalogum, juxta omnia verba Mosis, strictè Judaicè, proponendum urgent. Demoliuntur altaria sive mensas lapideas ex templis: & id genus alia.*

*XIII. Quidam sunt seditiosi, & mala funestaq; consilia adversus omnem magistratum, Calvinismo inimicum, tractant & agitant, quem necari & tolli posse, disputat* Pareus *in com-*

*tinent. in cap. XIII. ad Rom. fol. 1350. 1351. 1353.* Brederovius *in libello, qui inscribitur,* Fœderatorum inferiorum Germaniæ defensio, *scribit:* Annon, è contrario potius Regem Hispaniæ, quia hæreticus notorius est, ex regno illo Catholico omnibus omnium Evangelicorum viribus expellere oportet. *Thuanus idem de Calvinistis in Gallia memoriæ prodidit lib. 57. fol. 1160.* Calvinus *super cap. 6. Dan.* Principes terreni si se contra Deum extollunt, sua seipsi potentia privant, imò indignissimi sunt, qui in hominum cœtu ac numero reponantur. Potius igitur illis est faciès conspuenda, quam ipsorum imperijs obtemperandum, nisi omnem superstitionem extirpent. Crellius Cancellarius *Electoralis Crypto-Calvinista Serenissimum Electorem* Christianum I. *Conatus est ad sanguinem innocentem effundendum instigare, atq; propterea à Cæs. Majest. capitis est damnatus.* Coroloſtadius *sese seditiosis rusticis motus authoribus adjunxit,* Sleidan. *l. 5. p. 82. Scribit Serenissimus* Angliæ Rex in Basilico suo Doro, esse spiritus fanaticos, perjuros, perfidos, nihil nisi seditionem & calumniam spirare. *Et Thomsonius in Elencho refutationis Turcæ Torti,* esse factiosos, putos putos Pharisæos. *Idem Rex in* Epistola Monitoria *ad Imp. & Reges ait:* A Puritanis non solùm à nativitate continuò vexatus fui: Verum etiam in ipso matris utero propemodum extinctus, antequam in lucem editus essem? *p. 59. Edit. Ambsterod. an. 609. videatur etiam p. 60. in fine ad candidum lectorem:* Puritanorum nomine non alios intelligi, quam populares & subditos, qui sub imperio meo degentes, Legum imperijs reluctati, animis obstinaverunt. *Non melius loquitur* Beza *de* Rege Galliarum *Epist. 41. Testantur alij idem, inter quos sunt multi illustres viri.*

Menda-

*Mendacissima proinde est exceptio Crocij, controversiæ inter Protestantes & Calvinistas sic extenuantis:* Tres duntaxat quæstiones, quæ ad scholastica eruditorum pulpita potius referendæ, quam ad populares Ecclesiæ cœtus, cum tanta simplicium offensione & animorum exacerbatione divulgandæ, *Resp.* Meminerit hic adversarius, quinam illi fuerint, qui hactenus propter meliorationis puncta, quæ vocarunt Hassi, & adiaphora, ceremoniasq; passim nostros ejecerint? Cogitet, quæ Ecclesias in hoc ipso libro p. 366 nondum suo nitori (*Calviniano puta*) restitutas *scribat.* 2. *Vulpium scilicet & luporum rapacium est consilium, esse erroneis recensitos, nō in cœtu universi congregatione, pro concionibus ex scriptura refutandos; sed tantum in Academijs & cœtibus eruditorum.* Suadet n. utiq; quod lupus ovibus; se scil. traditis canibus latrantibus, & mordentibus pacifice & amicè cum illis victurum. *At verò* 3. concionatoris verbi officium est clamare, venientem lupum allatrare & abigere; sic demum est sanctus & fidus vigil, in muris Hierosolymitanis, nocte ac die non tacens, constitutus: è contra mercenariorum & proditorum ovium & Ecclesiæ, est assentiri, omnibus se facilem præbere, & instar canis muti non posse latrare. 4. Nos interim observemus serpentem antiquam eandem semper cantare cantilenam. Sic namque Cainitæ *anxiè filiorum Dei & veræ Ecclesiæ amicitiam ambiebant, Gen. 4. vers. 17 & seqq. in* imitandis sanctorum nominibus; jungendis conjugijs *cap. 6. v. 2. simulata pietate c. 4. v. 3. 8. & rursus 18: ubi idipsum* nominum significatio innuit. Fecerunt idē Moabitæ *Num. 25. v. 2: Jud. 3 v. 9. & Chananæi.* Neq; Israelitæ *Baalem sequentes* volebant videri, deseliquisse se Dominum. *Jer. 2. v 23. & seqq.* Nec Samaritani *2. Reg. 17. v. 31. qui Esr. 4. vers. 2.* enquiunt: Ædificemus vobiscum, quia ita, ut vos; quæ-

rimus

simus Deum vestrum &c. Pseudoapostolis & hæreticis, ut Cerintho, Marcioni, *inprimis* Arianis, *hoc in more positum fuit, qui Gothos à veritate fidei abduxerunt, prætendentes*, certamen esse verborum, non differentiam dogmatum. *Histor. Tripart. l. 8. c. 13. Et l. 5. c. 21. ajunt* non oportere propter duo verba, quæ nec invenirentur scripta, separari corpus Ecclesiæ. *Et ut* Ariani *contendebant tantum de unico verbo ὁμοουσίῳ esse litem: sic* Calviniani *tantum de sensu verborum, & de modo præsentiæ Christi in cœnâ litigari, non de reipsa. Proinde 5. Si hæ tres quæstiones, ad populum non spectant: num igitur ad illum non spectat scire: quid sit unio personalis duarum in Christo naturarum? quam arcta sit ista? Num non explicabuntur ei dicta scripturæ tam exprimentia? Num ignorabit idem quæ sint officij Christi? quæq; divina dona ipsi, ut id obire, etiam secundum H. N. in unitate personæ possit, sint collata? Què Christus sedeat & regnet in majestate dexteræ Dei in cœlo & terra præsentiâ? Num ipsum non, ut θεάνθρωπον, una adoratione invocabit? De his enim & pluribus quæstionibus in unico isto articulo contenditur: Ut jam nihil de reliquis dicam.*

*Sed quæ sunt istæ tres quæstiones*, quibus totam, inter Protestantes & *gentem* Calvinianam, *controversiam comprehendi scribit* Crocius? Primam *facit humanæ naturæ in* Christo *majestatem, à λογῳ ipsi communicatam*; quam *supra odiosa* Ubiquitatis *voce expressit.* Odiosâ *inquam; Nam* non Lutherus nec discipuli ejus; *sed* Zwinglio-Calviniani *iam primi excogitarunt, ivq; ea nobis crassam corporis Christi expansionem, physicamq; per cœlum & terram extensionem, quæ prodigiosum foret monstrum affinxerunt. Hanc* vero *quæstionem hic ita proponit Crocius*: An humana natura

 ipsa

natura Christi, vel Christus secundum humanam naturam sit omnipotens, omniscius omnipræsens, seu in cœlo & terra simul ubiq;, atq; ita etiam in cœna Domini, corpore & sanguine suo, in, cum, sub pane ac vino præsens sit, & adorari debeat? *Verùm respondeo, & de pluribus inter nos controverti, jam ante ostensum esse: & Crocium secum dissentire, qui supra de sola ubiquitate in hoc articulo disceptari scripsit, hic de pluribus agi concedit: ac deniq;, ipsum tanquam controversa proponere, ad causam nostram aggravandam, qua extra controversiæ aleam sunt posita. Quis enim nostrûm unquam dixit aut scripsit, propterea nos velle Christum esse in cœnâ præsentem, aut propugnare Christi in cœlo & terra verè præsentis gubernationem, ut in pane Eucharistico possit adorari à nobis? Calumnia istbæc Crocij est, non rei veritas. Sic autem sentimus: posse Christum in actione & distributione cœnæ, inter sumendum, à vescentibus & bibentibus adorari, idq; nos minimè prohibere: adesse verò, & nos velle ipsum adesse, ut inibi adoretur, nostrum nemo sensit unquam.*

Portrò: *Christum oportere omnipræsentem, omniscium, omnipotentem, & carne sua esse vivificũ, ipsius officium mediatorium, etiam secundum N. H. obeundum, efflagitat. Ubi enim alias, citra hac, suam Ecclesiam regere, defendere, vivificare suo spirito, pressam ex malis eripere; invocantes exaudire & succurrere infirmis nobissit & posset? Et nisi esset essentia sua, operatione & potenti manu omnipræsens; quò quæso sederet ad omnipræsentem dexteram patris in cœlestibus; dexteram omnipotentis patris? quî regere cœlum & terram posset? Rectè igitur cum scriptura istius majestatis fundamentum & potestatem, statuimus unionem humanæ Christi naturæ cum λόγῳ personalem, Joh. 1. v. 14. cap. 3. vers.*

*Vers. 34. 35. Col. 2. 6. p. 1. Tim. 3. 6. 16. Phil. 2. 6. 6. Matth. 11. 6. 27:* Terminum autem universalis (Particularis enim quoq; in statu exinanitionis habuit locum) & plenæ usurpationis, ascensionem ad cœlos, qua considere cepit simul ad dexteram Dei patris, non in loco; qui in dextera illa nullus est: sed regiminis majestate divinâ, *Act 2. 6. 33* Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus Sancti accepta à patre, effudit hoc, quod nunc videtis & auditis. *v. 34.* Sede à dexteris meis donec ponam inimicos tuos &c. *1. Cor. 15. 6. 25.* Oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Quæ loca esse parallela, (vel Martinius Collega Crocij in explicatione *Psalmi 2. pag. 159.* agnoscit) *Phil. 2. 6. 8. 9. Eph. 4. 6. 10. c. 1. 6. 20. & seqq. Matt. 28. 6. 18. Dan. 7. 6. 13. 14. & passim.*

Cæterum ad dictamus causas Crocij, quibus motus contradicit nobis: Nos verò, inquit, ex adverso dogma ubiquitatis (majestatis Christi divinæ, secundum carnem illi data & præsentis gubernationis sive sessionis ad dexteram Dei) negamus. 1. quia Scripturæ repugnat (ubi Crocio imò scriptura, vi allegatorum testimoniorum tradit.) 2. quia creaturam in creatorem mutat. Resp. Atqui hæc eadem fuit Nestorij & Theodoreti objectio contra Cyrillum, Anathemate 1. 2. 5. 10. Nos, cum Cyrillo & Concilio Ephesino, ex divino codice pié negamus. unio enim non pariit confusionem aut mutationem naturarum. Ac scriptura Christum, etiam juxta humanam naturam, filium Dei appellat, pro & propter arctissimam ac personalem unionem, quâ ipsi quoq; omnia Deitatis idiomata communicata testatur. Communicata enim sunt juxta eam naturam, juxta quam fuit mortuus & agnus occisus. *Apoc. 5. 6. 12;* quæ fuit humana. Filius hominis est in medio septem candelabrorum *Apoc. 1.*

*Serv. 12. 13. c. 2. §. 1.* Adest post ascensionem Stephano, Paulo, *alijs. Quæ omnia Christo juxta N. H. competere in* Norma Invocationis *divinæ p. 371 & seqq. docui fusius.*

*Accedit, quod probatio* Crocij *sit aliena; Cum non sequatur:* Essentiales Dei proprietates à divina essentia non differunt reâpse. *Ergo idiomata Deitatis non sunt Christo secundum humanam naturam communicata. Quemadmodum enim ignis ferro, & anima rationalis corpori communicat sua idiomata propria, sic & ὁ λόγος carni: non ut personæ à se disjunctæ, sed suo proprio & personaliter unito corpori. Ut jam silentio involvam: Si Deus & divina idiomata non possunt communicari carni; sanè unio personalis nunquam erit facta. Triumphabit ima* Samosatenus, *qui dicere consuevit:* τὰς δύο φύσεις παντὶ πάσιν ἀκοινωνήτως πρὸς ἑαυτὰς: Duas naturas simpliciter ad se invicem incommunicabiles. *Quid autem scriptura?* Tota, *inquit*, plenitudo Deitatis habitat in Christo (homine, *non λόγῳ. Sic enim habitaret in semetipsâ, & probatio esses inutilis*) σωματικῶς, *in corpore suo.*

3. Quia Eutychianum furorem, naturas in Christo exæquantem, interpolat, & ex orco in Ecclesiam revocat. *Resp.* 1. *Eutyches abolitas naturas, & in unam personam permixtas & conversas opinabatur: qui pessimus erat furor, à nobis alienissimus.* 2. *Idem argumentum de exæquatione naturarum,* Nestoriani *objecere* Cyrillo, *ad quod ille in Anathematismorum defensione respondit. Neq; enim naturas Protestantes Theologi exæquant: qui ex scriptura, hæc omnia λόγου ex se & per se naturaliter possidere, & humanæ naturæ non nisi per & propter unionem personalem com-

competere, & ex gratia, docent: ὁ λόγος est & manet infinitus & immensus: caro verò finita & circumscripta. ὁ λόγος nulli est subjectus: Christus secundum H. N. est & erit Deitati in æternum subjectus & minor Joh. 14. v. 28: 1. Cor. 15. vers. 28. Proinde unio & donorum infinitorum communicatio naturas non abolet, non exæquat, sed unionem arctissimam esse declarat, totumq; negotium esse mysterium ὁμολογουμένως magnum 1. Tim. 3. v. 16. eoq; naturarum differentiæ sartæ ac tectæ conservantur.

4. Quia ferè omnes articulos, & maximè negotium redemptionis & resurrectionis carnis nostræ enervat. *Resp.* Falsum! Nam Christus ut habet verum & terminis essentiæ circumscriptum corpus: sic in suo sancto corpore fuit passus, mortuus, sepultus, resurrexit, ascendit ad cœlos: quæ tamen omnia, ut essent actiones mediatoriæ, non tantùm, secundum actum naturalem corporum considerandæ sunt: sed ut virtus & pondus divinum accederet necesse fuit. Rursus, quemadmodum non actu naturali, sed personali ac divino ista caro in ipsam Deitatem filij est assumta, cum verbum unione fieret caro: sic non naturali actu aut physico humana natura est in λόγῳ illocali, sed personali & divino: & proinde recepta non in locum, sed extra loci respectum, in ipsum λόγον; jam dominatur ad dexteram majestatis Dei, cœlo & terræ præsentem. Quâ verò audaciâ tu membra illa secundi articuli, quæ de Christo secundum carnem præter unum, efferuntur, inter se invicem opponis, & dibillis alterum ab altero, quæ scriptura amicè conjungit & subordinat.

Altera (*quæstio, ait,*) est de eo, utrum præsentia & participatio corporis & sanguinis Christi in cœnâ sit corpora-

poralis, an spiritualis? Vel, An verum corpus & sanguis Christi in & sub pane ac vino, in his terris præsens, & ore corporis verè edatur ac bibatur, idq; non solum à verè credentibus ac respiscentibus Christianis, verùm etiam ab infidelibus ac impijs; tam à Juda, quam à Petro? *Nos affirmamus: ipse negat. Nostræ sententiæ fundamenta fingit esse quatuor:* 1. quod Deus & homo sit una indissolubilis persona. 2. Dextera Dei sit ubiq. 3. Dei verbum sit verax. 4. Deus habeat varios modos existendi alicubi, præter localem; *at parùm rectè & candidè. Itaq; de nostra sententia, quam adversarius miserè pervertit, ut imperitis glaucoma objiciat, sic est habendum. Cum duo adversus Zwinglianos essent probanda: nimirum filij Dei potentia & voluntas, qua posset & vellet in cœnæ administratione adesse:* illam *probavit Lutherus, (quem piè sequimur) ex unione personali, communicatis donis, & officij filij Dei idiomatis.* Hoc *igitur modo colligit.* Qui est θεάνθρωπος in unitate personæ. 2 omnipotens cœli & terræ possessor. 3. eoq; regnat ad dexteram majestatis & potentiæ divinæ in toto mundo, atq; 4. ideo non uno & naturali, sed pluribus & divinis modis corpus præsens facere novit: ille potest corpore suo & sanguine in cœna esse præsens. *E contra; Zwinglianorum quorundam & P. Martyris blasphemia erat,* Deum omni sua potentia non posse efficere, ut unum corpus sit in duobus vel pluribus locis: *atq; ita Deum hoc ipso sua potentia divinâ spoliabant.*

Hanc, *scilicet voluntatem filij Dei, probabat ex* verbis institutionis cœnæ: Edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: bibite, hic est sanguis novum testamentum, quod pro vobis effunditur. *Hinc 1. sic concludo. Si p.*

Chri-

*Christus vult & jubet, ut suum corpus, quod pro nobis dedit, mediante pane edamus, & sanguinem, qui est novum Testamentum, qui pro nobis effunditur, mediante vino, bibamus. 2. Sunt verba filij Dei, Testamentum condentis, quæ semper in essentialibus partibus saltem, sunt propriè sumenda, & omnem tropum excludunt. 3. Deus est verax, qui, quæ promisit, certò præstat & servat: tum sanè vi suorum verborum & promissionis vult adesse & adest in cœna, corpore & sanguine, & distribuitur vescentibus. Atqui prius est. Ergo & posterius. Gravissimæ ea de re admonitio extat in* præfatione Form. Conc. *p. 612. Ubi inquiunt principes & status:* Quamquam autem nonnulli Theologi, & in his ipse Lutherus, cum de cœna Dominica agerent, inviti etiam ab adversarijs ad disputationes de personali unione duarum in Christo naturarum pertracti sint, tamen Theologi nostri in Concordiæ libro, & ea, quæ in illo est, sanioris doctrinæ norma, diserte testantur, & nostram & hujus libri sententiam constantem & perpetuam esse, pios homines in negocio cœnæ Dominicæ, ad nulla alia fundamenta, quam verborum institutionis Testamenti Domini nostri Jesu Christi deducendos esse. Nam cum ille & omnipotens & verax sit, expeditum ei esse, ea, quæ instituit, & verbo suo pollicitus est, præstare.

*In antithesi refert* Crocios, alios (*Calvinianos*) præsentiam spiritualem (*quam illi perperam ad formam sacramenti hujus trahunt, cum salutarem ejus finem & fructum concernat*) totidem argumentis tueri. 1. Verbis institutionis. *Resp. Falsissimum! Nam verba institutionis impugnant & per tropos, contra testamentorum naturam omnium depravant. Nos contra:* Quicquid Christus suis dici-

discipulis in cœnâ, mediante *pane & vino*, porrigebat; id omne acceperunt. Atqui *ille* suis discipulis in cœna, mediante pane, suum essentiale corpus, quod pro nobis in mortem dedit; & mediante vino, suum sanguinem naturalem qui effundebatur in arâ crucis, porrigebat. Ergo essentiale Christi corpus, quod pro nobis in mortem dedit: & sanguinem naturalem, qui effundebatur in arâ crucis, mediante pane & vino acceperunt.

*Rursus*: Si illum panem dabat Christus, & illud vinum, quæ sunt communicatio, non spiritus & fidei, sed corporis & sanguinis sui: dedit etiam non cum pane & sanguine fidem, nisi fructu-tenus: sed ipsum corpus & sanguinem suum. *Est enim panis communicatio corporis, & vinum communicatio sanguinis Christi, non spiritus ipsius aut fidei in ipsum. Panem verò & vinum communicare per unionem sacramentalem, corpori & sanguini; est verissimum: si eadem communicarent non nisi fidei in morte & sanguine Christi, minimè res cohæreret. Denique*: Qui edendo & bibendo fiunt rei corporis & sanguinis Christi: illi revera corpus & sanguinem Christi accipiunt. *Oppositæ namq; sunt, edendo & bibendo fieri reum; & tantùm signa & Christum contemnendo & non credendo: quæ licet conjungi possint, distinguenda tamen sunt, scripturâ distinguente.*

2. Circumstantijs institutionis. *Resp. Quibus*, Croci? *Exprimere te eas oportebat Fortassis quôd Christus assidebat mensæ? Porrigebat panem & vinum? Loquebatur? At verò Resp.* 1. *hoc est Christum mendacij arguere, dicentem*: Edite, hoc est corpus meum, pro vobis jam tradendum: Bibite, hoc est sanguis meus, pro vobis jam effundendus. *Cui*

Cro-

Crocius respondet, *non est corpus illud & sanguis Christi, qui assidebat mensæ &c. Cui verò credemus? Rationi hoc mysterium infringenti, aut Christo vero θεανθρώπῳ? Itaq. 2. ex actu Christi naturali, quo corporaliter videbatur, loquebatur, porrigebat, assidebat mensæ, non erat actus personalis in persona τοῦ λόγου; nec actus sacramentalis unionis in cœna negandus: Verùm juxta verba institutionis firmiter credendus. 3. Num & ita inferes: Christus homo videbatur. præsens, fuit mortuus; est naturaliter in cœlo, secundum veru corporis glorificati modum. Ergo non est filio Dei personaliter unitus? Non sedet ad dexteram Dei, quæ præsenter omnibus regnat? Non accepit nomen supra omne nomen? Non est adorandus?*

3. Sensu dominicæ institutionis. *Resp. Quo sensu? Verone & genuino, quem verba præ se ferunt? Qui ex verbis fluit, & hauritur? Non sanè: sed ex illo, quem illis infers, Croci; ex cerebro tuo haustum: qui ignis alienus est, in culina relinquendus, non sacrificijs & rebus mysticis adhibendus. Verba verò cœnæ sunt própria, & generant eum sensum, quem jam ex illis protuli, non tropica; cum tropum hactenus gens Calviniana demonstrare nequiverit.*

II. Adversatur articulis fidei, 1. de incarnatione. *Resp. Nequaquam. Nam in incarnatione Christus non tantum est verus & naturalis homo factus, qui proprietatibus naturalibus solis gauderet: Sed etiam Dominus gloriosus cœli & terræ. Egregiè scil. noverunt Calviniani divellere articulos, quos fides conjungit.*

2. De ascensione filij Dei ad cœlos. *Resp.* Ascendit supra omnes cœlos, ut omnia (*non scripturarum, aut de-*

*eis, quæ non sunt omnia*) in omnibus impleret; *Eph. 4. Vers. 10. quemadmodum Deus* cœlum & terram implet *Jer. 23. v. 24.* Sedere fecit (*Deus Christum*) in dextera sua in cœlestibus *v. 20.* supra omnem principatum, ac potestatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in seculo hoc, verùm etiam in futuro *v. 21. Eph. 1.* Sunt ipsi omnia subjecta *v. 22 Et v. 23.* Quæ (*Ecclesia*) est corpus illius, (*Christi*) complementum ejus. (*Christi,*) qui omnia in omnibus adimplet. *Hinc illa sessio appellatur*, dextera virtutis, *Luc. 22. v. 69.* patris omnipotentis, *Symb. Apost* quæ creavit omnia. *Psal. 48 v. 13.* dextera, quæ est ubiq; præsens, *Ps. 139. v. 9.* thronus gloriæ, *Matth. 19. v. 28.* thronus majestatis in excelsis *Heb. 1. v. 3.* qui à seculo in seculum, *v. 8.* potestas æterna *Dan. 7. v. 14.* cœli & terræ *Matth. 28. v. 18.* gloria, quæ erat, priusquam mundus esset, *Joh. 17. v. 5.* quæ omnibus creaturis dominatur *Psal. 8. v. 7. 1. Cor. 15. v. 27.* miracula edit *Marc. 16. v. 19.* omnibus angelis imperat. *Heb. 1. v. 21. Quæ significatio, quâ sessio & sedere de regibus acceptum, regere, dominari, & gubernationem ac regimen notat, est scripturæ familiarissima. Præter alia nanq; in sequentibus locis LXX.* יָשַׁב *per* regendi verba *expressêrunt, ceu Esther 1. v. 2. 2. Reg. 15. v. 5. c. 2. v. 24. 1. Sam. 2. v. 8. 2. Sam. 11. v. 2. 1. Paral. 20. v. 5. c. 29. vers. 23. 1. Sam. 4. v. 4. 2. Sam. 6. v. 2. 1. Reg. v. 1. 20. 24. &c. Refer huc loca N. T. ut 2. Thess. 2. v. 4. Luc. 1. v. 32. 33. Unde inferimus ex actu naturali corporis, & glorificæ ascensionis ad cœlum, non debere quenquam actum personalem ejusq; plenum exercitium, in articulo sessionis ad dexteram Dei omnipotentis inficiari; cum potius ab sessione ad dexteram*

Dei,

Dei, argumentum inditum petamus, quo præsentiam Christi demonstramus in Ecclesia & medio inimicorum: Si autem verborum institutionis esse in cœna essentialiter & corpore suo præsentem ante dictum est.

3. Adversatur articulo de sanctorum communione. Resp. Si per sanctorum communionem, intelligis cœtus collectionem & conservationem; Christus adest suæ Ecclesiæ Matth. 28. v. 18. operatur in ea Eph. 4. v. 10. 11. 12. Apoc. 1. v. 12. c. 2. v. 1. Marc. 16. v. 20. defendit eam Act. 9. & 4. 5. 17. & omnia in terris præsens facit. Si intelligis Ecclesiam congregatam cum bonis operibus & exercitijs, quæ in ea peraguntur, fidei; Christus præsens adest & operatur, Matth. 18. v. 18. Marc. 16. vers. 20. Et passim alij scriptores sacri idem tradunt.

III. Omnium sacramentorum natura & proprietate, secundum quam non immeritò, imò necessariò judicantur & explicantur verba cœnæ Dominicæ. Resp. 1. Ex sacramentorum natura & proprietate non efficitur & evincitur ea tantùm, respectu formæ, significare & obsignare; quæ fuerunt V. non N. T. proprietates. 2. Contrà verò est certum, omne N. Testamenti sacramentum duabus constare rebus; materia scilicet terrestri, & re cœlesti; præeunte Irenæo, Et, si sacramenta N. æquè, ut Veteris Testamenti, tantùm significant Christum, & gratiam obsignant (Quod tu tamen de omnibus utentibus asseverare nequis) profectò illis sunt hæc multò clariora, sicut corpus solidius umbræ est.

IV. Locis scripturarum parallelis, quibus doctrina cœnæ alijs exposita est verbis. Resp. ubi & quibus, Crocii? Annotasses illa loca. Fortè eo Joh. 6. capite? Ast verò illa tuncio primæ Dominicæ Cœnæ institutionem integrum annuma

pri-

*præcesſit.* 2. Illa *eſt ſpiritualis, hæc ſacramentalis.* 3. Illa *ſit fide & credendo, hæc ore & manducando & bibendo.* 4. Illa *eſt tantùm fidelium, hæc fidelium juxtà & infidelium, fideq; carentium.* 5. Illa *eſt ſemper neceſſaria, hæc non item.* 6. Sine illa *nemo poteſt ſalvari*, ſine hac *omnes baptizati, qui mediis deſtituuntur, quiq; ſeſe probare nequeunt.* 7. Illa *eſt Metaphorica, hæc propria.* 8. Illa *fieri poteſt abſq; pane & vino, hæc nunquam.* 9. In illa *continetur fructus cœnæ dominicæ*, in hac *verò res ipſa, uti magnum quendam principem dicere conſuevisse accepi.*

*Inſtat* Crocius, ſi diligenter diſſentientes expenderent, quæ ipſi propalam negant, videlicet carnalem & Capernaticum eſum ac potum corporis ac ſanguinis Chriſti, localem in pane ac vino eorundem incluſionem, aut aſcenſum atq; deſcenſum è cœlis & dextera Dei, ſive viſibilem, ſive inviſibilem, atq; ita principijs ſuis conſentanea dicere vellent, controverſia hac in pacem facillimè eſſet exitura. *Reſp.* Lutherus *ante centum annos, contra Caroloſtadium, iſtis puerilibus argumentis, reſpondit; quæ vera ſunt de mero & puro naturali homine, non de Chriſti* Θεανθρώπου *corpore, quod naturalibus* παθήμασι *& proprietatibus non ſubjacet: ſed regit & ſuſtentat omnia loca in mundo, non includitur loco.*

*Opponit* Oecolampadius, *dicentem*: Diſſidium magis eſſe de modo præſentiæ vel abſentiæ, quam de ipſa præſentia vel abſentia. *Reſp.* 1. *Cur igitur ipſe tam impudenter. Vehementerq; cum Zvinglio Lutherum impugnavit, & Eccleſiam, tunc temporis adhuc tenerrimam, importunis & falſis altercationibus turbavit?* 2. *Non tantùm de modo præſentiæ, ſed ipſa præſentia eſt controverſia. Tuentur enim*

*enim Christi corporis & sanguinis à cœnâ absentiam. 3. Neq; fides rem facit animo præsentem, sed conceptum rei: Vel, repræsentat rem animo, non præsentem statuit & fistit.*

*Opponit Canonem* Nicenum, *qui ipsi tamen minimè patrocinatur. Verba hæc sunt:* In divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & vinum, sed exaltatâ mente fide consideremus, sicum esse in sancta illa mensa (*non in cœlo locali*) agnum Dei (*non umbram ejus, non figuram, non Metonymicum aut Metaphoricum, sed Christum*) tollentem peccata mundi, qui non victimarium more à sacerdotibus sacrificatur. Et nos Verè pretiosum illius corpus & sanguinem (*non signa tantùm cum fide*) sumentes, credamus (*loquitur de fructu, non de essentialibus sacramenti partibus*) hæc esse resurrectionis nostræ symbola. Nam propter hoc neq; multum accipimus, sed parùm ut sciamus, quod hæc non satietati, sed sanctimoniæ serviant.

*De* tertia *quæstione, quam controversam esse dicit, videlicet* de Prædestinatione absoluta ad vitam æternam, & reprobatione absolutâ ad mortem æternam; *hoc tantum monemus,* Crocium *mala fide in ea proponenda agere. Quum vere ex* Tractatione *ipsa satis percipiantur, quæ hic controversa sint, & quæ non; non videtur operæ esse precium, quicquam addere.*

*Ex his apparet, Vanissimum esse prætextum* Calvinianorum, *in fidei fundamento ferè omnes consentire clamantium. Licet enim in fundamento, Christo, nomine-tenus, tam cum* Calvinianis, *quam* Photinianis, Arianis, Anabaptistis & similibus *hæreticis intercedat consensus, non tamen in ipsa re & veritate. Non enim habent Christum, qui eum tollunt in-*

in unione, majestatis & donorum communicatione, officij exinanitione, sacramentorum depravatione, meriti universalis abnegatione, aliisq; dogmatibus nefandis. Quare licet Christum profiteantur fundamentum, malè tamen super eo ædificant, 1. Cor. 3. v. 11. In verbis de Deo & multis aliis articulis est consensus: in ædificatione super fundamento hoc, adeoq; in praxi, dissensus, aqua & igni manifestior & clarior est.

Vanissimus est quoq; prætextus, tantum de tribus quæstionibus esse dissensum. Nam longè plures sunt recensitæ, pluresq; recenseri possent. Et si, quod res est, dicere liceret: non tam de tribus quæstionibus, quam triplici horrendâ & abominanda hæresi (sacramentaria scil. Nestoriana, & Prædestinaria) ad minimum digladiamur. Et si tantùm de tribus quæstionibus lis est: quid (malum) Crocius tam crassum librum de unicâ quæstione conscripsit? Cur tantopere de apostasia sanctorum ἀδυναμίᾳ cum Bertio & nostratibus certat? O lacrymæ Crocodili!

Hæc pij nostri status Protestantes, & Theologi considerantes, nunquam pacem & fœdera cum illis inierunt, nec manus fraternitatis, nisi prius abjecto dogmate Calviniano illis porrexerunt. Probabimus ordine. Nam

I. Impugnavit eos Lutherus in Carolostadio & cœlestibus prophetis: quem & Elector Fridericus, sapiens cognomine, suis finibus ejecit & exodit, Sleidanus l. 5. p. 82. edit. Argent. in 8. 1566: Carolostadius, inquiens, à Luthero dissentiens, VViteberga relictâ, clandestinis illis doctoribus, qui visiones & colloquia cum Deo simulabant, ut ante diximus, multum erat familiaris. hac potissimum de causâ Saxoniæ princeps finibus illi suis interdixe-

II. Dan-

II. *Damnabit eos Lutherus & Saxones in Zvvinglio & socijs, anno 1525. ut refert* Sleidanus *l. 5. p. 82. b. scribens*: Lutheri sententiam (*de cœna*) probarunt Saxones; Helvetij verò Zvvinglij.

III. *Et licet* Marpurgi *anno 1529. reliquos suos errores, præter illum de cœna, revocarent, tamen pro fratribus in Christo non sunt recepti.* Philippus Melanchton *in literis ad Henricum Saxoniæ Ducem*: Lutherus, inquit, in sua sententia perstitit; Verum corpus & verum sanguinem Christi in cœna adesse: Adversa autem pars à sua opinione discedere noluit. *Et ad Johannem Electorem*: Sub finem colloquij Zvvinglius & Oecolampadius magnopere petiverunt, ut pro fratribus ipsos haberemus: sed in hanc ipsorum petitionem consentire nullo modo voluimus, & durius etiam ipsos hoc nomine allocuti sumus: Mirum nobis videri, qua conscientia pro fratribus habere nos possint, quos errare in doctrina statuunt. Quomodo enim ferre possint, ut in suis cœtibus simul cum ipsorum dogmate nostra etiam sententia docetur & credatur: quod omninò permittendum sit, nisi nos mutuò excommunicemus. Ne autem actio prorsus infructuosa esset, certos quosdam articulos, de alijs quibusdam rebus conscripsimus, ut ulteriores errores, quantum fieri posset, præcideremus. Deprehendimus enim de quibusdam articulis incommodas loquendi phrases invectas fuisse. Atq; in nostram sententiam in omnibus approbârunt, excepto hoc uno de præsentia Christi in cœna Dominicâ. Præterea etiam sese minimè difficiles aut morosos erga nos exhibuerunt: sed deprehendimus ipsos in doctrina D. Martini non satis institutos esse, quanquam verba imitari conantur.

IV. Nec

*IV. Nec gaudent conventu Spirensi, de anno 1529.* *Testatur enim* Sleidanus *l. 6. p. 100. dicens:* Quoniam de cœna Domini non eadem erat omnium civitatum, quæ principum sententia, spem illi conceperunt, se posse, quod cupiebant, perficere. *Et ibidem lit. b. inquiunt Principes Protestantes, antequam urbes Protestationi accederent:* Quid de corporis atq; sanguinis Christi, suis in Ecclesijs doceatur, omnibus constare, neq; longiore opus esse explicatione. *Neq; tamen omnes urbes, quæ protestantibus conjungebantur, approbabant dogma Zvvinglij, sed paucæ tantum. Ut nihil dicam aliud esse protestationem pro fide sincera, contra decretum asperum, aliud vero pro dogmate sacramentario.* Illud, *non* hoc, *historiæ de ipsis recitant.*

*V. Improbati & à fœdere excluſi sunt* Zvvingliani *in omnibus consentibus, ceu*

1. Schvvabacensi *anno 1529* ubi propositum fuit, quoniam religionis ac veræ doctrinæ defensio sit hujus fundamentum fœderis atq; causa, primum oportere consentientes omnium in eo (*fundamento fœderis, scilicet vera religione*) esse voluntates. Itaque recitata fuit doctrinæ summa, capitibus aliquot comprehensa, quam approbarent (B N.) omnes. *Et paulò post:* De cœna Domini non erat eadem omnium sententia, sicut ante quoq; diximus: Et hic solus erat scrupulus. *At propterea mansit res imperfecta.*

2. *In conventu* Smalcaldensi *eodem anno, habito:* Cum (*inquit* Sleid. *p. 106.* *Cum* Argentinensibus & Ulmensibus) *nihil* proficeret, reliquarum etiam civitatum legati vocantur; & si quidem eam doctrinam per omnia probent, actionem fœderis instituì posse cum ipsis, dicebatur: illi nullum habere se ejus rei mandatum, respondent

gent & primam actionem rugent. Tandem ita discedi-
tur, ut, qui doctrinam hanc omnem profiteri velint, atq;
recipere, Noribergam veniant.

3. Augustanis Comitijs, *ubi profitentur Principes & sta-
tus in articulo X. Aæ C. de cœna Domini*, quod corpus &
sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus in
cœna Domini, & improbant secus docentes. *Quam veri-
tatem prolixè* in Apologia *sunt tutati*: Separarunt ab illis
sese Argentinenses, Constantienses, Memingi, Lindavij,
doctrinæq; suæ confessionem, scriptam & ipsi tradunt
Cæsari. De cœna Domini, non idem hi, quod Saxones
atq; socij sentiebant, Sleid. *lib 7. p. 110.* *Quæ postea fuit
refutata.* *Et ait idem* Sleid. *p. 116. b.* fuisse scriptum valdè
prolixum & acerbum, ea parte potissimum, ubi de cœna
Domini tractatur. *Porro Lutherum permansisse in sua sen-
tentia idem* author *p. 119. b. testatur*

4. *Conventu* Francofurtensi *de anno 1531. referente* Sleida-
no *l 8 p. 127.* De Helvetijs in fœdus recipiendis, quod civita-
tem valdè cupiebant, Saxo per legatos respondet. quoniam
de cœna Domini diversum sequantur dogma, non sibi li-
cere societatem cum ipsis ullam coire: quanti sit ipsorum
conjunctio (NB. *contra consilia Calviniana*) propter vires
atq; potentiam, non se quidem latere, sed eò sibi minimè
respiciendum esse, ne tristis inde sequatur exitus, quod ijs
accidisse scriptura testetur, qui muniendi sui causa, cujusq;
modi præsidijs usi fuissent.

5. *Conventu* Spirensi, *eodem anno indicto & habito*; *de
quo sic idem scriptor*, *p. 128. a*: Cum autem, ait, ex ipsorum
(*Gulielmi Nassoby & Nuenarij comitum*) verbis appare-
ret, Cæsari persuasum esse, quasi Zvvinglij doctrinam &

Apa-

Anabaptistarum ipse probaret, respondet, Cujusmodi sit doctrinæ suæ genus, & quid suæ ditionis Ecclesiæ ministri doceant, ex Augustanâ Confessione satis esse notum: sed & hoc constare, quum esset in Comitijs Augustæ, nullum sibi fuisse cum ijs, qui Zvvingliani vulgò putantur, commercium, sed ne postea quidem, donec sententiam illi suam explanassent: ejusdemq; se nunc etiam esse propositi, & quam sit Augustæ professus doctrinam, in ea se beneficio Dei permansurum esse, ad extremum usq; spiritum, & orare, ut ad Cæsarem hoc nomine sese purgent.

6. Suinfurtenß *anno 1532: ubi legati Cæsaris proponunt*, ut præter scriptum illud Augustæ exhibitum de religione, nihil innovent, nihil doceant, nihil evulgent, & intrà hos fines permaneant, ad usq; Concilij tempus, itaramen, ut cum Zvvinglianis & Anabaptistis nihil habeant commune. *Respondet Johannes Sleidanus ibidem p. 132.* In reliquis postulatis, illud, quod primum est, eâ parte, quæ est de Zvvinglianis eò spectabat, ut principes à plerisq; civitatibus divellerentur, & in disceptatione sic illud intercessores explanabant: quod si Zvvingliani fatererentur errorem atque desisterent, comprehendi etiam in hac pace, sin minus, tum deserendos, nec auxilij quicquam communicandum, neq; fœdus ullum cum illis faciendum esse: Verum anno superiori Smalcaldiæ convenerat inter Protestantes, & cum Argentinenses atq; Sueviæ Civitates aliquot, dogma suum de cœnâ Domini, propositum in Comitijs Augustæ, copiosius tunc explicassent, recepta fuit à Saxonicis ipsorum interpretatio. Conjunctis igitur animis idem nunc respondent omnes, ad quæq; postulata, & has conciliandæ pacis rationes demùm proponunt. Ipsi qui doctrinæ confessionem, & ejusdem Apologiam exhibue-

boverunt Augustæ, quiq; postea doctrinam hanc recipient, intra hos limites consistant, neq; præterea quid innovent, ad concilium usq; toties promissum atq; decretum: ijs, qui de cœna Domini, deq; Baptismo secus docent, quam ipsorum habet scriptum, exhibitum Augustæ, minimè se conjungant, quantum quidem ad doctrinam attinet.

7. Smalcaldiæ *1535. quem* conventum *sic describit* Sleid. l. 9. p. 156. b. Pridie natalis Christi facto decreto, fœdus, quod annum adhuc unum durabat, renovatur in annos decem, & de reliquo apparatu constituitur, & recipiendos sic placet in hoc fœdus, qui velint atq; cupiant, modò doctrinam Augustæ propositam in comitijs, profiteantur & hortem communem subeant. *Et ad Regem Angliæ ibidem scribunt* principes, in ea se permansuros esse doctrina, quam sint Augustæ testificati. Nam ad *Anabaptistas*, quod attinet vindicare se graviter in eos, nisi ad sanitatem redeant.

8. *In conventu* Smalcaldico, *anno 1537. iterum* Zvvinglijani *sunt condemnati & exclusi. Verba in* Articulis Smalcald. Formulæ Concordiæ *insitis p. 330. hæc sunt*: De sacramento Altaris sentimus, Panem & vinum in cœna esse verum corpus & sanguinem Christi, & non tantum dari & sumi a pijs, sed etiam ab impijs Christianis. *Et in* Præfatione *ita queritur* Lutherus *de sacramentarijs*: Quid enim dicam? Quomodo querelam instituam? Adhuc superstes sum, scribo, conciones habeo, & prælego publicè & quotidie: & tamen virulenti homines non tantùm ex adversarijs, sed etiam falsi fratres, qui nobiscum se sentire ajunt (*ut Bucerus & alij*) mea scripta & doctrinam meam simpliciter contra me adferre & allegare audent, me vivente, vidente, & audiente, etiamsi sciant, me aliter docere, & volunt virus suum meo labore exornare, & mise-

ros homines meo sub nomine decipere & seducere. Quid ergo, bone Deus, post obitum meum fiet?

9. *Rursus in conventu* Francofurtensi *de anno 1539*: Demum (*inquit* Sleid. *l. 12. p. 201. b.*) transactum est his conditionibus *&c. p. seq. In his inducijs non* comprehendentur Anabaptistæ, nec alij, qui diversam ab Augustana Confessione (*anno 1530. exhibita*) doctrinam profitentur.

10. *Rursus* Smalcaldiæ *de anno 1540. ubi p. 208. a. scribit idem historicus*: Paucis interjectis diebus, Theologi scriptum exhibent, cujus hæc erat summa, non esse discedendum à vestigijs Aæ C. & huic adjunctæ post Apologiæ. Sententiam hanc omnes alij Theologi absentes deinde comprobarunt, missis eò literis. Ad quam denuo provocant principes ibidem *p. 211. a. & b. & p. 212. Provocarunt ad eandem Augustan. C. & Apologiam principes Protestantes in conventu* Haganoico *de anno 1540.* Sleid. *p. 217. lib. 13. In confessionis a. Aæ articulo 10, & inprimis in* Apologia *damnari Zwinglianum dogma, ex superioribus patet.*

11. *Iterum* VVormatiæ, *teste* Sleidano, *de anno 1540. p. 220. &* Ratisponæ, *de anno 1541. p. 226. b. urserunt Principes protestantes eorumq; Theologi* Aam Confessionem. *De cujus mutatione & vero sensu ne quid ulterius excipere queat* Crocius, Philippus Melanchton *Antithesin articuli decimi restituere coactus est; idq; solenniter his verbis Tom. 4. operum f. 736. inquiens*: Fatemur in cœna verè & realiter corpus & sanguinem Christi adesse, & cum pane & vino exhiberi sumentibus. Perspicuè testati sumus, quod in cœna Domini vere & realiter adsint & sumantur corpus & sanguis Domini. Testati etiam sumus nos improbare eos, qui negant adesse & verè sumi corpus Christi.

12. *In conventu* Francofurtensi ad Mænum, Naumburgico

gico & promulgatæ ac subscriptæ Formulæ Concordiæ. *De quibus ita Electores, principes & status in* Form. Concordiæ Præfatione, *Edit. Lipsi. p. b:* Quia verò, inquiunt, nostri & præclari nominis antecessorum nostrorum primùm Francofurti ad Mœnum, deinde Naumburgi, pio & sincero animo susceptæ, & scriptis comprehensæ conventiones, non modò eum, qui expetebatur, finem, & pacificationem non sunt assecutæ: sed ex ijs (*arrige aures* Croci, *utrum Calvinismo faverint*) etiam, à quibusdam patrocinium erroribus & falsis dogmatibus quæsitum est: tum tamen nobis ne in mentem quidem unquam venerit, hoc nostro scripto, vel novum aliquod & falsum doctrinæ genus introducere, tegumentis commendare, confirmare, vel in minimis etiam à confessione illa anno 1530. Augustæ exhibitâ discedere; quin potius quotquot nostrum actionibus Naumburgicis illis interfuimus, tum etiam id integrum nobis reservavimus & promisimus insuper, ut si quid successu temporis in nostra confessione desideraretur, aut quoties id necessitas postulare videretur, nos porrò omnia solidè & prolixè declaraturos esse. Ideoque hanc ipsam ob causam in hoc libro Concordiæ ad declarationem constantis & perpetuæ voluntatis nostræ, & repetitionem Christianæ fidei & confessionis nostræ, magno & pio consensu elaboravimus.

*De editione* Aæ Conf. *& qualitate ejus ita statuunt:* Solam primam illam Augustanam confessionem Imperatori Carolo V. anno 1530. in celebribus illis comitijs Augustanis exhibitam, solam (dicimus) nec ullam aliam amplecti nos velle luculenter testamur: cujus exempla in Archivis antecessorum nostrorum excellentis memoriæ, qui ipsi Carolo V. in comitijs illis exhibuerunt, reposita,

per fide dignos homines, ne quid ad accuratissimas rationes diligentiæ in nobis desideraretur, cum eo, quod Imperatori ipsi exhibitum est, & in Sac. Rom. Imp. Archivo asservatur, conferri voluimus: & certi sumus nostra & Latina & Germanica exempla, per omnia sibi conformi sententia invicem respondere. Qua etiam de causa, confessionem illam tum exhibitam, nostræ, quæ his subijcietur, declarationi, sive libro concordiæ inserere voluimus: ut omnes intelligant, quod in nostris ditionibus, Ecclesijs & scholis nullam aliam doctrinam ferre constituerimus, quàm quæ Augustæ anno 1530. à commemoratis supra electoribus, principibus & imperij ordinibus solenni confessione approbata fuit.

*Et p. 2.* Porro quod ad alteram Augustanæ Confessionis editionem, cujus etiam in Naumburgicis actis fit mentio, attinet, animadvertimus (quod & notum universis est) quosdam (*ut Calvinistas*) sub prætextu verborum posterioris illius editionis, corruptelas in negotio cœnæ, & alios errores contegere & occultare voluisse: & scriptis publicis excusis imperitæ plebeculæ obtrudere conatos: nec motos esse Augustanæ Confessionis (quæ prima exhibita est) dissertis verbis, quibus errores illi palam reijciuntur: ex quibus etiam longè alia, quam ipsi volunt sententia, evinci potest.

Visum igitur est nobis, hisce literis publicè testari, & certiores facere universos, quod nec tum, nec ne nunc quidem, ullo modo voluerimus falsa & impia dogmata & opiniones (quæ sub integumentis aliquibus verborum latere possent) defendere, excusare, aut veluti cum doctrina Evangelica consentientes, approbare.

Nos sanè nunquam posteriorem editionem in ea sen-

ten-

tantia accepimus, quæ à priore illa, quæ exhibita fuit, ulla ex parte dissideret.

13. *Deniq; in* Pacificatione Passaviensi *1552. teste* Sleidano, *& subsequutis* comitijs Augustanis, *ubi Cæsar & omnes status imperij*, tam *Catholici*, quam *Protestantes*, *pacem religionis mutuò servandam*, *decreto sanciunt*, *ac non nisi duas religiones permittunt*; *Verba hæc leguntur*: Doch sollen alle andere / so gemelten beyden Religionen nicht anhengig / in diesem frieden nicht gemeint / sondern gentzlich außgeschlossen sein.

*VI Improbatum est dogma Zwinglianum in concordia Vvitebergæ, anno 1536. inter Lutherum Saxonesq; Theologos & nonnullos superioris Germaniæ instituta.* *Ubi* Lutherus Bucero & Socijs in faciem dixit: se Zvvinglij & Oecolampadij doctrinam, tanquam falsam damnare: licet personas Dei judicio committat. *Et recitat deinde Myconius ipsa concordiæ verba, ex quibus hæc placet excerpere.* Statuunt igitur & docent, cum pane & vino, verè & essentialiter præsens adesse, exhiberi & sumi corpus & sanguinem Christi. *Item*: Quare sicut Paulus dicit, etiam indignos sacramentum manducare: ita credunt etiam, indignis verè exhiberi corpus & sanguinem Christi: & verè hoc indignos accipere ad judicium. *Quales indigni verò? Num infirmi tantùm in fide? an verò etiam, incredulâ & indigni pœnitentia? certe & hi, ut verba subjecta docent.* Tales indigni accipiunt ad judicium, qui absolvuntur sacramento, cum fine vera pœnitentia, & sine fide accipiant. *Rursus*: Cum hi (*quotquot tum subscripserunt*) omnes fateantur, se idem docere & sentire in omnibus articulis vere, quod in confessione & Apologia Principum Evangelicorum expositum est: summè cupimus & optamus. *Cui*

*tamen concordiæ* Tigurini & Helvetij *nunquam nomen dederunt, teste* Lavatero, Pellicano, Simlero, &c.

*VII. Reliquo vitæ suæ tempore* Lutherum à Zvvingliano *dogmate manifestè alienum, sua* parva Confessione, concionibus, *aliisq; documentis probavit, quæ fusè, Dn. D.* Ægidius Hunnius *p.m. in suo scripto* contra libellum Embdensem *recenset.*

*VIII. Quia ipsi Pontificij nostris testimonia luculenta perhibent, quod à Zvvinglianis dissentiant, yg.* tam *principes & Imperatores ipsi (ceu Carolus V. Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolphus II. Matthias I. hodieq; Augustissimus Ferdinandus II.)* quam subditi *& Theologi.* Andreas Fabricius Leodius *in Harm. Aa C.* Coloniæ *1587. edita p. 186. inquit*: Calviniſtæ & Zvvingliani aliquoties à Confessionis Augustanæ propugnatoribus sunt condemnati. Johannes à Daventria: Hic (*decimus*) articulus condemnat etiamnum Oecolampadianos, Zvvinglianos & totam Anabaptistarum impudicam colluviem.

*Denig. IX.* quod nobiscum & cum August. C. non consentiant nonnulli *magni nominis Calviniani ipsimet, disertis verbis fassi sunt.* Lavaterus *in hist. sacram. p. 28. de* concordia VVitebergensi *inquit*; Senatus Tigurinus, ministris Ecclesiæ suæ, præsentibus etiam Basilcensibus, respondit, capita illa concordiæ obscura esse, & ambigua, se ergo nolle subscribere, & ea approbare. *Idem fecerat ante illos* Zvvinglius, *sua ad Carolum Imperatorem confessione dissensum testificatus. 3.* Tetrapolitani, *de quibus supra ex* Sleidano *actum est. 4.* Petrus Martyr, Marloratus, Beza & alij *Calviniſtæ in conventu Possiaceno, anno 1561. ubi* Cardinali Lotharingo; *cum illo nomine* Regis Galliæ *Augustanam Confessionem subscribendam obtulerat, inquieti*: Aliqua

lioqui concordiæ ineundæ nullam fore spem: *responderunt*, se id neq; velle, neq; posse facere. Calvinus *ad* Bezam *scribit*: Augustana Confessio, ut scis, fax est vestræ furiæ ad excitandum incendium, quo conflagret tota Gallia, *Epist. 313.* Beza *ad* Calvinum *Epist. 1. p. 7.* Cardinalit Augustanam Confessionem habet in ore: de qua etiam seorsim rogatus à Doctore Botellerio, an eam possemus admittere, planè respondi, non posse in quibusdam, nisi plena & perspicua addita interpretatione. *Iterum*: Fateor, illam nobis in quibusdam non satisfacere, atq; adeo in nonnullis, ac præsertim in capite de cœna Domini, non probari, nisi commoda interpretatione leniatur. *5.* Zanchius August. C. ita agnoscebat, ut ipse explicatutus erat. *Damnat autem in ea Artic. V. X. XI. XII. & ex parte XX. variatæ confessionis. Videatur Tom. VII. in Miscell. Col. M. 47. 48. & seqq. &* Ursin. *T. 2. col. 1119.* Neostadiana *Admonitio p. 145.* plurima desiderat in Augustana Confessione. *Alij ambiguitate, subscribentes in hunc modum, ludunt & decipiunt*: Sicut istam Confessionem piam esse judico, ita subscribo. *Quibus accedit, quod nullius eorum primæ & genuinæ Confessionis exemplari subscripserit, sed variata, sub cujus mollioribus & ambiguis vocibus ac phrasibus suum venenum abscondunt. Primæ nanq; sine sacramentarij dogmatis, de cœna, abjectione, subscribere minimè possunt.*

*Eat nunc Crocius, & clamet, suos Calvinistas ab Augustana Confessione nostrarumq; Ecclesiarum symbolis & doctrina non dissentire: sed in fundamento summum utrinq; consensum animadverti; cùm ipsorum doctrinæ* in omnibus principum & statuum conventibus Protestantium *sit contradictum; sint dogmata illorum in* Comitijs *celeberrimè*

quibus vis condemnata; Lutherus & Theologi sinceri eas in maximis & præcipuis articulis Christianismi à nobis discrepare demonstrarint. Quinimo neq; cũ genuina, neq; variata Aug. C. consentire, ut partim ex dictis, partim ex subjecto Tract. liquebit. Proinde, istis sic positis, frustra & impiè sese adversarius ad mutuæ pacis & concordiæ studij adhortationem convertit. Maledicta namq; pax est, non fundata in Christo, capite nostro benedicto. Maledicta amicitia, quâ in perniciem ovilis Christi conspirant lupi rapaces. Interdicitur populo Dei passim Chananæorum confœderatione, & amicitia. Et populus ex captivitate Babylonica redux, noluit cum Samaritanis, præter Ethnicismum, ceremonijs judaicis imbutis, ædificare templum & colere amicitiam, Esr 4. v. 3. Levitæ quoq; secessionem ex regno Israelitico, idololatriæ cultu inbalescente, facientes laudantur, 2. Paral. 11. v. 13. Culpantur Reges Judæ, quotquot iverunt post Baales, quiq; illorum cultoribus, fuerunt amicitia juncti.

Sed videamus argumenta Grocij, quibus Protestantes, ad amicitiam ineundam & syncretismum in fide, hortatur: quorum nullum, aut verum, aut saltem sinceræ est veritatis. Præter veritatem, namq; scribit, primò, schisma regni Judæ & Israelis attraxisse toti populo ruinam, vastitatem atque interitum; cum post Israelitici regni, sive decem tribuum abductionem, Deus, non modò longùm adhuc tempus, sed quoq; miraculosè Hiskiam & alios Reges defenderit & confirmarit. Totius autem mali causa erat non politicum dissidium; quod propter religionis alienæ exercitium Deus (qui Calvinistici syncretismi non erat author) mandaverat; sed derelictio cultus Dominici & ad alienos Deos defectio, teste Domino, 1. Reg. 9. v. 2. 2. Paral. 29. v. 6. & seqq. inprimis c. 17. toto. II. Eadem quoq; farinæ est, quod asserit Grocius ex Jer. 9. v. 9.

& 11.

& 11. *Ob* inimicitias & dissidia publica *Judæorum regnum, destruendum fore. Nam non propter illa, verùm propter quævis peccata, inprimis contra secundam tabulam commissa, malitiam & prævaricationes, prædicit illis istud malè. Quinimò conjunctiones istas fiduciamq; in sociorum præsidijs constantem ibidem exagitat propheta, v. 23. & seqq.*

*III. Exemplum est* Judæorum sub tyrannide Antiochi Epiphanis. *Verùm parùm sincerè rem enarrat. Author libri 1.* Maccab. *c. 1. v. 12. 13. 14. planè contrariam indicat mali causam scil. quòd cum gentibus vicinis & Regibus Syriæ impia percussèrunt & interunt fœdera, de cultus illorum vanitate prodigiosa amplexanda, seductaq; in illis populis collocatione.*

*Nec melius est* quartum *exemplum*, Jasonis cum Oniæ fratre, de sacerdotio litigantis. *Nam* Onian *ut summè pium & sanctum sacerdotem, describit & celebrat l. 2. Macchab. caput 3: quem frater Jason, apostata gentilis factus, nefariè & scelerate ad Regem detulit, & nundinatione sceleratâq; idololatriæ institutione promissa, à sancto officio amovit & dejecit 2. Marc. 4. v. 7. & seqq. Quid nobis cum illo rei est?*

*Nec V. & ultimum ex V. T. prolatum exemplum magni est momenti. Illo namq; tempore,* Hircani II. Aristobulum secundum, *fratrem suum oppugnantis, dissidium, ut causa quidem proxima, attraxit* Pompejum & Romanos: *Summus autem & verus fons tragœdiæ fuêre, præter alia peccata, tres magnæ hæreses (Phariseæa nimirum, Sadducæa & Essea) in populo grassantes.*

*Idem erit dicendum de* Romanæ Monarchiæ *gentilismo & persecutione verbi; deq; ipsius adeò Ecclesiæ ingratitudine, variaq; hæresewn lernâ: ob quæ omnia pars* Orientalis Imperij Mahometi, *Anti-Christi extra eccl-siam: & occi-*

*den-*

dentalis infinitis devastationibus barbarorum, & ipso tandem Anti Christi, in Ecclesia sedentis, jugo, suppressa est. 2. Si nostra doctrina impijs hæreticis comparari debet, cur tuus Pareus in Irenico, nos in ea salvari posse scribit? Sin autem vestra doctrina, Crosi, vestri mores, & placita illis similiora fortassis sunt, deponite illa, ac mores corrigite; amplectimini Christum, aurea super illum, non straminea, ædificate præsidia: Et, ut verbo dicam, tropos & additamenta tantummodò in locis scriptura, in articulo de persona Christi, de baptismo, de Eucharistia, & de prædestinatione piorum ad vitam, & reproborum absoluta rejectione abjurate. Quod si feceritis, jam factus est consensus: sin recusaveritis non gravabimini, si pluris Deum, quam illius hostes, faciamus.

Dicat quis, num tropi sunt tanti momenti? sunt pacis impedimentum? verè inquam sunt. Nam articuli uniuscujusq; fundamentum jacitur ex propriis, non improprijs scripturæ testimoniis, quæ non sunt argumentativa, ut rectè Thomas, statuit. Quod tam verum est, si vel Photinianus tropis & glossis verbum non corrumperet: facilè cum illo consensus iniri posset. Tropis enim universos ferè articulos fidei, scripturaq; deprabant & enervant dicta.

Quarè intempestivè nobis Crocius ex Epist. Phil. 2. v. 1. & 2. Eph. 4. v. 1. pacis, lenitatis & tolerantiæ studium commendat: siquidem Apostolus de Christianis, unius fidei & doctrinæ, imbecillitate in moribus & conversatione adversus se invicem laborantibus; id prædicat: non de monitis hæreticis, pertinacibusq; veritatis osoribus & callidis hostibus: quos & Titum post unam & alteram admonitionem fugere vult Tit. 3. v. 10.

Antequam Crocius pergat suam admonitionem & adhortationem ad ineundam pacem & syncretismum, continuare;

muare; *inspergit quæstionem* de Coactione concilij, *quã* Pareus & *alios, non nisi synodos crepantes, tacitè refutat, hunc in modum scribens*: Præterea in antiqua Ecclesia, quoties controversiæ de religione natæ, componi non potuerunt, concilia fuerunt coacta. Neutra pars Protestantium (*accenset enim illis Calvinistas*) à legitimo concilio abhorret; Omnes complectuntur quatuor concilia Oecumenica: nec tamen, prout nunc sunt tempora & mores, concilium magnoperè & ex usu sperandum videtur, quum maximè sit animorum exacerbatio, tot partium studia, præjudicia, ambitio tanta, tanta superbia, pertinacia, contendendi ac vincendi libido, suffragia deniq; non ponderentur, sed numerentur. Hinc Nazianzenus jam sua ætate: Sic, inquit, affectus sum, ut malim omnes & Episcoporum conventus vitare, quia nullius synodi finem vidi bonum, aut qui magis tolleret mala, quam augeret. Nam cupiditas contentionis ac principatus & æmulatio (nec tamen me durum censeas sic scribentem) vincunt rationem, & citius aliquis judicans, de novo crimine ipse accusetur, quam alios corrigat. Propterea me reprimo, & hanc quietem amo, in qua non impeditur invocatio. Hinc & D. Paulus in controversia, quæ illi cum Judæis erat de religione; nolebat Cæsaræâ Hierosolymam redire. Hinc Athanasius in Concilio Cæsariensi. Maximus Episcopus Hierosolymitanus, & Julius Episcopus Romanus in Synodo Antiochenâ: Episcopi occidentales in Synodo Syrmiensi, Chrysostomus in Constantinopolitana à suis adversarijs coacta, protestantes in Tridentina comparere noluerunt. Et verò ad legitimum concilium non est aditus, nisi publica electorum, principum aliorumq; magistratuum interposita auctoritate omnes criminationes, condemnationes

tiones & anathematismi Theologorum vetentur, & pia, placida & pacifica veritatis ad salutem necessariæ scitu doctrina cum moderata errorum confutatione jubeatur.

A conciliorum *suspensione* rebertit Crocius *ad continuandam adhortationem, fundamento à lenitate, quam Apostolus 2. Tim. 2. v. 24 præcipit, arrepto: sed quam sit illud à præsenti negotio alienum, satis evidenter paulo ante fuit ostensum.*

*Deinde ab exemplis nonnullis confirmare conatur: utpote 1.* Dionysij Alexandrini & Hieronymi. *Resp. Non est mirum* Dionysium *laudasse & honorasse* Nepotem Chiliastam, *& quidem defunctum, quod Chiliastæ ab Ecclesia non articulis fidei multis & fundamentalibus dissentirent, nec mordicus errorem defenderent; quig unicus tantum fuit, scil. de mille annis ante nobissimum diem, quos Christum regnaturum in terra perperam arbitrabantur: atque ideo* Hieronymus *eos non damnabat, sed deridebet. Quid quod Calviniani nonnulli, ut* Piscator *in Analys. cap 20. Apoc. & fortassis ipse Crocius in Scripto contra Mentzer. eundem adhuc defendant? 2. Nullius quoq; terunij est alterum exemplum. Meritò n. & piè* Gratianus Imperator *pulsos à Valente in exilium, revocavit: qui cum esset* Arianæ *sectæ strenuus defensor, & persecutor ortodoxorum crudelis, ipsius impia facta à pientissimo Cæsare piè & rectè abolita fuerunt. Tertium exemplum, quod est* Constantini Magni & Licinij, *religionis pacem Christianis confirmantium: egregium scilicet est & solo Crocio dignum! Annon enim fuit* Licinius *Christianorum hostis acerrimus? Annon licet primum cum suo affine* Constantino, *pacem Christianis polliceretur & daret Christianus factus (ut habet Euseb. l. 9. c. 9.) postmodum illos pessimè est persecutus? Num ista sævities aliter, quam armis*

T

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0066
DFG

armis & sedari morte tyranni tanti quivit. Ibidem Euseb. c. ult. Quod etiam Constantinum Christianis pacem confirmasse scribit Crocius, & leviculis de rebus concertationes Episcoporum & querelas fuisse; scimus nos etiam & gaudemus. Quid enim istud ad negocium præsens? Erant enim illi Episcopi unâ veræ religioni addicti, quos de rebus politicis altercari, & ab invicem dissidere, ægrè tulit Imperator Christianissimus: ideoq; placida hac oratione & ratione, quâ, libellos eorum supplices combussit, & ad pacem cohortatus est, in viam eos reduxit. Euseb. l. 10. Histor. Eccles. c. 2. Histor. Tripart. ex Zozom. l. 2. c. 2.

Nec (IV.) est, quod jactet Novatianos à Catholicis in societatem assumtos. Quod vel tuus Danæus in comment. l. Aug. de hæres. satis refellit, inquiens p. 96: Certissimè quidem esse propagatam, quod cum orthodoxis in multis confessionis, & veræ fidei articulis, inprimis autem de Trinitate consentirent. Iraq; ab Arianis & Macedonianis persecutionem passi sunt Novatiani, ut scribit Socrates l. 2. c. 38. quemadmodum & ipsi vicissim inita cum Orthodoxis amicitia Arianos exegerunt, si quando poterunt. Ac parum abfuit, quin cum orthodoxis coadunarentur (secessionem enim ab illis fecerant, & seorsim suas Ecclesias & basilicas habebant) sed ut ait Sozom. l. 4. c. 9. & 21. livor quorundam obstitit, imo potius Dei providentia, ne in veræ sinum Ecclesiæ recepti suo dogmate senam doctrinam miserè labefactarent. Præterea, quod in disciplina & ceremonijs in multis ab orthodoxis dissentirêt. Et rectè. Teste Socrate l. 5. c. 10. dicente: Theodosius cujuscunque sectæ dogmate perlecto, cætera omnia, utpote Trinitatis unitatem demens damnat, lacerat: solam autem

όμοσ-

ὁμοουσίᾳ fidem laudat, approbat. Hæc causa fuit, cur Novatiani rursus prosperè rem gererent, conventusq; inter urbes agerent. Nam Imperator inter ipsos de fide (ὁμοουσίᾳ *scil.*) confessionem admiratus, lege edixit, ut suis ipsorum Ecclesijs securi potirentur: Ecclesiæq; eorum eadem haberent privilegia, quibus Ecclesiæ suæ ipsius fidei adhærescentes frusbantur. *Et l. 2. c. 30.* Per id tempus, cum qui Ecclesiæ fidem tuebantur (*orthodoxi*) tum Novatiani pariter erant exacti. Et quoniam Catholici in templis, in quibus coibant Ariani, versari abhorrebant: idcirco tribus alijs Ecclesijs (Totidem enim Novatiani in illa urbe habebant Ecclesias) unà cum Novatianis convenientes, mutuò inter ipsos preces peragunt: Parumq; aberat, quin fuissent unitatis & concordiæ vinculo inter se colligati, si Novatiani, quò vetus suum institutum servarent, non penitus recusassent. Sed tamen in alijs rebus tam singulari benevolentia & amore se mutuò complectebantur, ut alter pro altero lubens mortem vellet oppetere. Sozomenus *l. 4. c. 19. addit*, Decrevisse inter se deinceps communicare (κοινωνεῖν). *Fuit igitur 1. consensus de fide ὁμοουσίᾳ, non de rebus omnibus. 2. amicitia non nisi in precum & templorum communione viguit: quod omnia templa orthodoxis essent erepta: unde consensus, in fide & fraternitas cogi nequit. Sicut non sequitur: Lutherani & Pontificij alicubi in uno eodemq; templo precantur, aut sacra peragunt. Ergo in fide consentiunt. 3. Fuit fraternitas nulla fidei, sed tantum familiaritas quædam & conversatio quotidiana; qualis vel in multis urbibus diversarum religionum Germaniæ hodieque conspicitur. 4. Attribuit*

Euse-

Eusebius Novatianis *multam fraudulentiam, inconstantiam, perjuria, mendacia; ut verisimile sit, illos pys tunc ijsdem artibus imposuisse, quibus nunc Calvinistæ Protestantibus imponunt.* §. Danæus *ita mores & errores Donatistarum describsit p. 96. b & 97. ut impossibile esset orthodoxis, cum illis syncretismum in fide inire.*

*V. Vanum est, quod sequitur:* Imperator (*Constantius*) Synodum Sardicensem coegit, in qua Ecclesia occidentalis ab orientali, quæ in Arianorum castra discedebat, primũ divisa est (*& recte*) quum ante ob sententiarum (*quasi inter nos & Calvinianos, non de hæresibus & dogmatis prodigiosis, lis esset, sed sententiarum tantùm levicularum*) diversitatem scindi nollent. *Quin longius multò à nobis distant Calvinistæ quam Ariani ab Homousianis sive pys Christianis. VI. ait:* Christianorum internas lites sub Juliano Apostata conquievisse. *Respondeo, rectè dici, Christianorum inter se conquievisse lites: non quod hæretici cum Christianis coaluerint. Idemq; R. ad VII. exemplum, quod est* Joviniani Imperatoris, ad unitatem & concordiam cohortantis. *Socrates enim in Histor. Tripart. l. 7. c. 3. author est, Cæsarem id Macedonianis respondisse, non syncteris Christianis. Contentiosos namq; Macedonianos ad concordiam fidei brebiter incitat. Alienum est quoq; VIII. de* Basilij & Eusebij *contentione, qui distantes in quæstionibus religionis arcem non attinentibus, facilè reconciliari potuêre: sed quod* Eusebius Basilium Cæsareensi *Episcopatu ejicere tentabat, qui tranquillitati Ecclesiæ studens sponte secessit. Ne tamen sub* Valente Imp. *Ecclesia illa traderetur Arianis, schisma interfore Nazianzeno sublatum est. Vid. Sozom. Hist. Trip. c. 3. Idem de similibus aliorũ Patrum controversijs & dissensionibus esto judicium. IX. Frustra quoq;* Theodosium *ob-*

jectat Crocius, *cujus cum principalis, de restituenda pace Ecclesiæ, variis schismatibus laceræ, Christiana fuit, Hist. Trip. l. 9. c. 10. Ut autem schismata & dissensiones Ecclesiarum sustulit: sic hæreticos quosvis damnavit & ex imperio ejecit; tantùm abfuit, ut eos cum Catholicis coalescere pateretur. Quod vel ex exemplo tuo 4. de* Novatianis *inclarescit, ubi ὁμοουσίᾳ trinitatis fide probata, reliquas sectas damnat, & confessionibus earum laceratis, expellit urbe Hist. Trip. l. 9 c. 19 Similiter, X. ex* Nazianzeni *verbis* Crocium *absurditatis arguimus, & in ipsum ea retorquemus. Si enim Pater ille pius Christianos ad mutuam concordiam & pacem cohortatur, ne hæretici ex dissidiis illorum crescant: inferemus nostros homines esse ad mutuam concordiam animandos, ut Calvinianis alysq; veritatis hostibus masculè resistere possint. XI. Quid de* Attici, *Episcopi* Constantinopolitani, Novatianos *non damnantis, (non quod non essent hæretici: quomodò meritò damnati sunt: sed ob fidem Deitatis Jesu Christi, & communes persecutiones cum piis sustentas) facto sentiendum sit, ex quarto exemplo liquet. In quo etiam Episcopo singularis sapientia, hæreticos plus prudenti mansuetudine, mixta cum terrore, convertendi & ad Ecclesiam reducendi fuit, Socrat. Hist. Trip. l. 11. c. 2. XII. Pergit* Crocius: Theotimus, *dicens*, & Chrysostomus, Origenem & scripta ipsius condemnare noluerunt. *Resp. Quid tum postea? Controversia enim illis cum Epiphanio, non de hæreticis dogmatibus, sed* Origene *illiusq; scriptis intercessit, quibus Ecclesia carere potest: adeoq; plus personale fuit odium quam publicum. Nec tamen unquam, quod meminì, in historia Ecclesiastica reconciliatos fuisse legitur: sed potius contrarium; Illum scil. ab Episcopatu paulò post amotum, & hunc in illo ipso navigio & discessu obysse diem: quæ sibi*

*sibi paulò ante invicem fata prædixerant. Socrat. in Hist. Tripar. l. 10. c. 11. 12.*

*Regeras*, noluerunt scripta Origenis condemnare. *At nec nos, inquam, damnamus. Non enim fuit hæreticus, licet multa durius dicta, & fortassis etiam hereseωn semina in illis sparsa, lateant, de quibus præmonentur animi, ut legi cum fructu possint. Exemplum XIII. & ultimum, de* Augustino & Hieronymo est æquè frigidum. Nam ille dissensus, *in unica voce Gal. 2. (nempe de versione,* ἱστορῆσαι) *constitit, qui facilè componi poterat: non de fundamentalibus & præcipuis fidei articulis. Quis enim unquam audivit, aut illos cum* Pseudoapostolis, Simonianis, Valentinianis, Arianis, Macedonianis, Photinianis, Nestorianis, Eutychianis, Prædestinarijs *aut similibus concordiam injisse, legit? Poterat igitur alienâ ista probatione supersedere* Crocius & *laborì parcere.*

*Cum hactenus in scripturâ, &* Patrum *monumentis nihil præsidij repererit; jam ad* Majores *nostros progreditur, eorumq; subsidium implorat, emendicaturus, qui nullus est, fidei & fraternitatis cum illis consensum. Videamus autem, quid præstet.* Primò, *inquit, (quod sane verum est, sed nihil ad Zwinglianos, quos supra in omnibus Imperij conventibus & comitijs damnatos & rejectos accepimus)* Ideò constitutionibus imperij, recessibus, actionibus, mandatis & consiliis protestantium (*qui Lutherani fuerunt*) electorum, principum ac præcipuorum Theologorum jam pridē seriò & graviter, imò & antiquis Christianæ Ecclesiæ & Imperatorum constitutionibus & exemplis convenienter pax & concordia suasa est. Etenim inter Pontificios & Evangelicos (*qui Lutherani fuerunt, quibus urbes paucæ Zwinglianæ ad-*

*ea adjuncta sunt; quod supra ostensum est*) communiter pax religionis, anno 1529. in Comitijs Spirensibus, sancita, Norimbergæ anno 1532. repetita (*ubi toti Germaniæ, jam nullum dogma, præter Lutheri* (*accedentibus paulò ante tetrapolitanis ad Augustanam C. & Apologiam Schwinfurti, misso Zwinglianismo*) *& Pontificium agnoscenti, data est, usq; ad concilium, aut proximum Imperij conventum*) Ratisponæ anno 41. declarata (*ubi Zwingliani rursus excluſi sunt, ut supra ex Sleidano & Actis colloquij illius conventus docui*): ut & in Comitijs Augustanis de anno 1555. pluribus confirmata est; (*& Calviniana rejecta & exclusa est secta.*)

*Quoniam* Crocius *iterum Argentinensium & Tetrapolitanorum receptionem in fœdus Smalcaldicum urget, respondeo præter ea, quæ recitat* Sleidanus, *ex ipsius Senatus Argentin. Confessione dicentis*: Principum (*Aæ C.*) Confessionem suam (*Argentinensium*) esse Confessionem, *Zanch. Tom. VII. Miscel. col. 55. Vide prolixius* Hutterum *p. m. in* Concordia Conc. *contra* Hospinianum *fol. 276. Et in* Iren. *Christ. f. 128. 129.*

*A veritatis tramite quoq; longissimè aberrat adversarius scribens*, Philippum Hassiæ Landgravium, *anno 1530. cum* Helveticis civitatibus fœdus religionis pepegisse. *Nam de eo fuit, non de consensu in religione, teste* Sleid. *l. 7. p. 119.*

*Vanissimum est quod sequitur*: ordines Protestantium in condemnationem Zwinglianorum nunquam *consensisse: cujus contrarium ex superioribus patet. Urget Crocius conventum Wormatiensem anno 1557. habitum; quem consulturus suæ causæ, satius præterijsset. Ut in Nova Consideratione contra Joh. Crocium ostendetur. Vid. hist. Aæ C. Claudium à Sain. contra Bezam &c.*

Quid Naumburgo Calviniani reportarint & quomodo fue-

*futrint accepti, ipsi Electores, principes & status in praefatione Form. Conc. exponunt, quorum verba supra allegata sunt.*

*Familiarissima & mendacissima est Calvinistarum objectio, ex* Comitijs Augustanis *de anno 2566. qua Augustanae C. principes, Calvinianos & Electorem Palatinum, in pacem religionis suscepisse scribunt. Nam ad quaestionē, Num Electorem Palat. ro mēbro Aæ C. soc. cognoscant. R. Quod licet quoad articulum justificationis adhuc admittant, de cœna mysterio tamen id negent: sese q. in vero Aæ. C. sensu, qualis ille semper fuerit, permansuros statu promittunt. Petebat a. palatinus Elector in conventu quodam legitimo, ex verbo Dei erudiri. Cum vero in* Pacificatione Passav. & Comitijs Aug. *de anno 1555. penitus exclusi sint: hic tantum intercedunt status ulterius, quod scil. non cupiant persecutionem institui: qua multi innocentes, tam extra, quam in Imperio tolli possint: id quod Pontificij per* Cardinalem Commendonem *flagitabant. Quibus accedebat, quod Palatinus Elector sese adhuc dubium declarabat, non pertinacem hostem.*

*Frustra instat* Crocius, Lutherum *prohibuisse condemnationes* Zwinglianorum, *anno 1529. & 1537. in literis ad* Helvetios. *Contrarium vero, quod videlicet nolit fieri sacramentarius, clarissimè testatur in literis ad* virum nobilem, *anno 1534. exaratis, quae extant Tom. 6. Jen f. 17. Testatur ipse* Bucerus *in literis ad* Comandrum, *quibus* Bulingerum levitatis damnat, affingentem Luthero (quod & ipse Bucerus aliquando fecerit) sententiam, in qua ille nunquam fuerit. *Et ipse adeò* Luth. *in scriptis, de anno 1544. inquit.*

Es ist mir auch wol zuuor offt angezeigt worde/ als solten sich die Schwärmer rühmen/ Ich were mit jhnen eins/ welchs ich nicht habe wollen glauben/ aber mit dieser weise/ solte mir wol der

Glaube in die Hände kommen / ehe ich mirs versehe. *Atq; adeò ex pacificatione VViteb. factum est, ut Lutherus lenissimè scriberet Helvetijs, quos putabat conversos. At re intimè visa, noluit committere, ut Ecclesia decepta fuco impostorum, à veritate deficeret. Videātur etiam literæ ad* Jacob. Præpositum, *Concionatorem* Bremensem. *Alibi scribit* se dogma Zvvinglij & Oecolamp. damnare, sed personas Dei judicio committere. *Eâdem laborant vanitate, quæ inspergit de* Jacobo Andreæ & Brentio, *quòd* condemnationes Zvvinglianorum inhibuerint: *quos ijs ipsis scriptis, quæ adversarius citat, damnarunt. Denig,* Philippi *literas & scripta, post obitum Lutheri edita, ad Calvinianos plus justo inclinantis, nihil moramur.*

*Otiosè & præter rem,* repetit adversarius conventum Schvinfurtensem, *quo à pace & fœdere excluſos accepimus esse Zvvinglianos.* Augusti electoris, *Ducum* Lunæburgensiū, Philippi Hass. Landgravij, *sive literas, sive colloquia, sive alia, momenta, quibus Calvinianis de pace caverint, ubi protulerit* Crocius, *respondebitur. Nuda n. illius assertio, sine literis, aut monumentis ullis, nobis minimè satisfacit. Cujus valoris, & quo astu impetrata sit interceſsio principum, & Theologorum consensus pro captivis in Gallijs, alibi patefiet.*

*Quod ulterius clamat* Electorem Augustum *excellentissimæ memoriæ, Calvinianos commendasse* Henrico Tertio, *ut pietatis veræ amantes & fideles cives, indicium est, (si modò vera refert* Crocius) *misericordiæ, & charitatis officium, quæ etiam hostibus & gentilibus debetur: non verò approbatio dogmatum impiorum. Quo verò animo fuerit erga Calvinistas, ex remotione Theologorum Pseudo Lutheranorum VVitebergēsium, præterito anno facta, liquet: item ex zelo & cura, quâ promovit opus Christianæ concordiæ, & tum & seqq. annis,*

De

De quibus prolixissime consuli potest Dn. D. Hutterus in Concordia Concordi c. 7. f. 59 60. 62. 66. ubi querela ipsius Electoris de Calvinistis VVitebergensibus refertur. Et c. 9. f. 75 & seqq. quo acta illius anni in præparando & adornando libro concordiæ recitantur. Ejusdem loci & argumenti, utiq; & Daniæ Regis, qui semper summo zelo Calvinistas aversatus fuit, erunt literæ: Illustrissimus Princeps Fridericus, Comes VVurtemb. & Mompelg. in Præfatione Colloqui. Momp. lit. B 2. Legationem in Galliam pro exulibus illis (rogatu à magnis viris) suscepimus; non quod ipsorum errores quos in religionis negocio habent, approbaremus: sed quod illis cõdolebam9, qui propterea patrijs sedib9 pulsi, in exilio vagantur, quod Pontificis Rom. tyrannidẽ in Ecclesia, multiplicemq; Idolomaniam Pontificiam aversantur &c. Deniq; criminationes in Imperij conventibus prohibitas esse nobiscum: quibus utinam Calviniani consimiles viverent, & Jesuitæ! Utinam majori candore & veritatis studio inquirenda & probanda agerentur, & fortassis haberemus res nostras tam religionis, quã regionũ florentiores! Interim hoc observandum est, licet criminationes, famosos libellos & quasvis cogitationis partis adversæ cane pejus & angue oderimus: Veritatis tamen tuendæ causa, non modò necessarium, sed piam quoq; esse, sacris persuademur literis; justo zelo adversus hostes Christi flagrare pios, justasq; inimicitias, adversus semen malum veteris serpentis, Christi membris, mulieris sanctæ corpori, insidians, exercere. Nemo enim potest Deo simul adhærere & veteris serpentis semini. Quæ enim communio luci cum tenebris? Athenis & Hierosolymis? Hæreticæ & Christianæ? Certè gravissima vox est Christi Matt. 7. 15. Apoc. 22. 15. Salomonis Cantic. 2 15. Pauli, 2. Tim. 4. 1. Joh. Epist. 2. 10. & aliorũ alibi. De Pseudoprophetis non nisi pacem

*crepantibus nos præmonet Dominus apud Ezech. cap. 13 v. 9:* Et erit, *aiens* manus mea super prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium: in congregatione populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur: & scietis, quia ego Dominus Deus. Eo quòd deceperint populum meum, dicentes: pax, pax, & non fuit pax: & ipse ædificat parietem, illi autem incrustant eum calce non rectè mixta. *Et profectò pax sacramentariorum, non absimilis est paci Israelitarum cum Chananæis, Jud. 2. v. 1. & seqq.* Hæc perspiciens Nazianz. *gravissimè scribit Orat. 1. de Pace:* Scimus, uti dissensionem, quandam optimam, ita & pernicioſissimam pacem sive concordiam: sed eam bonam esse novimus pacem, quæ Bono & ipsi Deo nos conjungit. *Meminerimus igitur cum Ezech. c. 22. v. 26.* inter profanum & sanctum distinguere, mundum ab immundo discernere. *Et cum Jer. c. 15. v. 19* separare pretiosum à vili, *cum Christo,* semina à Zizanijs.

*Quapropter sectemur omnes pacem, sed in Domino fundatam, simus pacifici, ut videamus Dominum: oderimus sedere in Cathedrâ irrisorum (veritatis,): ne in judicio, ut gluma dispergamur, & via nostra pereat. Verùm ut receptui tandem canamus: Cum ex his omnibus, B. L. facilè perviderit, quam inanem, ne dicam impiam, operam adversarius, in conciliandis dogmatis, plus aqua & igni, inter se dissidentibus, navârit: Quodq; non veritas ipsi cordi sit, sed dogmatis sui incrustatio & cum falsitate veritatis mixtura: meritò ejusmodi dogmata & scripta fugere & Christianæ orthodoxiæ adhærere immotus, animabitur.*

PERSE-

# PERSEVERANTIAE SANCTORUM CHRISTIANÆ L. I. CAP. I.

*Miserat ante paucos annos* Petrus Bertius, *antehac* Calvinianus Arminianus Belga: *nunc vero Anti Christiani papatus defensor acerrimus*, *Tractatum* de Perseverantia sanctorum, *quem* Hymæneum Desertorem *inscripserat*: *cui* LUDOVICUS CROCIUS, Doctor ac Professor in Ecclesia & Schola Bremensi, *Libros septem* dogmaticos & Apologeticos *opposuit*; *verum ita, ut non tantum* Bertium, *sed etiam* Augustanæ Confessionis genuinæ *ac veræ puras Ecclesias & Doctores*, *apertè oppugnarit*, *argumenta & locæ scripturæ*, *quibus utuntur*, *incidere & enervare conatus fuerit*, *& testimonia nostratium vafrè & fraudulenter citarit. Cum autem hisce libris à* Calvinianis *multum tribuatur*, *& nostra argumenta pleraque miserè pervertantur*, Calvinianorum Prædestinaria *mirè incrustenter*: *placuit*, Bertianis Bertio *relictis dictos* Crocij libros, *quæ nostrates infestant*, *solius veritatis inquirendæ & tuendæ gratia*, *modestè & citra ullam Authoris infectationem*, *aggredi*, *ac*, *quid verum*, *quid falsum sit*, *breviter & clarè proponere*.

*Qui labor, etſi magis eſt exercitati Theologi, quam juvenis, tamen, cum quemvis id agere deceat, ut ſeſe ad Eccleſiæ commodum ac propagationem, pro modulo & viribus, præparet, ac præter alios eo etiam ſine, noctes atq; dies in lege Domini meditari debeat: nec mihi vitio verti à cordatis poteſt & debet, ſi præſentem laborem adortus fuerim; præſertim accedentibus Præceptorum aliorumq; virorum clariſſimorum, ac religionis propugnatorum acerrimorum monitis & adhortationibus, quibus in tela cepta alacriter currere inſtigor.*

Porro: *ne mihi* Crocius *aut alius objiciat, ſcriptum adverſarium jam dudum fuiſſe emiſſum, ad quod nimis ſerò reſpondeam, is noverit menſibus paucis ante, ad meas demum perveniſſe manus; noverit & id verum eſſe, quod dicitur*, ſat cito, ſi ſat benè

*Oro autem & obteſtor* Crocium, *ubi reſponſurus eſt, ſuæ admonitionis, etiam atq; etiam memor ſit, ſic ſe habentis p. 10.* Oro fratres & quoſcunque, qui hæc legent, præjudicia ponant, & non perſonæ cum perſonis, ſed cauſa cum cauſa, ratio cum ratione congrediatur, & dicamus omnes cum pio doctore; ſi debilior es ſequere; ſi fortior, præcurre: vbi pariter certus es, perge nobiſcum vbi errorem tuum cognoſcis, rede ad nos. *Conſiderare quoq; & recordari illorum velit, quæ* libro *5. c. 1. pag. 379. 380. contra* Hyperaſpiſten Bertij ediſſerit.

Methodi *rationem, quod concernit, ea utemur, ut* I. ſtatum controverſiæ verum dextrè & clarè explicemus. II. Argumenta & demonſtrationes Crocianas, Libro primo & ſecundo propoſitas, incîdamus, & quorſum faciant oſtendamus: III. Noſtra argumenta & Spiritus Sanc̃

Sancti armaturam, quam libro Tertio nobis intercipere conatur, propugnemus & muniamus IV. quæstionem, An justitia, quæ deseritur, sit vera & salvifica justitia, dispiciamus. V. Quæ in reliquis Libris contra nos, sive directè sive indirectè faciunt, percurramus & expugnemus. Denique VI. Præfationem Crocij ad illustrissimum & celsissimum Holsatiæ Ducem, examinemus in præfatione nostra, ac consensum Calviniſtarum, nobiscum in fide prætensum, atque multoties ab illis, jactatum destruamus, & ex fide dignis autoribus dissensum solide contestemur.

*Faxit Deus omnium bonorum largitor & fons inexhaustus, per & propter Christum, filium suum dilectum, ut omnia ad suam gloriam, Ecclesiæq; emolumentum & ædificationem cedant: qui me cum omnibus fidelibus suo spiritu & gratiâ confirmare, juvare, & regere semper velit.* Amen.

---

# DE LIBRI PRIMI CAPITE PRIMO.

*Etsi caput hoc primum possemus prætervire, ut quod nec ad statum controversiæ docendum, nec ad rem ipsam ac propositam metam acquirendam magni faciat: nonnulla tamen ἐν παρόδῳ notanda observabimus. Ceu Primò, quod pag. 2. scribit* Crocius, magni esse laboris, ut etiam in seipso quispiam de sua (*fidei*) sinceritate sit certus: nec minor aut etiam major de constantia.

*At verò inquam*, Croci, *velut non dubito*, tam fidei quam constantiæ certitudinem, *esse ingens Spiritus Sancti donum, & ab homine fideli ad sui probationem requiri (teste* Apostolo *col. 2. v. 6. ubi ait:* Quemadmodum igitur accepistis Christum Jesum Dominum, ita in eo ambulate, v. 7. sic ut radices habeatis in illo, fixas & in illo superstruamini confirmeminique per fidem, sicut edocti estis, exuberantes in ea cum gratiarum actione. *Et quantum donum sit docet in Epist. ad Eph. 2* 8. Non ex vobis Dei donum est. *Et Christus ipse Matth. 16. v. 17.:* Caro inquit, & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus in cœlo. *Confer & Petrum Epist. 1. c. 1. v. 3. 4. 18. 20.*) *sic scriptura* de utraque *hominem confirmat. Nam de* sinceritate Fidei *testatur totus codex sacer, testatur ipsa veritas:* Hæc *inquiens*, est vita æterna, ut te cognoscant verum Deum, &, quem misisti, Jesum Christum, *Joh. 17. v. 3.* Hic est lapis ille, qui factus est caput anguli. Nec est in alio quoquam salus *Actor. 4. v. 11. 12.* Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit *Marc. 16. v. 16.* Qui non credit jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filij Dei *Joh. 3. v. 18. Ipse est* propitiatorium nostrum *in sanguine suo, nobis à patre propositum Rom. 3. v. 24. 25. Testatur de sinceritate fidei ipsum denig, symbolum, sacramenta, & reliquæ Catechismi partes, ex scripturâ deductæ. Quin solum symbolum abundè certos fecit veteres nostros Germanos Trevîris adhabitantes ita ut quicquid illi consentiret receperint: siquid dissonaret, obstructis auribus repulerint, Irenæo teste. Nec minus de* Constantia Fidei, *non quidem* fatali, *quæ ex Electione absoluta, & Spiritus Sancti assistentia immutabili fluat: verum conditionata conditione servatæ*

*ſervatæ fidei, certus eſt & erit homo renatus; idq; quatenus ductum ſpiritus per verbum trahentis ſequitur, nec à verbo illius recedit. Ut enim Os veritatis ait, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvabitur Marc. 16. v. 16: ſic idem gravißimè aſſeverat Matth. 24. v. 24.* qui perſeveraverit uſque ad finem, ſalvus erit. *Et apoc. 2 v 25.* Id quod habetis tenete, donec veniam. *v. 26.* Et qui vicerit & cuſtodierit uſque ad finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes. *Conf. & verſ. 3. 5. 11. 21. Et v. 10.* Eſto fidelis uſque ad mortem. & dabò tibi coronam vitæ. *Et ne dubitemus verbum & ſacramenta inſtituit, teſtificantia de ſalute noſtra, adeoq; ſex immoti teſtes: tres cœleſtes & tres terreſtres, de ea teſtimonium perhibent, Joh. 5. v. 7. 8: idq; partim* In nobis, *partim* extra nos. *Hi ſunt certi ſalutis ſponſores, certa pignora. Adeoq; ſi de fide & conſtantia dubitaverit Crocius, totius ſui libri ſcopum & metam una liturâ delebit & tollet.*

*Deinde Gravis & iniqua cenſura eſt iſta, cui p. 3. nos, imò omnes fideles ſubijcit inquiens:* Qui vero ſanctorum Apoſtaſian tuentur, de illis & alijs religionis capitibus non videntur unquam rectè ſentire poſſe. *Quidni Croci? Quin fide articulos, relegata fatali & immutabili* Perſeverantiæ neceſſitate, *ſincerè tuebuntur, & Chriſto incarnato, in verbo ſpectando, cum majori fiduciâ* adhærebunt. *Neq; enim articuli reliqui ex Perſeverantia ſanctorum immutabili, ſed ex verbo Dei petendi & æſtimandi veniunt: quod non immutabilem Perſeverantiam, nec abſolutas, ſed conditionatas de ſalute noſtra promiſſiones exhibet.*

*Verum, quam tu diſſentiendi cauſam profers?* Omnino, *inquis,* non meliore conditione, imò ſequiore locant hominem in Adamò ſecundo, quam in primo poſitus fuerat.

rat. In illo quidem finceram virtutem in creatione, sed ex arbitrio nostro mutabilem accepimus: sed in Christo finceram virtutem restitutam, cui constantiæ donum coadditum fuit. Id aliquoties in libro tuo repetis.

*Resp. 1. Discrimen* Grocianum *inter* Adamum primum & secundum *est omnino falsum & scripturæ ignotum: erit igitur adversario probandum.* Deinde, *etsi quidem discrimen inter utrunque Adamum prolixè traditur Rom. 5. & 1. Cor. 15. §. 45: tamen in eo absolutæ & immutabilis Perseverantiæ nulla fit mentio: sed redemptionis mysterium, bonorum Spiritus Sancti copiæ & exuberantiæ summæ, ac denique utriusq; Adami qualitates describuntur.* In primo *enim Adamo unico omnes homines peccarunt & mortui sunt Rom. 5. §. 12. 13. 14.* hic *itidem unus, semel moriendo justificabit omnes §. 15.* In illo *ex uno delicto plures mortui sunt ibidem*: in hoc, *ex pluribus delictis pacificatis, vivunt multi, §. 18.* Ex illius *unico mors regnabit in omnes*: in hoc & ex *hoc gratiæ exuberantia (quoad acquisitionem) super omnes venit §. 17. Et quemadmodum* ille, *per inobedientiam, gratiam & justitiam amisit, & peccatores constituti sunt multi: sic per* hujus *obedientiam justi constituuntur multi.* Ut in illo *gratia fuit mutabiliter Gen. 2. §. 17. sic quoque* in nobis, *Christi membris. Confer. 1. Reg. 8. §. 25. c. 9. §. 4. 6. Gen. 17. §. 14. Ios. 24. §. 31. Joh. 8. §. 32. Matth. 18. §. 32. 35. Rom. 8. §. 13. c. 11. §. 22 23. Apoc. 2. §. 5. Comparatur porro, uterq;* Adamus *respectu hujus & futuræ vitæ 1. Cor. 15. §. 45. idq; potissimum* quadrupliciter. Primò ratione formæ, & finis. Nam ille factus fuit in animam viventem *Gen. 2. §. 7. qua ratione plena & imaginis divinæ ornamentis ditatus, vivere in hoc mundo, non quidem vitam spiritualem debuit: quæ alteri vitæ reservatur:*

*reſervatur: ſed animalem, ex conjunctione animæ & corporis, quæ officijs animalibus functus fuiſſet, in generando, cibo & potu aſſumendo, alijſq; rebus præſtandis.* Poſtremus Adam in ſpiritum vivificantem, *perhibetur, quod non tantum nos à peccatis redemit, & ſuo ſpiritu vivificavit, ſed hic loci præcipuè iſto Epitheto honoratur, quod ſit author ſpiritualis vitæ, quam ſuis Electis à morte reſuſcitatis conferet.*

Secundò ratione ortus. Primus homo fuit terrenus, *delimo terræ factus, nec tamen corruptioni obnoxius, niſi prius præcepto divino violato.* ſecundus Adam Dominus de cœlo, *non quidem reſpectu corporis: quod non de decœlo fuit, ut* Anabaptiſtæ & Valentiniani *blaſphemarunt, ſed ex ſubſtantia Deiparæ Virginis, ideoq; reſpectu materiæ etiam terrenum: verum 1. ratione Deitatis 2. unionis perſonalis, & donorum divinitatis propriorum communicationis, qua & Dominus de cœlo, Jehova & Rex regnans ad dexteram Dei, ſecundum humanam naturam eſt factus.*

Tertio; reſpectu ſimilium effectorum & imitationis. Qualis eſt terrenus, tales ſunt terreni. *Licet enim Adamus ante lapſum nullis peccatis & malis fuerit expoſitus, nec ſi talis manſiſſet, exponendus fuiſſet, tamen lapſus audivit, quod terra ſit, & ob peccatum ad terram reverti debeat. Quinimo, etiamſi natura ipſius nõſit peccatũ aut mala creata: tamẽ Dei iſta ſententia oſtendit, ipſum cum ſuis poſteris terrenæ ſiſtaturum, naturâ ad bonum deperdita. Sic* ſecundi Adami poſteritas, *qui veri fideles ſunt, per verbum & ſacramenta regenerati, & à Spiritu S. renovati & fide donati, ſui ſecundi Adami incorruptibili & ſanctæ vitæ inſiſtunt & vivunt in æternum.*

Quarto; ratione ordinationis divinæ. *ordinavit n. &*

*placet Deo, ut qui imaginẽ Adami corrupti gessimus Gen. 5. 3. vitam animalem vixim⁹ & gloriâ imaginis divinæ caruimus Rom. 3. 23. indeq; morti facti obnoxij fuimus; etiam imaginem secundi Adami gestemus in justitia & sanctitate verâ æternaq; gloriâ: quippe qui nostra corruptibilia corpora suo glorificato corpori conformabit Phil. 3. 21. Concludit itaq; Apostolus* carnem & sanguinem, *hoc est, homines animales & in corrupta vita & carne viventes* vitam æternam non ingredi posse, & hæreditatem adire. *Proinde quemvis pium ad strenuè pugnandum, & ut stabilis atq; immobilis perseveret, hortatur. Nulla hic immutabilis sanctorũ perseverantia, nullum semper - assistens spiritus præsidium, in gratia eos retinens, quicquid etiam agant, fingit potest.*

3. Alia, *est certitudinis notitia respectu Dei*, alia *respectu nostri. Ipse absolutè & per essentiam, qui perseveraturi sint novit; nos non absoluta & simplici immutabilitate, sed quatenus scriptura & Spiritui Sancto obtemperamus duci.*

Tertiò: *quorsum hoc tendit*, Croci, *quod p. 4. scribis* multos sincerè fideles esse, qui tamen de eo (*Perseverantiæ dono*) dubitant? *At qui* dubitat non est in fide, *Jacob. c. 1. v. 6.* Item *hac verba, quæ effutis p. 5. inquiens*: Fatendum verò quoque est, in non nullis DOGMATIBUS nondum satis esse explicatta omnia, forte etiam in hac resi. dua caligine explicari non posse satis. *At, mi* Domine Doctor, *si tu cum socijs dubitas, cur nostram doctrinam tam hostiliter infectaris? Dubitandi autem causam de fidei articulis, fide salvifica & ipso etiam perseverantiæ & electionis nostræ in Christo mysterio, Spiritus S. nobis nullam reliquit; quippe qui non tantùm omne consilium de salute nostra revelavit Act. 20. v. 27. omniaq; explicavit Ps. 19. v. 9.*

ut

ut scripturæ hominem plenissimè ad vitam æternam erudire possint, Tim. 3. v. 16. 17. Verum etiam de Electione & perseverantia in fide & afflictionibus nobis abundè cavit & munivit; ut infra audiemus 2. Idcirco inter particularia scripturæ dicta, revelationes & visiones, & inter articulos & dogmata fidei accuratè, distinguas oportet. Illæ non unam ob causam nos latere possunt; hæc patent, & fides nostra in illis πληροφορίαν certamq; fiduciam habet, Joh. 20. v. 31. Rom. 4. 21. c. 5. 2. 3.

Nec tuum argumentum ex naturæ haustum, in qua sint adhuc multa arcana, nondum inventa & revelata, p. 5. nos terret; cum necessariò discrimen magnum, inter res abditas naturæ, quæ ad salutem non sunt neeessariæ scitu & dogmata fidei divina, sine quà nemo Deum videre, nemo placere potest, sit constituendum. Tu pene naturam salutis dogmatibus æquiparas, à quibus infinitis parasangis distat; præsertim post lapsum, ubi non tantum plenè cognosci & perspici à nobis nequit, ut ab Adamo ἀναμαρτήτῳ in paradyso poterat: Verum etiam perobscura nobis est, ac scientia nostra debilis, quæ malè habitat, pessimeq; sæpe usurpatur.

Neq; à nobis diversum sentit Irenæus lib. 2. c. 47. quem in arenam producit Antagonista: sed placidè & plenè consentit. Ut enim verè scribit: si ergo in rebus creaturæ quædam quidem eorum adjacent Deo, quædam autem in nostram pervenerunt scientiam, quid mali est, si & eorum, quæ in scripturis universis spiritualibus existentibus, quædam quidem absolvamus secundum gratiam Dei, quædam autem committamus Deo &c. Et quæ Deo com-

*scitenda sint quæstiones ait esse in scriptura nõ revelatas, non decisas; quæ nec ad salutem pertinentes: qualis ista est, quam Irenæus exempli loco addxit,* Quid Deus egerit antequam mundum fecit. Ut, inquam, verè scribit quædam non esse revelata, non decisa, sic ibidem subijcit; Si ergo secundum hunc modum, quem diximus, quædam quæstionum Deo commiserimus & fidem nostram servabimus & omnis scriptura, à Deo nobis data, consonans nobis invenietur, & parabolæ his, quæ manifestè dicta sunt, consonabunt, & manifeste dicta absolvent parabolas, & per dictionum multas voces, unam consonantem melodiam in nobis sentiet. Vide Nicolai Gallasij Notas *ad hoc caput fol. 173.*

*Nec* Jobi *locus capite 10. amicos acerbius objurgantis, huc quadrat. Non enim ab articulis fidei, tunc multa quam nunc (ubi sub clara Novi T. luce clarissimè fulgent & radiant) obscurius ex tantibus aberrabit: verum aspera conversatione & impatientia, quam dolorum acerbitas & gravitas causabatur, impulsus, illud vocum, quicquid est, evomuit.*

# CAPUT II.

## De statu controversiæ vero.

*Quod veteres de* Tertulliano *memoriæ prodiderunt, ipsum videlicet quoties cum Adversarijs descendere in arenam voluit, certis cancellis & lineamentis rei propositæ quæstionem inclusisse: id cum ubiq; tum quoq; in præsenti materia apprimè necessarium esse apparet. quid enim*

genuino

genuino & vero vei scopo & meta posthabita posset certi desiderii? Ad verum igitur indagandum controversiæ statum nonnulla Calvinianorum ipsorum testimonia proferemus. Primus sit ipse Joh. Calvinus qui l. 3. Instit. c. 2. sect. 12. scribit: Hoc interim tenendum est, quantumvis exigua sit ac debilis in Electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa in illis nota est ac sigillum suæ ad optionis, nunquam ex eorum cordibus deleri posse ejus sculpturam; reprobos vero tali luce aspergi, quæ postea dispereat. *Et sectione eadem hoc posterius clarius exponit, distinguendo inter communem & perpetuam vivacemq; fidem, scribens:* Quod nisi à communi fide multi excidarent (communem appello, *inquit*, quia magna est similitudo & affinitas fidei temporalis cum viva & perpetua) non dixisset Christus discipulis, si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis. *Sect. ibidem 17.* Qualemcunque in modum afflictentur decidere ac desciscere negamus à certa illa, quam de misericordia Dei conceperunt fiducia. *Sect. 24.* Neque tamen inficior, quod nuper dixi quasdam interdum interruptiones fidei contingere, prout ejus imbecillitas inter violentos impetus huc vel illuc flectitur, Ita in densa caligine tentationum suffocatur ejus lumen. Quisquid tamen accidat à quærendi Dei studio non desistit. Piscator *contra Schafman. P. 12:* Decimum doctrinæ nostræ caput est, ait, NULLIS FLAGITIIS renatos fidem perdere *Et P. 160.* Ne David quidem, adulterio homicidioque, nec Petrus Domini sui abnegatione Spiritum Sanctum perdidit. THEODORUS BEZA *Resp. 2. ad Acta colloq. Mompelg. P. 74* Etiam, inquit, Lothus incestuosus fuit justus, *Et P. 78:* Non fuit David regenerationis spiritu,

spiritu, quem prorsus amisisset, rursus donatus, sed qui consopitus in ipso jacebat, fuit divinitus ministerio Nathanis excitatus. Iterum; Non dixi, *inquit*, Davidem perpetrātem adulterium, *sive in* adulterio perpetrato fidem & Spiritum Sanctum retinuisse: sed illum dixi, quamvis adulterum atque etiam homicidam (quæ fuerunt carnis non spiritus opera) QUONIAM ELECTUS erat, ALIQUID SPIRITUS S. & fidei in eo fuisse servatum, aliquandiu SOPITUM Dominus tamen rursus excitavit. *Idem quoq; docent Trelcat. in Instit. l. 3. Loco de fide.* Zach. Ursinus *T. 1. fol. 114.* Bucan. *l. instit. de Fide quæstion 27. ubi ait*: Fides accipere potest decrementum, veluti deliquium pati, ut nonnunquam variatur in tentationum procellis concutiatur, obscuretur, obruatur, languida fiat, imò etiam in sanctis haud aliterquam in ebrijs & infantibus ratio (*Qua similitudine &* Beza *in Actis* colloq. *Mompelg. p. 464. usus fuerat*) sopiatur & sepeliatur: sicut in Davide cum admisit adulterium: & in Petro cum ter abnegavit Christum, sed tamen nunquam penitus excidit. Polanus in syntag. Theol. *l. 6. c. 45. fol. 483.* *scribit*: Nec ea fide (*salvifica Electi*) unquam penitus excidere possunt. *Partes ejus duas esse ait. Primam* perpetuum propositum seu perpetuam voluntatem perseverandi in bono. Rursus: Peccant quidem etiam Electi renati, atque interdum gravissimè; ac propterea excidunt interdum gratia Dei & fide: sed primo non Omni: secundo, Non in perpetuum. *Vide* eundem *in c. 18. Ezech. p. 442.* Scarpium *in Cursibus Theol. col. 822. & col. 856.* Eglinum *in Assertione Orthodoxæ Doctrinæ de peccato in Sp. S. Parei Epist. ad Rom c. 11. Col. 1151. & seqq. ubi isthæc habentur*

tur verba: quod fides vera nunquam excidat aut deficiat PENITUS: sed conjuncta sit cum Perseveraptia TOTALI & FINALI, ita ut licet in lapsibus sanctorum aliquando FORIS deficiat fidei actus: INTUS tamen nunquam PENITUS deficiat fidei HABITUS Hæc Pareus, *qui tamen in* Irenico *valde lubricus incedit c. 28. p. 261. Idem statuit &* Barthol. Keckerm *in system. Theol. l. 3. p. 340. & 354. Edit Hanob. anno 1615.*

*Ac ne plura testimonia nobis sint conglomeranda publica confessio* Calvinianorum *prostat, publicusq; & unanimis consensus in* Actis synodi Dordrechtanæ *orbi manifestatus exhibetur: idq; tam à singulis singularum nationum Calvinismo infectarum Theologis* quam *ab universa illa synodo Prædestinaria. Pag. enim 373. synodus has Doctrinas,* ut erroneas, damnat: *Primam eorum, qui docent* Perseverantiam vere fidelium, non esse effectum Electionis &c. Nam sacra scriptura testetur, eam ex electione (absoluta) sequi. *Tertiam*, qui docent verè credentes & regenitos, non tantum à fide justificante, item gratia & salute TOTALITER ac FINALITER excidere, sed etiam reipsa non raro ex ijs excidere atque in æternum perire. Quartam, qui docent vere fideles ac regenitos posse peccare ad mortem, vel in Spirirum Sanctum. *Septimam*, qui docent fidem temporariorum à justificante & salvifica fide non differre, nisi sola duratione. *Octavam*, qui docent non esse absurdum, hominem, priore regeneratione extincta, iteratò, imo sæpius renasci. *Qui inquam* ita docent, eos, tanquam errantes circa fidem, reijciendos *esse sentit synodus, & manuum suarum subscriptione confirmat*

mat universa p. 377. 378. 379. 380. 381. Huc quod facit scriptum Parei synodale Actis synodi insertum P. 318. cui ob illud gratiæ decretæ & actæ sunt P. 329. sess. 101. Huic tam universæ synodi & exterorum Calvinianorum Theologorum, quam eorum, qui in confœderatis provinciis Belgicis habitant, sententiæ, Crocius ipse lib. 1. de Perseverantia sanctorum c. 3. concluſ. I. II. V. VII. IX. P. 40. & seqq. arctè consentit.

Perspecta Calvinianorum & Crocij opinione, reliquum est, ut, quæ ambigua sunt in terminis & vocibus, evolvamus, ne illis capti & à veritatis abducti tramite, decipiamur & erremus. Præcipuè verò ambiguitas in hisce occurrit sequentibus: ut primo, quod Calviniani nullum discrimen inter Renatos & Electos, rei præsenti conveniens, agnoscunt. Itaq; Electos non nisi illos arbitrantur, quos absolutè gratia, absq; meriti Christi & fidei, tanquam causarum intuitu & inclusione, elegerit Deus. Sic enim decernunt Bremenses in synodo Articulo 7. P. 344. Est autem Electio immutabile Dei propositum, quo ante jacta mundi fundamenta, ex universo genere humano, ex primæva integritate in peccata & exitium sua culpa prolapso, secundum libertimum voluntatis suæ beneplacitum, ex mera gratia certam quorundam hominum multitudinem, alijs nec meliorum, nec digniorum, sed in communi miseria cum alijs jacentium, adsalutem elegit in Christo, quem etiam ab æterno mediatorem, & omnium electorum caput, salutisque fundamentum constituit, atque ita eos ipsi salvandos dare, & ad communionem per verbum & spiritum suum efficaciter vocare ac trahere, seu vera in ipsum fide

de donare, justificare, sanctificare, & potenter in filij communione custoditos, tandem potenter glorificare decrevit ad demonstrationem suæ misericordiæ & laudem divitiarum gloriosæ suæ gratiæ. *Quæ vero hic obscura sunt, thes. 9. sic interpretantur.* Electio non est facta ex prævisa Fide tanqnam CAUSA. Item: Electio est fons omnis salutaris boni: unde fides, sanctitas, & reliqua dona salvifica, denique ipsa vita æterna, ut fructus & effectus ejus profluunt. Nam quod aliqui in tempore fide à Deo donantur, ab æterno ipsius decreto provenit, *th. 6.*

*At, nos cum* Augustanæ confessionis socijs in Formula concordiæ, *veram Electionis sententiam, non in arcano Dei consilio, esse scrutandam, sed in verbo Dei revelato quærendam & meditandam censemus. Verbum à Dei docet, quod* Deus OMNES sub incredulitatem concluserit, ut omnium misereretur *Roman. 11. v. 32.* Quod nolit quenquam perire, *sed omnes ad* pœnitentiam veniant & salventur *2. Pet. 3. v. 9. 1. Tim. 2. v. 4. Testatur*, Deum sic dilexisse mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joh. 3. v. 16. Quare falsum est* deputatorum Bremensium *enunciatum, quod videlicet Christus sit* tantum *Electorum caput & mediator constitutus. Nec verum est ipsum credentium & Electorum duntaxat misertum esse.*

Deinde: cum Electio sit actio divina, qua Deus ab æterno, illos homines, quos Christum, ministerio spiritus, fide in ipsius infinito merito apprehensuros, & finaliter credituros prænovit, ex mera gratia, citra ullum illorum meritum, immutabiliter elegit & prædestinavit, in Chri-

sto, vi locorum scripturæ Eph. 1. v. 4. 5. 6. 7. 8. 11. 1. Pet. 1. v. 1. 2.: Rom. 8. 29. 30. c. 9. v. 12: sanè fides & meritum Christi non erunt ab electione excludenda. Quin Electio nec ipsum Dei propositum erit, sed factam secundum propositum cum scripturâ dicemus.

II. Per sanctos intelligimus, in hoc articulo, illos omnes & solos, qui per verbum & sacramenta regenerati, verè in Christum credunt. Qua in re Crocius nobis ὁμόψηφος videri posset, cum Delegatis Bremensibus in Articulo 1. de Perseverantia sanctorum in Actis Dordrechtanis p. 829. sentiens: Per sanctos quidem intelligimus omnes & solos regenitos, quos scilicet, Deus per verbum & spiritum suum salvificæ fidei, spei & charitatis dono affecit. At in Libro, de Perseverantia sanctorum ita se explicat, ut distare longius à veritate non possit, scribens: Hic ergo est status. An qui sanctus est (id est, qui æterno Dei consilio ad salutem prædestinatus, per efficacem vocationem, in se concipit fidem, qua in anima sua certus redditur, quod is peccatis remissis, pro justo reputetur, ob satisfactionem & meritum mediatoris, Deumque diligit supra omnia, & in eo sperat, ac debita proximis officia præstat, pro gratia sibi data) an inquam, sanctus voluntatem suam mutet mutataque sensim voluntate, non possit tandem armaturam fidei abijcere. Hæc Crocius, sanctum in genere, sanguine Christi in baptismo & verbo sanctificatum, purgatum, ac fide donatum, cum sanctis-electis confundens: Imò Perseverantiam in fide inviolatam, cum Electione, fidei operibus & fide inscitè sanctificante & impiè miscens: quæ inter accuratè distinguendum erat. Dari autem revera sanctos, voce sanctorum in nostra acceptione sumpta,

*sumpta, nostra argumenta,* libro *III & IV. proferenda* clarè *demonstrabunt.*

*III. Differentia inter* Electos & renatos *sive* justificatos, *etiam atq; etiam observanda venit. Nullus enim* Electus *quidem* finaliter *labitur: ad tempus verò elabi & excidere fide & gratia Dei potest. Contra:* renati *seu* justificati *utroq; modo elabi queant:* temporaliter *scilicet* & finaliter. *Dissentiunt in utroq;* Crocius & Calviniani, *statuentes neq; electos neq; justificatos ac renatos posse unquam ullo tempore amittere Spiritum Sanctum, fidem & gratiam ipsis inhabitantem: sed immutabiliter & semper in fide stare, & ad finem usq; vitæ perdurare.*

*IV. Nomine* Perseverantiæ *immutabilem stabilitatem ex Electionis decreto maximè fluentem, in æternum durantem exprimunt: quam* Bremenses in Actis *th. 1. p. §19. ita describunt:* Nomine Perseverantiæ, autem eam constantiam & stabilitatem, ut, qui semel filij Dei, esse cœperunt per regenerationem, etiam filij maneant, atque ita certò hæredes ejus evadant, etsi inobedientia quantum ad partes & gradus aliquos subinde ad tempus deficiant. *Quam* thesi *ibidem 2. ita declarant:* Ut creationi annexa est conservatio in naturâ ne res conditæ in nihilum relabantur: ita recreationi seu regenerationi adhæret cõservatio in gratia; idque tam certò & immotè, ut non possint seduci *Th. 4. Nam* hujus Perseverantiæ firmitas pendet ex immutabilitate decreti divini. *Th. 6. Atq;* Crocius *l. 1. c. 3.* De Perseverantia sanctorum conclus. *V. eam cum suis causis & columnis describens:* Nos (*ait, Deus*) solatur metuentes apostasian, desperationem ac reprobationem, cui bases columnasque immutabiles substernit, inquibus tutò, firmiter & ad finem recumbit. *Recenset autem quæ*

tuor. Prima inquit, est efficax imputatio & vis victimæ Christi. Altera perennis virtus intercessionis Christi. Tertia est omni potentissimum Christi robur, dominium, præsidium, auxilium Jesu Christi ad dexteram patris. Quarta & suprema est Dei æterna Electio & prædestinatio, qua omnes fideles in Christo elegit.

*Hæc est Perseverantia* Crociana: *quæ quo jure* Perseverantia *possit appellari, meritò quærimus. Certè* Tullio *lib. 2. de Invent.* Perseverantia est in ratione bene instituta stabilis & perpetua permansio. Thomæ *2. 2. quæst. 122. art. 1. est* virtus specialis habens speciale objectum, scilicet opus laboriosum. Quod Crocius *non negat p. 18. 19. ubi Perseverantia varias significationes recenset. Porrò est voluntatis virtus, non intellectus. Nam teste cap. de consecrat. c. 5. ex* Hieronymo: Quicquid necessitate fit, citò solvitur, quod voluntate accipitur, perseverat. *Quæ & communis Ethicorum est sententia. Quam Græcum verbum* ὑπομένω *& Latinum* Persevero *confirmat. Nam*, Perotto *in Cornu copiæ authore*, Perseverare est, quod cum animi constantia & quadam quasi severitate continuatur. *Inprimis scripturæ tenor suffulcit nos. Nam illa & hominis voluntati renatæ tribuit potestatem standi & recedendi à via justitiæ ac fide: & perseverantiam in cruce, in periculis & persecutionibus appellat, ut Luc. 22. v. 28 Matth. 24. v. 13. Marc. 13. v. 13. Rom. 12. v. 12. 2. Tim. 2. v. 12. Luc. 8. v. 15. Jac. 5. v. 11. 1. Pet. 2. v. 20. 1. Thess. 1. v. 3. Apoc. 1. v. 9. c. 2. v. 19. c. 14. v. 12.* ὑπομονὴ *enim tolerantiam, patientiam, & perseverantiam significat: quæ tria ferè idem denotant. Ex his infero I. Perseverantia omnis vera est in perseverantis voluntate sita.* Perseverantia Crocij & Prædestina-

destinatorum *aliorum non est in hominis perseverantis voluntate sita. Ergo non est perseverantia vera. Cui enim non competit definitio, ei nec definitum tribui potest.*

*II. Omnis, qui perseverat, potest, mutata sententia, eligere & committere contrarium.* At verò Electus & perseverans Calvinista *in fide, non potest eligere & committere apostasian à fide. Ergo non proprie perseverat.*

*III. Quicquid fluit ab absoluto, omnipotenti & immutabiliter Dei necessario decreto: id nec in hominis perseverantis voluntate consistit, nec homo in eo perseverare recte dicitur.* Atqui Perseverantia Crocij *fluit ab absoluto, omnipotenti & immutabiliter necessario Dei decreto. Ergo nec in hominis perseverantis voluntate consistit, nec homo in ea rectè perseverare dicitur.*

*IV. Nullus violentus raptus, ing. bonum mutatio immutabilis, est perseverantia.* Atqui Crociana perseverantia *est* violentus quidam raptus; *quia est immutabiliter necessarius & ex absoluto decreto proveniens actus: quo vi & necessitate ex impio fit pius & pius perseverat.* Est raptus quidam, inque bonum mutatio immutabilis. *Quod vel definitio & requisita Electionis Calvinianæ sole evidentius clamant. Quin* columnæ *Perseverantiæ* Crocianæ, *inprimis quarta, ab electione arrepta, attestatur.*

*Non poteris mihi objectare, Deum, angelos aut*

homines cælites, qui in bonitate & justitia perseverent. Nã non in hominibus, in cœlo degentibus, & angelis, multo minus in Deo, est Perseverentia, proprie dicta qua in bonitate perseverent. Perseverantia enim 1 pro objecto habet opus laboriosum, teste Thoma. 2. est in illis, quæ se aliter habere possunt. 3. est virtus voluntatis: quam licet homo renatus ex sese in semet producere nequeat, tamen Spiritui Sancto gignenti & producenti aut consentire aut repugnare potest. Atqui perseverantiæ angelicæ & cælitum nihil horum competit. Quapropter statuimus angelos & beatos cælites, non tam in bono perseverare (Perseverantia enim imperfectionem multiplicem subinfert) quam durare in eo: Deumq; non perseverare, sed esse Deum, esse bonum, sanctum, justum: sicut hic in perpetuo esse, & illi non in mutabili mundo, sed duratione perpetua & immutabili versantur.

Hinc manat argumentum V. Quisquis sanctorum Perseverat est cruci subjectus & multis malis, à quibus superari potest. Electia. renati Calviniani non sunt ejusmodi cruci & malis subjecti, à quibus superari queant. Ergo non perseverant.

VI. Contradictoria non possunt esse simul vera. Atqui absolutè & immutabili potentia divina esse electum ad vitam æternam: & tamen perseverare in fide sub cruce & calamitatibus, sunt contradictoria; cum absoluta Electio tollat voluntatem & arbitrium stãndi vel non stãndi in bono.

VII.

*Ut igitur ad institutum revertar, statuimus sanctorum Perseverantiam esse virtutem, qua renati in fide à Spiritu S. in ipsis accensa, & ab illo ad finem perficiendæ & continuandæ, perstant in cruce, & obediunt ipsi.* Quæ duplex est: finalis & temporalis. *Nam nisi perseverantia sive permansio, quæ ad tempus durat in renatis προσκαιρος, esset revera perseverantia; frustra Spiritus Sanctus, in fide perseverantes, ad finem usq; in ea perseverare & ὑπομειναι adhortaretur.*

*V. Explicandæ restant voces,* Penitus, prorsus, omnino &c. *quæ aliter à nostris, aliter ab adversario accipiuntur.* Crocius *ait renatos & prædestinatos non* penitus, prorsus, omninò &c. *Spiritum Sanctum excutere & gratiam ac fidem amittere posse.* *Nos autem rem piè considerantes, concludimus, istas particulas aut* subjectivè *aut* adjunctivè *sumi.* Subjectivè *sumtæ inferunt, sanctos & Electos secundum carnem viventes, gratiam & fidem salvificam omnem totaliter amittere; ita ut nullus fidei aut Actus, aut habitus salvificus remaneat.* Adjunctivè *si sumas, tempus & durationem respiciens, quâ impœnitentia perseverant fatemur Electos multos quidem ad tempus bene multum, fidem salvificam & gratiam spiritus inhabitantem deperdere omnem; veruntamen non ad finem usq; vitæ.* Rursus *renatos & justificatos,* totaliter, tam *subjectæ fidei & pietatis, quàm adjunctæ durationis ratione, excidere posse; & multos actu excidere.*

*VI. Per* fidem *intelligimus fidem, non hypocriticam, nec civilem & Ariſtotelicam, nec hiſtoricam, nec miraculoſam. ſed ſalvificam: quæ eſt fiducialis Chriſti in merito ejus apprehenſio.*

*VII. Similiter per* Spiritum Sanctum, *non nudam Spiritus Sancti eſſentiam, quæ cum infinita & omnipotens ſit, expelli & abigi nequit; nec nuda ipſius dona (quæ abſq; eſſentiâ divina ſpiritus non communicantur) ſed Spiritum Sanctum cum donis accipimus, hoc eſt, gratioſam Spiritus Sancti in renatis inhabitationem & gubernationem, per quem in filios Dei adoptati & obſignati fuerant.*

*VIII.* Veniq; excuſſio *iſthæc Spiritus Sancti non eſt violenta ipſius expulſio: ſed* contriſtatio, exaſperatio, irritatio: *quippe qui in homine non impuro, ſed puro, ceu templo ſibi placente, habitare delectatur. Quæ ſanè poſſibilis eſt & quotidiè fieri poteſt, cum Deus non agat nobiſcum ſecundum abſolutam ſuam potentiam; ſed juxta ordinatam.*

*Status igitur controverſiæ in eo conſiſtit,* utrum ſancti, qui per verbum & ſacramenta ſunt regeniti, veraque in Chriſtum fide cum fiduciâ donati, omnes ad finem vitæ in fide ſtent & permaneant? An verò deficere ab ea queant, & actu nonnulli deficiant? Et rurſum: Num quidam Electorum, licet finaliter perſeverent, ad tempus fidem juſtificantem amittant? Nec ne? Prioris *quæſtionis partem negativam nos aſſerimus:*

Cro-

Crocius *Affirmativam. Et similiter prius in posteriori problemate affirmamus nos :* Crocius *posterius.*

## De Conclusionibus Bertianis.

*Statu quæstionis ita enodato, non est ut* capiti secundo *libri Primi Crociani diu immoremur Nam conclusionibus* Bertij, *quas* Crocius *p. 22. & sequentibus ex illo repetivit, utpote non controversis, (quoad summam rei) astipulamur. Quas tamen, quod ad nonnullarum rerum claritatem & lectoris utilitatem faciunt, atque ut nihil prætereamus, sed adversarium κατὰ πόδα, quod dicitur insequamur, obiter percurremus. Sunt autem ipsæ.*

*Prima,* sancti debent perseverare. *Resp. Assentimur. Nam 1. hoc fine sunt vocati Eph. 1. v. 4. 2. Hoc officij Deus eis mandat 1. Cor. 16. v. 15. 1. Tim. 3. v. 4. 3. ut faciant admonentur, incitantur. 4. Præmia promittuntur Ps. 1. v. 8. Gen 17. v. 12. Joh. 14. v. 23. Apoc. 2. v. 26. c. 3. v. 5. Rom. 11. v. 7. Matth. 22. v. 13. 5. Perseverantiam sanctorum in* Tertio Articulo symboli Apostolici *confitemur, dicentes :* Credo sanctam Ecclesiam, sanctorum communionem, &, credo vitam æternam. *6. In orationis* Dominicæ *petitionibus omnibus,* teste Augustino, *inprimis autem in 2. 3. 6. & 7. ar-*

*ardentur precamur. 7. ut perſeveremus ſacramentis, teſtibus illis ſalutis infallibilibus 1. Joh. 5. 7. utimur.*

*Secunda concluſio*, Sancti poſſunt perſeverare *non quidem ex viribus ſuis: ſed virtute ſpiritus Sancti, eos per Verbum ducentis, ſuisq; donis corroborantis. Quod liquet ex propoſitione præcedenti, qua credentes in fide manere & perſeverare inſtigantur. Neq; enim Deus ſuos renatos, ipſo agente & ex ſpiritus ductu currẽtes, ad res plane impoſſibiles quotidie hortatur: ſed adjugum ſuave portandum, calcar eis addit.* Deinde *idem patet ex claris ſcripturæ locis, ut Phil 4. v. 1. Joh. 6. v. 55. 1. Joh. 5. v. 4. Tertio inde, quod Spiritus Sanctus renatos obſignat Eph. 1. v. 13. ducit Rom 8. v. 14. συναντιλαμβάνεται, eis ſubvenit & auxiliatur, v. 26: ut eos CREDENTES & vigilantes, neq; perſecutio, neq; altitudo, neq; res ulla poſſit à Deo avocare v. 38. 39. Nam fidelis eſt Deus, qui non ſinit nos tentati ſupra quam poſſumus, ſed faciet una cum tentatione exitum, ut poſſimus ſufferre.*

*Concluſ. III.* ſoli illi, qui perſeverant, ſalvantur, *Luc. 22. verſ. 28. Joh. 15. verſ. 5. Matth. 24. verſ. 24.*

*Concluſ. IV.* Perſeverantia in fide eſt Donum Dei *1. Corinth. 4. verſ. 7. c. 15. v. 10. Phil. 2. v. 3. Jacob. 1. v. 17. Subijcit* Crocius *huic concluſioni*, ſe dicta ſcripturæ de Perſeverantiæ poſſibilitate

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0100
DFG

litate quidem concedere, Verum si cum NECESSITATE aliqua accipiantur; alioquin (*sic. pergit.*) non utrinque concessa erunt, quæ hic recensita sunt, quod allegatorum testimoniorum neque explicatio, neque applicatio sit διδομένη. *Resp. At vero*, Croci ut Bertij *Pelagianam arbitrij libertatem, dictorumq; scripturæ detorsiones (quæ tamen hic loci nullæ animadvertuntur) improbamus: sic fatalem & immutabilem in sanctitate & fide perseverantiam (quam quidem omnibus credentibus favemus & precamur, sed multi, magno suo malo sibi ipsis interitum accelerantes, abijciunt) doceri constanter ex scriptura non posse certi sumus. Mediæ igitur insistimus viæ: medium tenuere beati.*

*V.* Nec *quæritur*, an quis primævam integritatem creationis potuerit deserere: *Quod factum esse hominum & angelorum lapsus ostendit. Cæterum differentiam* Crocianam, *inter sanctitatem primævam, & illam, quæ in nobis instauratur, duntaxat in eo constitisse, quod in protoplastis fuerit mutabilis, in nobis immutabilis, cum veritate minimè consentire, paulo ante indicatum fuit.*

*VI. Neq; hoc agitur:* An fidelis possit peccare vel ex ignorantia, vel levitate, vel infirmitate vel ex malitia: qualis est in nuda ebrietate, stupro, adulterio. *Resp. verissimum effatum! quod tum largiatur* Crocius *interrogandus erit, Nunquid non is, qui ex malitia peccat, & quidem*

*stupra, adulteria aliaque, crimina committit, fidem salvificam, bonamq; conscientiam amittat? Annon sunt opera carnis, quæ non cœlum, sed infernales pœnas sibi deposcunt? suntne, qui talia patrant, viri mortis? sunt sane.*

*VII.* Nec jure de eo disceptatur, An quis simul manere justus possit & justitiam deserere? seu: An quis simul fidem ac spiritum retinere, deque salute possit πληροφορηθηναι, id est, esse certioratus (ut Ulpiani verbo utar) ac certam persuasionem concipere, & nihilominus in omnem despumans libidinem flagitiorum cœno, se contra conscientiam prætracte contaminare.

Crocius *P. 35. 36. hanc* calumniam acerrimam vocat, atque majorem esse amicitiam inter aquam & ignem, ait, quam inter vivam fidem, ac mortua peccatorum, quæ malitiose præfracteque committantur, opera. Non enim in eâdem cordis humani sede perpetuò commorentur, *teste Joh. 1. Epist. c. 3. v. 8 9. 10 Resp. 1.* Calviniani *verbis sanè splendidissimis istam suspicionem, à sese amotam, à suisq; placitis alienissimam esse cupiunt: utrum vero viris Cordatis satisfaciant, vehementer ambigo. 2. Meminerit autem* Crocius *Davidem malitiose præfracteq; occidisse Uriam; idq; conscientia coarguente 1. Sam. 11. v. 6. & seqq. ingtam grandi peccato decem ferme menses perstitisse impa-*

*impœnitentem, ut collatio capitis 11. cum 12. evidenter clamat. Qua de re infra plura. At quis Calvinianorum Davidem Spiritum Sanctum, & gratiam illius omnem, excussisse concedit? Quis vestrum eum non filium Dei mansisse contendit. Idem de Salomone juxta tuam sententiam certò salvato, deq; aliys esto judicium. Quid? Annon cap. 3. l. 1.* Conclus: *9. p. 53 scribis ipse*: sancti quantumvis non instudiosi pietatis alacriter militent adversus peccata, tamen & multa & magna carnis imbecillitate laborant, cui quidem spiritu divinitus excitato obluctantur, crebrò occumbunt â cupiditatibus carnis suæ tristiter victi? Et huc *exempla lapsorum trahis*, ceu Noachi *incestum*, Davidis *adulterium & cædem*, *lapsum & hipocrisin* Petri? *Repete, quæ supra in status determinatione testimonia Calvinianorum audita sunt. Quapropter non planè falluntur & vos calumniantur, qui conclusionem istbanc vestris scriptis opinionis attribuunt. Ne dicam, promiscuum vulgus aliosque vestrates homines multos, ex absolutæ electionis ac reprobationis, indeq; immutabilis perseverantiæ decretis, eò tandem devenire dubitationis, ut de salute ambigant, quibusvis sceleribus frenum laxent, putantes, si sint electi, se nihilominus salvandos: sin reprobati, damnandos esse. Neq; aliter ipsis concludere & sentire licet; cum Electus Calvinista, quicquid agat, vi absoluti decreti*

*decreti tandem convertatur: Reprobatus autem fidem salvificam nunquam habuerit, nec eum donare illa voluerit Deus.*

## EXAMEN CAPITIS TERTII, ubi de decem Crocij conclusionibus disseritur.

*Quamvis in capite superiori statum controversiæ satis clarè complexi simus: tamen ut sententia* Calvinianorum *adhuc clarior & plenior sit, jam sequentes X. conclusiones* Crocij, *quibus suam opinionem de* sanctorum perseverantia *includere voluit, ad veritatis trutinam examinabimus.*

Prima *hæc est p. 40.* Nec sanctus quisquam potest seduci ad interitum; nec ovis Christi ex manibus ipsius eripi. Priorem *conclusionis partem probare conatur ex Matth. 24. v. 24.* Excitabuntur pseudo-Christi & pseudo prophetæ, & edent signa magna & prodigia, ut seducant (si fieri posset) etiam Electos. *Resp 1. confundit* Crocius *sanctos cum electis. De his enim Christus, (ut quos in fide perseveraturos prænovit Rom. 8. v. 0. 32. Tim. 2. v. 19. 1. Petr. 1. v. 1.) loquitur: de illis autem Crocius, qui penitus excidere gratia ad finem usq; possunt. 2. Proinde phrasis (ει δυνατον) non simplicem & omnimodam à fide excidendi nega-*

*negationem infert, sed finalem. Si enim simpliciter perges negare, sanctos in errores induci posse: quid de Salomone, Aarone, alijsq3, qui in horrendos & palpabiles errores non tantum inciderunt, verum & tutati sunt eos, respondebis? 3. Stabilitas & perseverantia sanctorum, non ex absoluta, verum ordinata electione derivatur: quâ secundum præscientiam divinam, quos in fide perseveraturos, non ex suis propriis operibus ac viribus, sed gratia & Spiritus Sancti auxilio, noverat Deus, sustentat in fide & conservat Johan. 17. v. 15. 1. Pet. 1. v. 5. Rom. 8. v. 29.*

Partem posteriorem *elicere conatur ex rapite 10. Joh. v. 28. 29. quod* nemo possit oves è manu Christi rapere. *Verum enim vero Christus de ovibus Electis loquitur, non aliter atq3 Paulus Rom. 8. v. 30. & seqq: quas nulla vi, nullisq3 illecebris ac dolis ex ipsius manibus ad finem usq3 rapi constat, licet multo tempore multæ ab illo abalienentur & errent.*

Concluſ. 11. Omnes verè credentes æternum manent oves Christi, nūquam in reprobam hircorum familiam transituræ. *Hæc, inquit* Crocius, *apud D. Paulum firmißima & plus quam adamantinâ salutis catena continetur Roman. 8. v. 30. & 35. Et Christum Joh. 10. v. 27. 28.*

*Jam respondi Paulum & Christum de ovibus loqui electis. De illis namq3 Apostolo est sermo, qui secun-*

*ſecundum propoſitum (oblatæ gratiæ in Evangelio 2. Timoth. 1. v. 8. ordine certo, non ex abſoluta Dei voluntate vocati) conſtanter perſeverare præ-noſcuntur, Rom. 8. v. 28; illos, inquam, quos non abſolutè, ſed in fide perſeveraturos ab æterno præ-novit Deus, dicit Apoſtolus omnes, nullo excepto, vocari, juſtificari, glorificari, nec finaliter perire. Reliquos ſanctos quod concernit, eos perire poſſe, ſecundum carnem vivere & in peccatis mori, teſtatur ibidem v. 13. inquiens:* ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini: Quod ſi ſpiritu facta corporis mortificetis, vivetis. *Cur hic renatis Electionem ad utrumvis oppoſitorum ad ſcriberet & condere ret; tam videlicet carnis quam ſpiritus ductum ſequendi, niſi uter vis illis eſſet poßibilis?*

*Concluſ.* III. Omnes ſancti teſtimonium Spiritus Sancti de eo, quod ſint filij Dei, nunc validius, nunc invalidius, in cordibus ſuis perſentiſcunt. *Reſp. I. ut veriſſimum eſt, nos ſanctos habere ſpiritus teſtimonium, etiam internum, per quem Abba pater clamamus, ac cum ſpiritu noſtro teſtatur; nos eſſe filios Dei Rom 8. v 15. 16. Et Chriſtum habitare in nobis, qui illud in Evangelio revelavit Joh. 14. v. 23. 24: quod ex ſpiritu, quem dedit nobis Joh. 15. v. 26. novimus 1. Joh. 3. v. 24: perquem non tantum illuminamur, ſed etiam donum Dei cœleſte guſtamus, participes vis Sp. S. efficimur; bonum Dei verbum guſtamus & virtutes ſuturi ſeculi: ut inquam, hæc veriſſima ſunt, ita*

negari

negari non debet, sanctos interdum penitus desciscere, multos quoque in spiritum sanctum peccare, Heb. 6. v. 4. & seqq. 2. Quam ferventer sancti, extra tentationes constituti, Spiritus Sancti robur persentiscunt: ita in eis sæpè, non tantum non sentiunt fidem & spiritum: verùm quandoq; cum desperatione luctantur, ut videantur sibi à facie Dei esse abjecti & exsisi Ps. 31. v. 23. Ps. 77. v. 8. 9. Consulatur præterea praxis quotidiana in ægrotis non nullis, aliisque tentatis hominibus, quæ id sole clarius manifestabit: ibi nanq; nullum spiritus internum testimonium, sed damnationis & satanæ telorum magnam apparere copiam videbis. Ideoq; certissimum est, nisi ad spiritus internum testimonium accedant externa, ceu verbi & scripturæ promissiones, de salute & gratia cunctis danda, universales & seria: lavacrum aquæ in verbo: sanguis Christi in cœna præsens: multos illius testimonij interni opinione à verbo & sacramentis abduci, & in Enthusiasmos prolabi, fortiter probabis.

*Conclus. IV.* Omnes sancti de sua fide, de perseverantia in eadem, deque vita æterna sunt certi. Resp. Tria *hæc conclusio adserit. Primum, quod sancti sint certi de fide sua, 2. de perseverantia in ea, postremum de vita æterna. De quibus monemus I. Etsi omnis sanctus debet certa fiducia de sua fide* πληροφορεῖσθαι: *non tamen semper*

*aquè*

*æquè certus est, velut in dubitationibus tentatio-*
*num, ubi cum desperatione nonunquam luctatur.*
*Ut verò nō desperet & consolationes omnes abijciat,*
*Spiritus Sanctus* exterius *per verbum promissionis*
*& sacramenta*, interius *per suam gratiam adest,*
*illuminat, sustentat, roborat. Si vero* de ipsa fide
dubitat *tentatus, sanè nec ac ipsius effectis & ad-*
*junctis; nimirum de sanctitate, vita æterna & perse-*
*verantia certus erit. 2. certitudo Perseveran-*
*tiæ (populariter loquendo) in alijs est conditiona-*
*lis, in alijs absoluta. In his absq; ulla limitationē*
*& restrictionē certa invenitur; ut in angelis &*
*hominibus, jam in cœlo cum Christo regnantibus.*
*Quæ etiam in alijs quibusdam extraordinariè*
*& immediatè vocatis (ceu Petro, Davide, Pro-*
*phetis, patriarchis & apostolis &c.) fere locum ha-*
*bet; sed finaliter.* In illis *ad fidem restricta, & pro-*
*posita conditione certa est. Hac ratione inquit*
*Christus Joh. 8. v. 31.* si manseritis in sermone
meo, verè discipuli mei estis & cognoscetis veri-
tatem, Joh. 3. v. 3. Nisi quis renatus fuerit ē super-
nis &c. *Joh. 8. v. 51.* si quis meū sermonē servaverit
mortem non videbit in æternum Joh. 15. v. 4. Ma-
nete in me: Et ego in vobis. Sicut palmes nō po-
test ferre fructum â semetipso, nisi manserit in
vite, sic nec vos, nisi in me manseritis v. 6.
Si quis in me non manserit, ejectus est foras
1. *Thes. 3. v. 8.* Vivimus si vos statis in Domino
1. *Joh. 2.*

*1. Joh. 2. v. 24.* si in vobis permanserit, quod ab initio audivistis, & vos in patre & filio manebitis. *Etsi verò ista certitudo non est immutabilis, tamen tam certa est atq; spes filij familiâs boni de hæreditate paternorum bonorum est, quâ obedientiam erga patrem perpetuam sibi proponit.*

*Est autem certa* duplici *respectu*: à priori & posteriori. *Nam homo fidelis de sua salute confirmatur* à priori & causis: *ubi habet I.* universalem Dei misericordiam omnium miserentis *Rom. 11. v. 32. Matth. 11. v. 28. 1. Tim. 2. v. 4. Ezech. 33. v. 11. II.* universale meritum Christi & satisfactionem. *Rom. 5. v. 18. & 8. v. 31. Joh. 1. v. 9. Luc. 2. v. 10. Joh. 3. v. 16. 1. Tim. 3. v. 16. Tit. 2. v. 10. Es. 55. v. 6. Rom. 14. v. 16. Heb. 6. v. 4. 2. Pet. 3. v. 9. III.* universalem vocationem *Marc. 16. v. 15.* ite in mundum universum, docete omnes gentes. *Act. 17. v. 30. 31. 2. Cor. 5. v. 10. 15. 19. Col. 2. v. 23. Matth. 23. v. 37. ipsi quoq; impij vocantur Et Es. 65. v. 2.* Tota die expandi manum meam ad populum incredulum, *IV.* universalia fidei & conferendæ & confirmandæ media & σφραγίδας *quæ sunt sacramenta baptismi & cænæ, testium duorum salutis nomine veneranda. 1. Joh. 5. v. 8. Quod patet. Nam sacramentum* baptismi *est lavacrum regenerationis Joh 3. v. 5. Tit 3. v 5.* in verbo *Ephes. 5. v 26. nos salvans, & velut* ἐπε-

ρώτημα bonæ conscientiæ 1. Pet. 3. v. 2. Et sacra Domini cœna, in qua corpus ac sanguinem Christi ore corporis sumimus, nos de remissione peccatorum confirmans Matth. 26. v. 28. Luc. 22. v. 20. omniadꝫ beneficia novi Testamenti nobis offert & exhibet Ibidem; cum calix iste sit novum testamentum in sanguine Christi pro nobis effuso: ac corpora nostra de resurrectione certificet, teste Irenæo. Hæ sunt causæ Perseverantiæ a priore potiores: Quibus sufficientibus & in actu positis, ipse effectus & sequi potest, & in omnibus, qui salvantur, revera sequitur.

A posteriori homo per effecta & adjuncta fidei certificatur: qualia sunt renovatio hominis: internum testimonium & motus Spiritus Sancti: desiderium justitiæ & Dei: observatio studiosa legis.

Hactenus theoreticè: si practicè simus acturi duo tempora sunt observanda: tentationis nimirum & tranquillitatis. Subjiciamus de utroque pauca. Itaque homo fidelis in utroque se consolabitur I. sua conscientia, promissiones & verbum recipiente, 1. Joh. 3. v. 20. Si condemnat nos cor (nostrum) major est Deus corde nostro & novit omnia v. 21. Charissimi, si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum. Conscientia enim & cor nostrum optimè novit, qui promissiones divinas acceperit, ut sacramenta usurparit, ac fidem ijs suffulserit. 2. Illumina-

natio-

hatione Spiritus Sancti & pignore consignationis. *Sentit enim internum Spiritus Sancti testimonium, qui ipsum intus obsignavit Ephes 1 v. 13. Luc. 24. v. 32. certum & reddit & in fide immotum 3. συγχοίσει* & contestatione legis servata: *Arguit ex illa & dijudicat suam vitam Apostolus 1. Tim. 1. v. 19. 2. Tim. 4 v. 7.* Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. *Sic Rex* Ezechias *sua se integritate consolatur, Es 38. v. 3. Hoc quoq;* Corinthijs *mandat Apostolus 1 Cor. 11. v. 28. 31.* Tentate utrum fitis in fide *2. Cor. 13. v. 5. Atqui illud opus* in nobis inceptum Spiritus S. continuabit & perficiet *Philip. 1. v. 6. 1. Paralip. vlt. v. 18.* 4 serio precandi studio Joh. 16. v. 23. Quæcunqi petieritis patrē in nomine meo, dabit vobis v. 24. Hactenus non petistis quicquam in nomine meo. Petite & accipietis: ut gaudium vestrum sit completum. *Ps 54. v 13. 14 5.* serio perseverandi proposito. *Phil. 1. v. 6. Psal. 23 v. ult. Ps. 27. v. 13. 14. Jobus in medio mortis terrore confidenter dicebat*, Scio, quod redemptor meus vivit &c: *c. 19 v. 25 26. Ac talis* probatus accipiet coronam vitæ *Jac. 1. v. 6. Hæ ac similes notæ* nos de salute *confirmant.*

*Quamvis igitur homo renatus de certitudine perseverantiæ suæ, notis & causis, sumptis à conditione precum: peccati odio: dubitationis absen-*

*tia: promissionum amplitudine & fortitudine: sigillorum ac testium certitudine, certissimus efficiatur: tamen ista certitudo non est absoluta, sed limitata. Et licet justificatus de sua fide ex verbo & verbi testimoniis omnino certus reddatur, juxta illud Apostoli 2. Tim 1. v. 12. scio cui credidi, certus sum. Et Rom. 8. v. 38. 39.* Mihi persuasum habeo, quod neque mors, neque vita, neque angelus &c. poterit nos (*in Christo manentes, juxta verbum & sacramenta viventes. & spiritus ductum sequentes. His enim relictis etiam Electi ad tẽpus separantur*) separare à *dilectione* Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro: *non tamen certitudo perseverationis est immutabilis omnino, & nõ interruptæ fidei: verum* ejusmodi, quæ faciat, ut salutem cum timore & tremore, citra *dubitationem Papisticam, pius animus* operetur, *Phil. 2. v. 12.*

*Concludimus itaq; ex verbo ejusq; promissionibus & annexis sacramentis, de certitudine fidei & perseverantiæ nobis judicandum fore, si veritatis viam calcaturi sumus. Secus, si, misso verbo, a testimonio spiritus interno, salutem auspicati simus: vel potius; si ex istis sex salutis testibus 1. Joh. 5. 7. 8. nobis nominatis, duntaxat uni, aut etiam alteri, non omnibus, secundum ordinem salutis, in scriptura præscriptum, adhæserimus: actum erit de salute nostra. Nam ut cor hominis in prosperis rebus* עָקֹב

perver-

perversum; *imò securum: superbum & præsumptuosum evadit: sic in afflictionibus & dubitationis commate desperabit, vel certè vehementer dubitabit, fluctuabit, Jer. 17. v. 9. 13. 14.*

Concluſ. V. Certitudo & perseverantia sanctorum in fide, non nititur viribus eorum, merè naturalibus, aut etiam gratia adjutis, ut ex semisse naturæ, ex semisse gratiæ debeatur, sed clarè patefacto Evangelij verbo, quod non modò jubet credere & perseverare ac promittit credentibus & perseverantibus vitam æternam *Rom. 10. v. 10. 11. 17.* sed & veræ fidei, quam per id Spiritus Sanctus in nobis creat, quoque nos solatur metuentes àpostasian, desperationem ac reprobationem, bases columnasque immobiles substernit, in quas tutò, firmiter, & ad finem recumbit.

*Resp. 1. Rectissimè initium, cursum salutis, & ipsam denique salvationem Spiritui Sancto adscribimus Phil. 1. v. 6. Certum quoque est, omnia opera bona esse fructus Spiritus S. Gal. 5. v 22. Non minus quoque certum est, renatos, licet spiritu Dei ducantur Rom. 8. v. 16. ex eoque sua spiritualia proferant opera; non tamen ita agere & moveri, atque instrumentum commune aut truncus movetur: sed etiam ipsimet jam verè agunt & fructus spirituales proferunt: non quidem ex suæ naturæ viribus, qua mortui sunt Eph. 2. v. 5: verùm ex mente & voluntate*

*ac naturæ sua, per Spiritum Sanctum illuminata, Rom. 8. v. 26. Unde & David inquit Ps. 119. v. 112. Ego inclinavi cor meum ad observanda præcepta tua. Consentit nobiscum* Augustinus *l. de Grat. & lib. Arb. c. 16. inquiens*: Certum est nos velle cum volumus, sed ille operatur velle & perficere, præbendo voluntati vires efficacissimas.

Secundo: *Acceptamus largitatem Crocij, verbum Evangelij esse clarè patefactum profitentis. Quæ qui cum dubitatione, p. 5. & seqq. injecta, conveniat, ipse viderit. Nam sentire*, Omnia in dogmatibus non posse ex verbo Dei satis explicari: Et, ipsum tamen verbum esse clarum, scribere, non cohæret.

Tertiò: Rectè & illud Crocius *concedit, quod ministerium* verbum sit medium, per quod Spiritus Sanctus in nobis creat fidem, eoque nos contra desperationem, apostasian, & reprobationem consolatur. *Consolatur, inquam, & convertit nos per verbum, ut medium & causam salutis instrumentalem: atq; ceu virtutem ac potentiam Dei (ad salutarem conversionem & confirmationem) ordinatam: Quod hactenus* Calvinistæ *strenuè impugnarunt, statuentes indignum esse Deo, si verbo virtus conversionis assignetur; cum tamen Deus potens esse & operari per verbum velit. Itaq; Deus, verbum & sacramenta non opponendi sunt sed, ut diversæ salutis causæ, conjungendi.*

Deinde

Deinde: *rogatur* Crocius, *velit nobis explicare, quibus impijs verbum solatio esse possit contra desperationem, cum illis ex sententia ipsius non debeatur ita, ut ex operante spiritu, convertantur, ac fidem concipiant? Aut quodnam sit istud Verbū? Nū etiam sacramēta huc spectent? Horum n. non meminit, nec meminisse potest Crocius: siquidem duntaxat signa salutis, & quidem externa & communia sunt ipsi, non media fidei conferendæ aut confirmandæ. Quin ne pios quidem ex verbo consolari quibit, quod promissiones Calvinianis non sunt universales, quibus se omnes involvere possint: verum affecta* 1. particularitate, *respectu omnium in mundo hominum*, 2. infirmitate, *respectu incredulorum, quibus fidem ex verbo negant dandam, enervant. Exemplo rem declaremus. Fac sodes*, Croci, *Christiano tentato, ex istis locis, quæ tute ad firmitatem Perseverantiæ arguendam adduxisti, consolationem proponas. Quæstionem moveat tentatus*: Mihi desperandum est, ob peccata mea, *Tu ipsum consolaturus negas: quoniam Christus sit victima pro omnibus credentibus factus, sit pro tentato etiam mortuus ac resurrexerit. Hactenus sanctè & verè! At qua formâ syllogismi practici uteris, ut tentatus se verè, illis inclusum cognoscat pro quibus Christus est mortuus & victima factus? Haccine?* Pro quibus Christus est mortuus & intercessit: ij non desperabunt. Atqui Christus

stus pro omnibus hominibus mortuus est & intercessit. Ergo non desperabunt. *Nobis parit hic syllogismus incredibile gaudium, non tibi, qui Minorem negas, statuens meritum Christi non pertinere ad impios. Sin ita argumentabere:* Pro quibus Christus est mortuus & intercessit: ij sunt electi. Atqui pro omnibus est mortuus &c: Ergo omnes homines sunt Electi. Conclusio *erit scripturæ adversa.* Minorem *tu negas: ex invictis scripturæ locis astruimus nos. Proinde Major tua falsitate laborabit. Quod infra patebit. Sin denique ita subsumas:* Pro me Christus est mortuus & intercessit? *Unde probas, regerit tentatus, Christum pro me esse mortuum; cum pro solis Electis eum duntaxat mortuum, asseras? Pro me intercessisse? Fortassis, regeris tentato, quia credis? Quinimò dubitat ille de fide, & cum desperatione luctatur. Quæras ulterius, nunquid non amorem, signum fidei internum, senserit, quo ipsum erigas? Tentatus, si vel maximè adfuisse diceret, tamen jam, utrum veræ fidei, an vero civilis fuerit signum, dubitaret: qualem tu nobis fidem describis p. 285. inquiens:* Temporarij suo quidem judicio non differunt ab electis, at reipsa differunt plurimum. Tertiò (*sunt verba Crocij*) pluribus Dei donis commune est, non salvificæ fidei proprium, quod illa insinuetur in mentes hominum, quos ita irradiat, ut ejus gratiam agnoscant, sentiant

sentiantque præsentem ejus misericordiam. *Et p. 387:* Contentè expendendum est, regenerationem versari in duobus, nempe in illuminatione intellectus per sapientiam & in calefactione voluntatis per boni amorem. Quum autem hæc in nonnullis etiam esse videantur, qui tamen non sunt regeniti, distinguenda sunt lumen & calor ille spiritualis, qui revera penetrat fundum cordis ab ijs, quæ ejus crepidinem duntaxat tangunt, ac citò evanescunt. *Hoc tibi primum responsum habeas. 2. Verum, ut proprius tangamus rem, tentatus fidem quandoq; non allegat, sed negat se habere; non tam se ex fide sua confirmat, quam dubitat. Quin, quod res maximi est periculi, spiritus internum testimonium sentit nullum, & an verè habuerit unquam, vehementer fluctuat, ac quandoq; negat, seq; damnatũ clamat Quod vel sanctißimis evenire solet, velut* Davidi *Psal 31. v. 23. quiritanti:* Dixi in trepidatione (בְּחָפְזִי) mea: projectus sum à facie oculorum tuorum. Et Asaph *in Ps. 77. v. 8. 9.* Accedit *deniq;, immanes istos peccatores in Spiritum Sanctum sensisse & gustasse donum cœleste; fuisse illuminatos, gustasse virtutes futuri seculi. Nunquid tanta illuminatio sine motu interno, ac sine fide fuit? Annon & gustus gaudij futuri in mentibus illorum verum excitavit gaudium, & tamen excidentes fide, in æternum perierunt? Quare*

*nec ex signis fidei, nec motibus internis præteritis, de futura perseverantia, ullum tentatum hominem solide consolari quibis.*

## Bases & columnæ Perseverantiæ Crocianæ destruuntur.

*Inspiciamus nunc* Bases & columnas *fidei & perseverantiæ* Crocianas *&, utrum ex Deo sint, probemus,* Prima inquit, est efficax imputatio & vis sacerrimæ Christi victimæ, quam omnes qui credunt, cum Paulo animitus persentiscunt & confitentur. *Resp. 1. Alludit* Crocius *statim ad absolutum suum decretum, &, quam inde fluere fingit, efficacem vocationem, ita dictam, quod aliqua sit inefficax, idq; non respectu hominum, sed Dei, omnes quidem homines vocare se simulantis, sed non serio, nec ita, ut eis velit Spiritum Sanctum dare, quo convertantur: cui hypocriticæ, tyrannicæ & blasphemæ distinctioni opponimus Dei veracitatem, mentiri nescientis: Dei promissiones tot juramentis confirmatas: Dei sacramenta, quibus salutem omnibus offert & exhibet: Dei bonitatem & misericordiam neminem excludentis Joh. 3. v. 16. Roman. 1. v. 32. obsecrationem Dei, ut convertantur 2. Cor. 5. v. 20: fletum & lacrimas sinceras Matth 23. v. 37. Luc. 19. 41. 44. Porro, verbum & divinum semen, quo homo convertitur, & cui Spiritus Sanctus dandus credentibus adest,*

est

est omne efficax: verum agro inefficacia attribuitur, non Deo Luc. 8. v. 5. & seqq. 2. Licet sancti meritum Christi corde persentiscant, & ex animo gaudeant semper, extra tentationis aleam positi; non tamen ita sese res habet in illa, ut paulò ante ostendimus; veruntamen Crocius ex hâc Columna se consolari verè nequit, sed potius ad desperationis barathrum (quod absit!) ex ea, quam ad plenam fidei πληροφορίαν pertrahetur. Quod sic evinco. Qui credit mortem Christi sibi efficacem futuram: eam persentiscit animo & confitetur: is in fide ad finem perseverat. Atqui πεπιστευκότες illi Luc. 8. v. 13. 14. ita crediderunt: & quidam peccatores in Spiritum Sanctum peccantes consolationem persensserunt & gaudia & virtutes futuri seculi gustarunt, Heb. 6. v. 4. Ergone perseverarunt? Quare propositio est falsa de omnibus fidelibus accepta. Quin & ipsius adversarii hypothesibus non satisfacit. Nam illi, quos, justitiâ politica justos fingit, credunt, gaudent, illuminantur animo tenus, licet non corde tenus.

Secunda columna, inquit Crocius, est intercessionis Christi virtus pro omnium sanctorum fide & salute. Quam probat ex Luc. c. 22. v. 32. Joh. 17. capite v. 20. Ego oravi pro te, ne fides tua deficeret. Item, Rom. 8. 34. Resp. 1. Petri fides sub eodem temporis articulo ad tempus defecit,

*cit, ubi horrendæ abnegationis & abjurationis Christi scelus commisit. Quorum vel prius tantum est, ut Christus suos abnegatores sit rursus abnegaturus Matth. 10. v. 33. Apoc. 3. v. 5. Unde converti rursus jubetur Luc. 22. v. 32. At verò, qui sese in pœnitentia & fide ad Deum convertit: is sese prius avertit. 2. Proinde fallit* syllogismus crocianus particularitate, *si hunc in modum concludat.* Pro quibus Christus intercessit & oravit; ij in fide semper perseverant. Atqui pro Petro intercessit &c. Ergo semper in fide perseveravit.

*3 Fallet pariter si ita subsumas:* Pro omnibus omninò hominibus in mundo intercessit & oravit. Ergo omnes in mundo homines perseverant. *Nam Christus* Johan. 17. *agit de precibus specialibus, in quo sensu licet* propositio *sit de electorum salute finali vera, tamen exinde neminem tentatum erigere quibus; siquidem dubitabit, an Christus etiam pro se interceſſerit & orarit. Sin de universalibus Christi precibus loquare, rursus conclusio falsa hîc* propositionem *falsam prærequiret. Nam* Assumptio *de generalibus precibus est immotè vera. Annon enim Christus pro mundo & crucifixoribus suis interceſsit? certè Spiritus S. affirmat Luc. 23. & Es 53. v. ult. Heb. 5. v. 7. Marloratus c. 27. Matt. f. 207. Edit.* sanctandreanæ 1605. Neq; verò, inquit, vindictam solum remittit, sed eorum salutem commendat Deo patri, à quibns plus- quam crudeliter vexatur. Magnum hoc fuisset de-

talio-

talione nihil cogitare: sicut Petrus, cum ejus exemplo nos hortatur ad patientiam, dicit non rependisse maledicta pro maledictis, nec ultum fuisse suas injurias: sed hoc uno fuisse contentum, quod Deum haberet vindicem 1. Epist. 2. d. 3. hæc verò longè superior ac præstantior fuit virtus, Deum precari, ut hostibus, ignosceret. Hæc Marloratus, *qui addit ibidem, multos ex populo per hanc precationem fuisse conversos. Quod verò idem autor excipit infra, pro Pharisæis & scribis Christum non oraſſe, cum veritate minimè consentit. Nam & textus verba sunt generalia, & ipse adeo* marloratus *scripsit, Christum quidem oraſſe, nec vindictam exercere voluisse, sed justum judicium patri commisisse.*

4 *Porro: intercedit* Christus jam vi meriti sui Heb. 7. v. 24. *Perpetuum habet sacrificium v. 25. unde salvare ad plenum potest, qui per ipsum adeunt Deum, semper vivens ad hoc, ut intercedat pro illis. Ex his infero, Calvinianis propositionem non negantibus.* Pro quibus sacrificium obtulit Christus, pro illis omnibus intercedit. Atqui pro omnibus hominibus sese sacrificium obtulit Christus. Ergo pro illis omnibus intercedit. Minorem *Christi preces sacerdotales, etiam pro transgressoribus fusæ, Luc 23. & Es 53. v. vlt. confirmant.* Deinde *precationes Christianorum, generales 1. Tim. 2. v. 4: Quæ propterea jubentur*

pro

*pro omnibus fieri, quod Christus pro omnibus sit mortuus, & omnium hominum, pro quibus orandum est, generalis mediator. Sic Joh. 11. v. 29. pro tota multitudine hominum mori decernitur: etiam pro illis, qui pereunt Rom 14. v. 15. 1. Cor. 8. v. 11. Heb. 10. v. 29. Factus est sacrificium. Imò ἱλασμὸς & propitiatio non duntaxat* pro nostris peccatis, sed etiam totius mundi *1. Joh. 2. v. 2.*

Tertia columna est omnipotentissimum robur, dominium, præsidium, atque auxilium Jesu Christi ad dexteram patris, quo potenter dominatur ac imperat morti peccato, Satanæ, inferis, nec finit oves suas suis è manibus rapi, aut elabi in exitium, sed vitam eis efficaciter ac certò largitur Joh. 10. v. 28. *Resp. 1. Verè Christus suas fideles oves sustentat, nec è suis manibus eripi sint, nisi semetipsas è manibus ipsius eripiant: id quod multi Electi ad tempus, multi renati ad finem faciunt. 2. Velim & hic indices, quis sanctus Calvinianus tentatus, ex hac columna, de suâ fidei & perseverantiæ certitudine possit confirmari? syllogismum certè nullum alium, quam hunc mihi conflabis.* Qui habet omnipotentissimum Christi robur, dominium, præsidium &c. ad dexterâ patris, quo potenter dominatur ac imperat morti, peccato, satanæ, inferis, nec finit oves suas suis è manibus eripi, sed eis vitam æternam efficaci-

ter

ter largitur: is est certus de suæ fidei certitudine & ad finem usque perseverat. Atqui omnis sanctus omnipotentissimum Christi robur &c: Ergo omnis sanctus sive renatus, est certus de suæ fidei certitudine &usq; ad finem perseverat. *Verum 1.* Connexum *propositionis fallit, ut infra ex Resolutione testimonij Joh. 10. & alijs consimilibus patescet: idq; tam de Electis quam de renatis & sanctis. 2. Conclusio, quæ est de sanctis, indicat hoc testimonium esse alienum; cum Joh. 10. de Electis sit sermo, non de renatis & sanctis in genere. Denig; 3. si ita subsumas:* Ego habeo omnipotentissimum Christi robur, dominium, præsidium, sedentis ad dexteram Dei, quo potenter dominatur, ac imperat morti, satanæ &c: nec sinit oves suas suis è manibus eripi, sed eis vitam æternam efficaciter largitur; *ajo, quod, cum universalitatem dominii, roboris, præsidij &c. ad oves Electas restringas, te sub ista particularitate complecti nequeas, præsertim tentationum fluctibus & tempestatibus mersum & actum.*

Quarta & suprema (*columna inquit*) est Dei æterna dilectio & prædestinatio: qua omnes fideles in Christo elegit ante jacta mundi fundamenta. *Resp. Confundit Crocius æquè in hujus, ac præcedentium columnarum, confirmatione, discrimen inter Electos & fideles: quod accuratè distinguendum erat 2. Dilectio Dei alia est generalis,*

omnes

*omnes omninò homines complectens Joh. 3. v. 16.* alia *ſpecialior reſpectu credentium & προγνώρων, quos ardentur, quandiu in ipſum credunt, amat; ut* Salomon *2. Sam. 12. v. 24. 25. Iſraelem, quem ut primogenitum ſuum, dilexit Dominus, Exodi 4. v. 22. univerſum viſibilem cœtum Eph 5 v. 25. Confer & cantic. um paſſim.* Alia *electionis, qua Electos, quos ad finem usq; credituros prænovit, ſingulariter in Chriſto dilexit & elegit Eph 1. v. 3. 4. Nulla harum dilectionum efficit, ut nec ipſa prædeſtinatio, quin multo ſæpe tempore Electi in mortalibus & horrendis peccatis volutentur: quod exempla lapſorum evincunt. Nam licet nullus Electus gratia & vita æterna finaliter excidat (cum Chriſtus ſuas* oves nôrit, nec pereant, nec quiſquam rapiat (*finaliter*) *ſed* habeant vitam æternam *Joh. 10. v. 28,* ſolidumque ſtet fundamentum Dei, habens ſigillum hoc, novit Dominus eos, qui ſint ſui. *2. Timoth. 2. v 19:*) *tamen errare, labi, deficere à fide multo tempore poſſunt 3. cæterum facit ex hac tua* poſtrema concluſione *& principali tentatis animis haurias firmam conſolationem, eorumq; fidem conſolides. Ita autem argumenteris oportet.* Quem Deus ab æterno dilexit & elegit: is de ſua perſeverantia eſt certus. Atqui ipſe me, te, tentatum, alios, ab æterno dilexit. Ergo ego, tu, alij erunt de ſua perſeverantia certi. *Unde, quæro* Minorem *confirmas, ut in ea* πληροφορεῖ-

σθαι

Deus & certa fiducia niti possis? Cum enim Electio sit particularis, sanè & consolatio ex ea talis erit. Quid si sit fides hypocritica? ficta? Aut, ut tu loqueris, civilis & Aristotelica? Quid si in tentatione planè evanescat? Sibi nulla videatur?

4. Quod autem Crocius in hac postrema columna Electos in Christo scribit electos, mera verborum sunt præstigiæ. Non enim largitur Christum Electionis decretum, ut causam ingredi, quem Deus in electione hominum respexerit, verum ut effectum. Statuit enim cum Calvino & ejus asseclis Electionem esse absolutam, & Christum ipsumq; meritum & fidem excludit, ac non nisi effecta in Decreto electionis admittit; scribens p. 108. 109: Respectum Electionis nostræ rransfert ad beneplacitum, voluntatem, propositum & gratiam Dei. juxta beneplacitum, inquit, voluntatis suæ. Et juxta beneplacitum suum, quod proposuerat in seipso, &, prædestinati secundum propositum ipsius. Hæ itaq; sunt causæ. Elegit nos, quia sic ipsi placuit, sic voluit, sic proposuit in seipso. Hic conquiescendum nobis est, nec quærendæ causarum istarum causæ. Quare sic ipsi placuerit, sicque voluerit, & constituerit, non est irreligiosa temeritate inquirendum ac divexandum, sed infinitæ ipsius bonitati ac divitijs gratiæ deputandum. Subijcit porrò Christum

ipsum causam Electionis non referre aliò, quam ad beneplacitum Dei patris. Hæc Crocius ex Musculo. *Idem passim sentit ac defendit* synodus Dordrechtana.

*Frustra instas Croci. p. 51.* Perseverantiam in fide esse fructum Electionis. *Resp. n. id verum esse de Electione ordinata. Nam Electioni, qua Electio est, non adscribitur perseverantia sanctorum absoluta, verum quatenus prænotitiam divinam fidei includit Rom. 8. v. 29. 1. Pet. 1. v. 1. & 2. vbi inquit Apostolus:* Electis secundum præscientiam, *vel (ut vertit* Beza,) ex præcognitione Dei.

*Denique p. 51. eâdem,* quosdam concionari *scribit,* quod Evangelium duntaxat jubeat credere, & promittat ijs, qui credunt & perseverant, vitam æternam: consolatio verò â fide & perseverantia, propter Christi victimam & intercessionem, dominium, & comprimis propter immutabile decretum prædestinationis, nihil aliud sit, quam damnabilis Calvinianorum â veri semita exerrantium, quæ ex patefacto Evangelij verbo, in arcana Dei consilia grassetur, & exorbitet, deliratio. *Resp. 1. Nos argumenta de salute & perseverantiâ, sumta ab Evangelij doctrina & promissionibus, ordine, quo supra in* conclusionis quartæ *censura collocavimus; sicq; in sano sensu, non duntaxat toleranda, sed sæpius*

pius adhibenda, hortamur. 2. Quod verò decretum absolutum attinet, illud non propterea, quod Decretum Electionis doceat immutabile (Electionem enim immutabilem esse ob præscientiæ divinæ immutabilitatem sentimus) improbamus: verum quod absolutum fingunt, quo ex absoluto beneplacito divino, nullas ob causas: reprobos ab æternâ salute excludunt, odioq; quasi æterno persequuntur. 3. Consolatio â perseverantia & Electione quomodo sumi possit, infra in Explicatione Loci Rom. 8. 28. & seqq. plenius patebit. Crociana 4. consolatio de perseverantia & fide, propter Christi victimam, intercessionem, dominium, & comprimis horrendæ Electionis decretum, qualis sit jam audivimus.

Conclusio VI. sancti simulac virtute Spiritus Sancti renascuntur, serium habent propositum à malo recedendi & faciendi bonum: qui verò se sceleribus flagitijs obstringere obfirmant; ij sese nondum renatos, sed fidem, quam ore jactant, opere abnegare propalam testantur. Resp. 1. Certum est, renatis, qua renatis, esse serium stadi propositum & studium. Teste enim Christo, arbore bona fructus bonos facit. Renati nanq; sunt ex Spiritu Sancto renati Joh. 3. v. 5. cujus motus sentiunt, v. 8. exeoq; opera proferunt bona Gal 5. v. 22. Et hactenus ex Deo sunt, quandiu Dei verbum audiunt Joh. 8. v. 47. 2. utrum verò sancti semper serium stadi

*propositum & studium habeant in eoq; perseverent,* Crocius *ipse asseverare nequit. Quin aperte contrarium* conclusione *9. affirmat scribens:* Sancti quando assimilem in modum peccatis suis Deū offendunt, quantum in ipsis est, se gratia Dei excludunt & exturbant, spiritum contristant, bonam conscientiam, cordis puritatem, lætitiam spiritus, salutarem consolationem, ardorem audiendi verbi Dei, precandi, ac Deum religiosè colendi, aliaque Spiritus Sancti dona amittunt, iram Dei ex adverso, angores & pavores conscientiæ persentiscunt. Idem in concluſ. *VIII fatetur, & rectissimè probat ex 1. Cor. 6. v. 9. 10.* Ne errate, neq; scortatores, neq; idololatræ, neq; mœchi, neq; molles, neq; qui concumbunt cum masculis, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque convitiatores, neque rapaces regnum Dei possidebunt. *Item, quicunque Deum profitentur se scire, sed factis abnegant sunt abominandi & rebelles, & ad omne opus bonum reprobi. Atqui David adulter & homicida, verbis profitebatur Deum, sed factis abnegabat. Ergo. Conf Tit. 1. v. 16.* Denique: *sanctos ac verè renatos sæpissimè peccatis ejusmodi maculari, ipse quoq; Crocius concl. sua VII. diffiteri nequivit, sed exemplis evidentibus astruxit. 3. Aperta igitur est contradictio,* renatos semper audire Dei verbum: Et, renati sunt quandoque scortatores, mœchi, rapa-

rapaces, avari, ebriosi &c. sunt que tales, qui se gratia Dei, quantum in ipsis est, excludunt, & exturbant, *spiritum contristant &c. 4. sic contra Crocium argumentor.* Qui se sceleros is flagitijs obstringere obfirmant, ij sese nondum renatos ostendunt. David perpetrato adulterio se sceleros is facinoribus & sceleribus, ut facti celandi & alij sui fœtus obtrudendi studio; Item cœdibus & Israëlitarum & inprimis Uriæ, per Joabum ducem & Ammonitas hostes commissis, suum animum obstringere obfirmavit. Idem fecit Salomo, ut suo loco patebit. Ergo sese nondum renatos testati sunt. Propositio est tua: Minor *scripturæ. Ergo &* conclusio *sponte sequetur: idq; verè & rectè, si pro Adverbio temporis,* (Nondum) *ponas, Non. Ubi moneo 5. quemadmodum extra omnem dubitationis aleam positum est, quod, qui sceleratis flagitijs sese obstringere obfirmant, secundum carnen vivunt, ejusq; concupiscentiam perficiunt: non sint actu renati, sed fidem operibus abnegent: sic a scriptura, veritatis canone, abludat, nullos, qui quidem in cœtu Christianorum vivunt, ac peccatis & carni indulgent, antea verè renatos fuisse. Adversarius a. ob promissiones scripturæ malè intellectas, dictamen rationis, & absolutum decretum, ex qua immutabili fluat Perseverantia, aliter concludere nequit.*

Conclus. VII. Sancti, quamvis non instudiosi pietatis, alacriter militent adversus peccata, tamen & multa & magna carnis imbecillitate laborant, cui quidem spiritu divinitus excitato, obluctantur, crebrò tamen succumbunt, à cupiditatibus carnis suæ tristiter victi. *Resp. 1. sancti duum potissimum sunt generum. Quidam voci pastoris Christi auscultant, ac in serio novitatis studio militantes perseverant. Quales fuerunt Honochus, Elias, Abrahamus & alij nonnulli, hodieq; multi. De quibus verè pronunciatur,* eos septies in die cadere & resurgere *Proverb 24. v. 16. Et Paulus Rom. 7. v. 19 de se idem asserit, inquiens:* Non facio bonum, quod volo, sed malum, quod nolo, hoc ago. Delector enim lege Dei, quoad interiorem hominem; sed video aliam legem in membris meis, rebellantem adversus legem mentis meæ, & captivum me reddentem legi peccati, quæ est in membris meis. *Quidam verò sanctorum, à Spiritu Sancto in verbo regeniti, rursus deficiunt: quales fuerunt David, Aaron. Petrus, plerique Judæi, ψεύδαδελφοι, Judas, Simon Magus & similes. Quorum pars subitò,* pars *verò, multo tempore perseveranter stans, tandem deficit. Rursus horum omnium* nonnulli *convertuntur,* nonnulli *verò in incredulitate perstant.*

2. Exem-

2. *Exempla Crociana, huic* conclusioni *subjecta, esse hominum in fide imbecillium, & tamen verè credentium, est Deum satanæ, & fideles associare infidelibus. Nam etsi quidem omnia peccata, etiam regnantia (quæ non nisi à non-renatis & infidelibus committuntur, carnis ductum sequentibus, & peccato frenum laxantibus) sunt peccata infirmitatis; tamen homicidia, adulteriaq; deliberato consilio facta; abnegationes & abjurationes Christi, & incestas consuetudines, velle infirmitatis pallio tegere & extenuare, impium est & in legem Dei blasphemum. Quid enim inde aliud sequetur, quam idem peccatum, à renato commissum, non esse tantùm peccatum, quam si à non-renato committatur? At scriptura distinctionem Crocianam ignorans, de Davide adultero pronunciat, eum esse virum mortis. Quod judicium Nathan &* Johannes *comprobat in Epist. 1. c. 4. v. 15.* Nullus homicida habet vitam æternam apud se manentem; *Item Paulus:* Nullus scortator, adulter, mœchus &c. quandiu *talis est, nec se convertit,* est hæres vitæ æternæ: sed foris sunt canes & venefici, & scortatores, & homicidæ & idololatræ, ac quisquis amat & committit mendacium, *pronunciat angelus Apoc. c. 22. v. 15. Hoc agnoscunt ipsimet* Magnæ Britanniæ Theologi *Theoremate 4. p. 778. in* Actis Dordrechtanis scribentes: Frustra esse, qui opinantur Ele-

ctum in talibus flagitijs volutatum, & ita morientem, vi Electionis nihilominus necessariò salvandum fore. *Et rursus: si ille (David)* in adulterio & homicidio: hic (Petrus) in abnegatione Christi & perjurio impœnitentes permansisset, neuter eorum salvus esse potuisset. *Eadem quoq; Beza confitetur, scribens Resp. 2. ad* Acta Momp. p. 79. Et tamen verum est, perituram fuisse Davidem, nisi egisset pœnitentiam.

VIII. Conclusio. Sancti his talibus peccatis Deum gravissimè offendunt, & quantum in ipsis, æternæ damnationi fiunt obnoxij, ex eâ nunquam emersuri, nisi, remissis peccatis, Christi justitia eis à Deo imputaretur, ac serio pœnitentiæ studio converterentur. *Resp. 1. sanctos in regnantibus peccatis, & secundum carnem viventes, gravissimè offendere Deum, ex præcedentium conclusionum ἀναλύσει liquet. 2. Insidiosa sunt verba Crocij ista*: Sancti talibus peccatis Deum gravissimè offendunt, & QUANTUM in ipsis, æternæ damnationi fiunt obnoxij: *Hoc est, ut explicat* Conclusio Decima: Non toti in peccata despumant, sed secundum carnem duntaxat, QUATENUS nondum RENATI, neque à spiritu spontaneo refrenati sunt. *Et in explicatione conclusionis VIII. scribit Crocius:* Certum est, nisi singulis momentis nova à cœlis virtus

virtus suggeratur, ut sumus caduci, millies periturus. Item: Deus, quos elegit invicta fortitudine fulcit. *p. 55. Quæ opinio pessima est. Verumenimverò Crocius in allegatione dicti 1. Cor. 6. v. 9. 10. 11. sibi contradicens, fatetur, scortatores, idololatras, mœchos, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, conviciatores, rapaces; idq; genus alios regni Dei hæreditatem non possessuros. Sic Johannes in Epist. 1. cap 3. 15. subtilitatem Crocij non cernens scribit de renatis:* omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Et v. 8. Qui facit peccatum ex Diabolo est. c. 2. v. 9. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc v. 11. & in tenebris adhuc ambulat, quia tenebræ occæcarunt oculos ejus; *imò homicida est cap. 3. v. 15.* & vir mortis (בן־מות הוא) *2. Sam. 12. v. 5. Nam teste Apostolo Rom. 8. v. 13.* si secundum carnem (vos renati Romani) vixeritis, moriemini. *Si Davidi, si alijs peccatoribus* Crociana *limitatio fuisset nota, regerere quivissent Spiritui Sancto,* se quantum in ipsis sit, *esse mortis æternæ & temporalis reos & regni Dei se excidisse, verùm non respectu auxilij spiritus divini, ne id fiat, obsistentis. At Spiritus S. ignorans Calvinianam distinctionem, istos peccatores simpliciter viros mortis declarat, & gehennæ dig-*

*nos. Quod ipsum Bezam & Britannos Calvinistas fassos esse audivimus. Nullus autem damnandus ad inferos, habet Spiritum Sanctum.*

*Nullo igitur pacto se* Crocius *a suspicione, quam removere cupit, purgare potest, scribens p. 52.* Minimè verò astipulamur illis, qui ajunt esse filios Dei, fidem ac Spiritum Sanctum firmiter retinere, etiamsi adulterijs, scortationibus, comessationibus ac criminibus id genus alijs, deliberato consilio ac malitiosa se deturpent. Sequimur n. illud Apostolicum: secedat ab injustitia omnis, qui nominat nomen Christi 2. Tim. 2. v. 19. Nam 1. horum immemor ipse inquit p. 56. peccatores regeneratos sæpe ex malitia aliqua peccare. Deinde *Davidem, Salomonem, alios q. deliberato consilio & plenâ malitia peccasse constat. Aut quid tibi tandem malitiosè & deliberato consilio peccare est? sed 3. Non videndum est, quid* Crocius *Vocet peccata malitiosa & regnantia, verum quid Spiritus Sanctus: quem, sententiam longè à* Crocianâ *diversam, pronunciantem, jam audivimus.*

*Rursus ait* Crocius *p. 56. peccare* sanctos non ex toto corde: sed contradicente & recalcitrante conscientia. *Resp. Non omnes, qui peccant recalcitrante & contradicente conscientia, peccant venialiter & peccata infirmitatis. Nam etiam, qui peccatum in Spiritum Sanctum committunt, contra-*

*contradicente conscientia peccant Heb. 6. v. 6. c. 10. v. 26. 27. cum peccent volentes & aspernentur justa. Neq; deest ratio. Eo enim ipso, quo, conscientiæ judicio spreto & contradicente, peccant; non tam ex infirmitate peccant, quam voluntate & contumaciâ. Quare hæc conclusio, in sensu* Crociano *sumta, blasphema est & verbo Dei repugnans.*

*Cæterùm, nec* Nona conclusio, *magis sana est, sed ijsdem, cum præcedente, vitijs conflictatur: quæ hæc est.* Sancti, quando assimilem in modùm peccatis suis Deum offendunt, quantum in ipsis est, se gratia excludunt & exturbant, spiritum contristant, bonam conscientiam, cordis puritatem, lætitiam spiritus, salutarem consolationem, ardorem audiendi verbi Dei, precandi, ac verbum religiosè colendi, aliaque plura Spiritus Sancti dona amittunt, iram Dei ex adverso, angores & pavores conscientiæ persentiscentes. *Resp. 1. Sapiunt hæc quoq; verba:* quantum in ipsis *(sanctis) est;* Fatum Calvinisticum *absolutum, cui jam satisfecimus 2. Ex absoluta ista Electione, sanctissimum Dei amorem & misericordiam particularem, non universalem in omnes homines, impiè fingunt adversarij. Quibus solida fundamenta in* Examine conclusionis IV. *opposuimus; ut Joh. 3. v. 16. Tit. 2. 12. 1. Tim.*

*1 Tim. 4. v. 10 Rom. 11. v. 32. 1. Joh. 4. 14. Gen 3. v. 15.* ubi *Chriſtus generalis mediator omnium hominum promittitur, caput ſerpentis conculcaturus. Quam promiſſionem eſſe univerſalem demonſtrat Apoſtolus Rom. 5. v. 18.* Itaque ſicut per unius delictum (propagatum eſt malum) in omnes homines ad condemnationem: ita per unius juſtitiam (propagatur bonum) in omnes homines ad juſtificationem vitæ. Et Roman. 11. v. 32. concluſit Deus omnes ſub incredulitatem; ut omnium miſereretur. *Quorum vero omnium? Quos ſub incredulitatem concluſit, & in quos venit delictum Adami Rom. 5. v. 18. Quin ipſa quoq;* ſynodus Dordrechtana *nobiſcum quadantenus, generalem Dei amorem agnoſcit. 3. Horrendus autem error eſt, Deum lapſos adulteros, homicidas, idololatras, ſcortatores, abnegatores nominis Chriſti, in bonitate & fide, conſervare, adeoq; diligere dilectione renatorum; ita ut non excidant gratiæ ſuæ: Quos tamen lex ex æquo damnat omnes.* Maledictus omnis, qui non ſervat omnia, quæ ſcripta ſunt in libro legis ut faciat, Deut. 27. v. 26. *Gal. 3. v. 10. 11. 12; Etiam renatos in ejusmodi peccata prolapſos. Qua de re in concluſione præcedenti. Nullum igitur diſcrimen, reſpectu peccati, ſcriptura reliquum facit inter* Achitophelem & Davidem, *ſed tam hunc, quam illum, ob prævaricationem virum*

*virum mortis pronunciat.* Tam Judæ *Christum prodenti & desperanti, quam* Petro, *eundem abneganti & abjuranti, pœnam æternam (ut abnegationem coram Deo & angelis) futuram decernit transgressio.*

Concluſ. X. Sancti talium peccatorum conglomeratione unquam eô nevadunt, ut univerſali apoſtaſia â Deo prorſus deficiant, hoſtili eum odio perſequantur, atque affectata malitia, Diaboli in morem ac damnandorum hominum peccent, omnibuſque cæleſtibus bonis ſe ſpolient. *Reſp. 1. Hoc ipſum eſt τὸ κεχνόμενον, de quo quæritur. Quod ſi* Crocius *obtinuerit, evictum erit. At vero diverſum ſolidè demoſtramus.*

2. *Attendamus autem & auſcultemus ſententiæ* Crocianæ, *quid de peccatis ſanctorum ſtatuat.* Peccant enim *(inquit p. 56.)* vel ex ignorantia, vel infirmitate carnis, vel aliqua etiam malitia, non tamen toti in peccata deſpumantes, ſed ſecundum carnem duntaxat, quatenus nondum renati, neq; à ſpiritu refrenati, non ex totocorde, ſed contradicente & recalcitrante conſcientia, ac proinde ſpiritum ὑποθέσιας, fidem, amorem Dei ac novam obedientiam ὁλικῶς deſpuentes: licet efficax vis & ſenſus abſconſus deliteſcat; deliteſcat donec iterum facto pœnitentiæ vêtulo è peccatorum favillis divinius excitetur

&c.

&c. Hæc Crocius: *ad quæ quid regeremus? Numquid exagitabimus? Minimè.* Flosculos *tamen Crocianos notemus.* Primus *sit*, Quicunque semel renati fuerunt, & postea peccant: vel ex ignorantia, vel infirmitate, vel denique ex alia qua tantum malitia peccant. *Quem si conferamus cum exemplis lapsorum, ut Davidis adulteri callidi & homicidæ nefarij: Salomonis idololatræ & idololatriæ autoris & defensoris, Petri Christum abnegantis & abjurantis: cædes callidæ, homicidia truculenta, idololatria ejusq; defensio acerrima, abnegatio, & abjuratio Christi erunt peccata infirmitatis aut ignorantiæ. Quid? Pagina 200. de Protoplastis sic decernit.* Protoplasti (Adamus & Eva) quidem graviter, imò gravissimo ruerunt lapsu: at non prorsus exciderunt, non penitus corruerunt. Retinebant enim Dei TIMOREM (filialem,) graviter etiam puniti. *An non ulterius inde sequetur, si quis semel fuit renatus, etiamsi postea vivat ebriosus, adulter, & homicida malitiosus ac deliberati consilij, incestuosus: idololatra & præcepti divini inimicus (ut Salomo, qui Jeroboamum, propter regnum, illi divinitus promissum, persequebatur:) abnegator Christi & scandali ingentis autor; non evadat filius iræ, & fidem, cum studio peccati, non consistentem, non amittat: sed Dei gratiam & favorem retineat: adeoq;*

*universæ scripturæ & Spiritui Sancto in faciem contradicit* adversarius. Scriptura *enim clamat esse filios Diaboli, qui talia faciunt: Crocius contradicit, non deserere gratiam; & spirirum adoptionis retinere.* Illa *clamat, homicidas non habere vitam æternam in se manentem: adulteros & scortatores, ebriosos, idololatras non consecuturos regnum Dei: sed satanæ tradendos 1. Cor. 5. v. 5. & sanctis ne cum illis cibum capiant, mandat, v. 11: foris esse canes, veneficos, homicidas &c:* Hic *contra defendit, esse & manere filios Dei, consecuturos regnum Dei, quod peccent ex infirmitate, vel ignorantia, vel denique ex aliqua tantum, non plena malitia. Cui verò credemus? Scripturanè & Spiritui Sancto, an v. Crocio?*

*Videamus ulterius pulchra quædam, quæ inde fluunt,* porismata. Primum: In praxi adversarius non poterit certò & verè pronunciare, eos qui inordinatè in sceleribus, ceu adulterijs, homicidijs, idololatriâ &c: vivunt, esse filios Diaboli, carere fide & amore Dei. Excipi nanq; semper poterit, non ex infirmitate, ignorantia, vel saltem non ex plena peccare malitia: Peccasse tantum in partibus inferioribus, in quibus nondum sint regeniti. Secundum; non poterit inter peccatum regnans & infirmitates ignorantiasque piorum verè discernere, & alterum ab

alte-

altero peccato dijudicare: *siquidem peccata regnantia, ab Electis commissa, ipsi sunt infirmitates aut ignorantiæ, vel saltem ejusmodi, quæ cum fide possunt consistere, & in unâ sede morari. Quod tanto certius est, quanto minus fides & cor introspici potest. In contrarium verò notandum est: omnem arborem bonam ferre fructus bonos:* Et quæcunque arbor non amplius fert fructus bonos, non esse bonam. Tertium: Assimilat se Pontificijs. *Sicut enim illi summi* Pontificis *certitudinem & vocem in dijudicando vero scripturæ sensu, dicendisq; sententijs, si modò ut Pontifex pronunciet, immutabiliter veram, & ex infallibili Spiritus Sancti assistentia, promanasse pugnant: sic hi renatorum & Electorum immutabilem standi necessitatem & Perseverantiam ex absoluto decreto tudunt.*

Quartum: nullus homo Christianus in infantia baptizatus, in peccata contra conscientiam, & plenis velis contra Deum despumabit. *Nam omnes illi in infantia fuerunt regenerati Joh. 3. v. 5. & in fœdus Dei æternum recepti Gen. 17. v. 7. Matth. 22. v. 3. Ex 3. 6.*

II. Qui ex aliqua malitia contra Deum peccant, nihilominus dilecti Dei filij manebunt. *At qua malitia? Exemplo sit iterum* David, *qui suasu hospitis pessimi 2. Sam. 12. v. 2. (quo suadente & impel-*

impellente Judas *tradidit Christum Joh. 13. v. 2.*) uxorem Uriæ rapuit, nec postmodum peccatum confiteri, sed omnibus modis ac mediis illicitis occultare conatus fuit c. 11. v. 6. & seqq: adeoq; ipsum Uriam innocentem, hoc fine malitioſè & deliberato consilio nefario, per Ammonitas occidit v. 14 15. Imò Joabus, impium Regis sui mandatum executurus, ut ob Uriæ unius cædem plures tollerentur, commisit v. 16. 17. Quâ cæde nunciata David non egit pœnitentiam, sed potius facinus excusavit, dissimulavit, v. 25 unde scriptura & David ipse propterea ſe filium mortis pronunciat: Crocio tamen spiritum Dei inhabitantis & fidem non amisit Sic & Salomo idololatra & idololatrici cultus autor & defensor (quo malum fecit in oculis Domini; qua phrasis de Regibus Israelis & judæ idololatricis populoq; impio & deficiente fere usurpatur) placuit DEO. In summa: *Nullum est tam horrendum, dirum ac triste crimen, quod ex hac X. Conclusione, si ab homine renato committatur, non excusetur & elevetur.*

III Omnes renati, qui peccata & scelera jam recensita, aliavè horrenda committunt, eâ tantum parte perpetrant, qua nondum renati sunt, & secundum carnem: non quatenus renati sunt & secundum spiritum. *Quid inde! Ergo dicti peccatores ex altera parte, sive secundum carnem tantum peccarunt, ac in altera renati man-*

*serunt! At scriptura discrimen Crocianum repudians, recensitos & alios peccatores totos damnat, partem illorum alteram, sive illos secundum spiritum renatos, non agnoscens. Non dicit Johannes: homicida secundum spiritum salvabitur; secundum carnem verò non habebit vitam æternam in se manentem: sed totum hominem morti æternæ adjudicat. Numquid dices etiam, hominem reprobum, qui defecit à fide, qui pessima peccata commisit; quatenus nondum regeneratus est, & secundum carnem, in infernum mittendum? Alteram partem, qua renatus sit, & secundum spiritum vivat, in cœlos recipiendam?* Deinde: *non sine absurditatibus asseritur, illum, qui renascitur, non totum renasci: verùm ex parte non renatum in hac vita manere. Quod jam non alio refello argumento, quam hoc. Sicut terrena nativitas est totius hominis: sic quoq; παλιγγενεσιαν & regenerationem totius esse. Neq; enim homo, qui renascitur filius DEI, ex parte filius iræ aut χοικὸς manet: ex parte adoptatur, ex parte inadoptatus abijcitur: verùm horum omnium, quicquid est, totius est hominis. Distinguat autem* Crocius *inter regenerationem nativitatemq; spiritualem, & inter renovationem. Illa est totius hominis & in momento absolvitur: hæc per totam vitam durat, & in altera demum perficitur.*

IV. Sancti, qui recalcitrante & contradicente

cente conscientia peccant, nō plena malitia peccant aut in peccata despumant. *Resp. Peccata, quæ contradicente & recalcitrante conscientia perpetrantur, in duplici sunt differentia. Quædam enim ita fiunt, ut fides & gratia DEI retineatur: sunt q; verè infirmitatis aut ignorantiæ peccata: qualia sunt illa, quæ cum luctu carnis & spiritus committuntur: qui quandiu reclamat facto, fides manet & Spiritus Sanctus. Victo autem spiritu fidem manere immotam, cum veritate non cohæret. Quædam verò, quæ sive securâ & obduratâ conscientia, sive eâdem recalcitrante & contradicente, committantur, non amplius à renatis committuntur. A veritate sanè alienissimum est, omnia, quæ conscientia recalcitrante, perpetrantur à renatis mala; gratiam & Spiritum S. homini non excutere, conscientiæ judicio corrupto.* Nam conscientiæ judicium est generale judicium, hominum menti, vel iram ob scelera & peccata contestans, vel gaudium propter rem benè gestam obsignans: sive sit renatus sive non-renatus. *Idq; patet. Nam συνείδησις* sive conscientia est affectus, naturaliter homini insitus, ad primum & non ad tertium symbolici Apostolici articulum referendus, qui omnibus omninò hominibus, operum custos à DEO in primâ creatione est appositus. *Ex illius judicio protoplasti innocentes, Deum & Dei operâ*

*amabant; nocentes & lapsi fugiebant, Gen. 2. & 3. Confer Rom. 2. v 14. 15. Quod tam clarum est, ut Poëta, conscientiam describens, mala gauda mentis appellet: sub pectore testem: conscia mentē recti Quare ex nudo conscientiæ judicio non magis Davidem peccantem, in gratia & renatum manssisse evinces, quam Ciceronem, Medeam, Phædram, aut Phasiphaën Vergilianam, conscientiæ stimulis agitatam.*

*Quocunq; igitur modo argumenteris, infirmum erit argumentum. Quicunq; regenitus,* recalcitrante & contradicente conscientia, peccat; est adhuc renatus. Atqui omnes renati, ut David, Salomo, Petrus, alij, contradicente & recalcitrante conscientia, peccarunt. Ergo fuerunt adhuc renati. Propositio, præterquam? *quod nullo scripturæ robore nitatur, etiam judicio sanæ mentis practico adversatur, quod hoc est:* Qui occidit, scortatur, mœchatur, idololatriam committit, morte morietur æterna. Ego, David, Salomo, Petrus, alius &c. scortatus sum, mœchutas sum, idololatriam commisi, & defendi; Christum Deum & redemptorem meum abnegavi & abjuravi &c: Ergo morte æterna moriar. Minoris *prosyllogismus esto ipsius læsæ conscientiæ testis. Cujus judicium probat Johannes in Epist. 1. c. 3. 21: Si, inquiens,* cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum.

Sed

*Sed nec* Assumptio *superioris syllogismi (quod nimirum* sancti semper contradicente & recalcitrante conscientia peccent*) certissimæ veritatis est. Nam I. non omnes sancti, qui graviter peccarunt, conscientia (actu expresso, verum judicio plerumq; sopito) contradicente & recalcitrante peccant, quoties peccant. Exemplo sint* Noachus & Lothus, *qui ebrietate correpti, absq; ullo conscientiæ studio ac judicio, alter in ebrietatem, alter in incestos concubitus, inciderunt. Nec Salomonem conscientiæ stimuli revocabant. Dementatus enim idololatriæ præstigijs, eâ dulciter afficiebatur, ut ira Dei & cõscientiæ morsum minimè sentiret. Imò quod conscientiã, non curant, vel potius (ut scriptura loquitur) quod obediunt concupiscentijs dominantibus, carne in lucta succumbente : vincuntur ac fide excidunt.*

Porrò*: sive conscientiam pro judicio intellectus practico sumas, quo* majorem syllogismi & *vivendi præcepta complectitur : sive pro tota conclusione practicâ, cum præmissis consideratâ, sive pro judicio propriorum actuum accipias : tamen nihil obtinebis. In postremis significationibus sumere non quibis. Nam de ejusmodi conscientiæ judicio agitur, quod peccatum, non sequitur, sed præcedit, simulq; inter perpetrandum actionem comitatur. Ergo judicium illud in prima significatione accipias necesse est : ubi homo peccaturus conscientiæ judicium*

*sæpe non exspectat : Verum tam subitâ, tamq; vehementi cupiditate objecti, ad mala abripitur ; ut præcepta & legem peccati vitandi non in consilium adhibeat.* Secundo : *In hac significatione, Assumptio accepta, ne in contrario quidem sensu subsistit; quod* nimirum is, qui præceptorum & Verbi Dei, de non perpetrando peccato, inter peccandum memor est, videtque justitiam : & tamen deteriora sequitur ; non peccet mortaliter & peccatis dominium permittat. *Nam Pharisæi Matth. 11. peccarunt contra conscientiam, & recalcitrante illa, qui tamen fuerant, saltem in infantia renati. Sic* Hymenæus & Alexander *regeniti fidem & conscientiam violarunt, ac fidei naufragium commiserunt. De quibus infra. Plura sub finem conclusionis præcedentis VIII fuerunt prolata.* Deniq; 3. Peccatum non definitur, quicquid contra conscientiam, sive accinentem, sive reclamantem & contradicentem committitur : sed quod sit ἀνομία. *Ex conscientiæ, sinistro etiam judicio & affectato, sæpe exoritur morbus ; quod viva praxis in incredulis, in Pontificijs, in superstitiosis, adeoq; in tentatis & alijs hominibus comprobat, & quotidie est observare. At non conscientia, non opinio hominis est regula ullius peccati, sed decalogus ille ter Sanctus & divinus ; & reliquum Dei verbum, quatenus vel benè vel malè usurpatum, & ad illum examinatum ; ; præstat in-*

*in homine Assumptionem, & ex Decalogo conclusionem format.*

V. Qui taliter peccant nunquam tamen spiritum ὑοδεσίας, fidem, amorem Dei ac novam obedientiam ὰλικῶς excutiunt, licet efficax vis & sensus ad tempus deliteſcat. *Hujus floſculi vanitatem jam ante deſtruximus.*

*Quid autem Crocius? quibus argumentis ſuam opinionem fulcire conatur? Opponit nobis, ſed irrito conatu, promiſſionem Domini 2. Sam. 7. v. 11. Pſ. 89. v. 33. 34.* Ego ero illi pater, & ipſe erit mihi filius qui cum perverſè egerit, corripiam virga hominum & plagis humanis. At benignitas mea non movebitur ab eo, quemadmodum amovi eam à Saule, quem amovi à facie tua. *Reſp. Saulem, præceptum Domini transgredientem, Deus ab regno removit, non à gratiâ remoturus, ſi pœnitentiam egiſſet, Ezech. 18. v. 21. At Davidem, cum poſteris & omnibus fidelibus Chriſti, à regno gloriæ cœleſtis nolebat removere: ſed tempus & locum pœnitentiæ peccantibus concedere. Quod ipſum eventus comprobat.* Eccleſia enim, *quantumvis gravibus, acrocibus, & iteratis peccatis maculetur, à Deo quidem virga corripitur, veruntamen inſtauratur; ſi non in eodem ſemper, quo fuit loco, certè in alio. Hanc explicationem verba Hebræa Pſal. 89. verſ. 30. requirunt*

וְשַׂמְתִּי לְעַד זַרְעוֹ וְכִסְאוֹ כִּימֵי הַשָּׁמָיִם Et ponam in æternum ſemen ejus, & ſolium ejus ut dies cœli. Lutherus *rectiſſime:* Ich wil jm ewiglich Samen gebẽ/vnd ſein Stuel ſo lange der Himel wehret / erhalten. *Confer ulterius v. 34. 35. Conſentit nobiſcum Auguſtinus, qui ſemen illud ſuſcitandum de Chriſto exponit, & domum futuri Davidis de fidelibus, Lib. 17. De civitat Dei c. 8. & 9. Clariſſimè omnium & dexterrimè in Pſ. 89. ubi verbis, nobis jam objectis, repetitis ſubijcit:* Non quia filij ejus peccant, ideo ego mendax inveniar: Promiſi, facio. Pone quia volunt illi etiam cum deſperatione peccare, & ſic omninò in peccata, ut offendant oculos patris, & ſic exhæredari mereantur: nonne ipſe Deus, de quo dictum eſt: De lapidibus iſtis ſuſcitabis filios Abrahæ? Itaque dico vobis, fratres, multi Chriſtiani tolerabiliter peccant, multi flagello â peccatis corriguntur & emendantur, & ſalvantur. multi omninò adverſi, durâ cervice obnitentes adverſus duram diſciplinam patris, & ipſam omninò Dei hæreditatem recuſantes, habentes tamen ſignum Chriſti, eunt in tales iniquitates, ut non poſsint niſi recitari inter eos. *Et ſanè non omnes permanere in Chriſto, aut corrigi Dei filios, certum eſt. Nam velut Eccleſia judaica ob incredulitatem rejecta eſt, Rom. 11. v. 20: ſic*

*20: sic gentiles, quæ fide stant, possunt (ut rami non naturales, sed insiti) rursus excidere. Neq; enim illis labentibus Deus parcet, ibidem v. 22. 23. 3. Foederis stabilitas, ex parte Dei, hoc loco firma & immota promittitur, dicente Psalte v. 34. Ps. 89:* Non infirmabo, non profanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. *Minimè, vero sanctis spem facit, eos, quicquid agant, â Deo recidere & sese avertere non posse.*

*Porro: Augustinus & Ambrosius, ab adversario citati, nobis nequaquam adversantur. Nam Ambrosij verba l. de* Bono mortis, *contra nos adducta:* (Nolite timere ab iniquitatibus, inquit Dominus, Ego sum peccatorum remissio. Nolite timere â tenebris, Ego sum lux. Nolite timere â morte, Ego sum vita) *omnibus quidem verè pœnitentibus gratiam promittunt semper novam; verum immutabilem standi necessitatem non pollicentur.*

*Nec Augustinus l. de* Dono Perseverantiæ c. 22. quicquam *contra nos statuit scribens:* Cæteri, qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, si & ipsi prædestinati *sunt, ideò nondum resurrexerunt, quia eos nondum adjutorium gratiæ miserentis erexit. Nam hoc tantum dicit, quos Deus prædestinavit, licet nondum è cœno peccatorum emerserint & resurrexerint, suo*

*nihilominus tempore resurrecturi sint & convertendi. Quin ijsdem renatis, enormibus & horrendis peccatis indulgentibus, æternum exitium minatur ibidem scribens:* si qui autem non obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales; nec usque in finem in EADEM sententia permanebunt. Et cap. seq. Nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram. Vide illius libri præcipuè caput 9. Et tantum de conclusionibus Crocij.

# LIBRI PRIMI CAPITIS VI. ET LIBRI SECUNDI CAPITIS I. & secundi Examen

*STatu controversiæ hactenus enodato, & conclusionibus Crocij confectis: methodi ratio urget, ut adversarij vestigia prementes, argumenta & loca scripturæ, quæ nobis opponit, a corruptelis vindicemus. Cum autem Libro primo c. 6. (4.) recitet viginti scripturæ testimonia, ac Lib. 2. c. 1. 2. 3. 4. repetat, & additis alijs, defendere conetur: ne tautologiam absq; causa committamus, una eâdemque opera, quæ utrinq; produxit, examinabimus loca.*

*Testimonium I. habetur Ps. 1. v. 3. ubi sanctus*

*sic describitur.* Est sicut arbor plantata juxta rivos aquarum, quæ fructum suum edit in tempore suo, & cujus folium non decidit: Ideò quicquid faciet, prosperabitur. Inde c. 5. l. 1. sic argumentatur: Quicunque instar arboris propter rivos aquarum consitæ, nunquam marcescunt: ij non possunt, mutata voluntate, tandem omnem armaturam fidei abijcere, fieri λειποτακτας, meliorumque partium desertores, & multorum peccatorum conglomeratione eò usque pertingere, ut universali apostasia spiritū gratiæ penitus queant excutere, & se bonis omnibus cœlestibus spoliare. Atqui sancti, id est, efficaciter vocati fideles & justificati, sunt instar arboris, propter rivos aquarum plantatæ & consitæ, quæ nunquam marcescit. Ergo. &:

*Verum Resp. 1. ad* Propositionem *negando connexum; scilicet si sancti sunt instar arboris, ad rivos aquarum plantatæ, cujus folia nunquam marcescunt, quod non possint excidere. Quinimò non tantum sentiri & esse in sanctis excidendi possibilitatem, sed actu quandoq; excidere, satis superq; demonstrabitur infra. 2. Neq; melius evadit argumentum, quando* Crocius *in hūc modum denat lib. 2. c. 1. p. 86.* Qui est instar arboris, juxta rivos aquarum plantatæ, quæ fructum suum edit in tempore suo, & cujus folium non decidit: is si-

is fidem ac juſtitiam ſuam non poteſt prorſus deſerere. Atqui ſanctus eſt inſtar arboris, juxta rivos aquarum plantatæ, quæ fructum ſuum edit in tempore ſuo; & cujus folium non decidit. Ergo non poteſt ſuam fidem & juſtitiam prorſus deſerere. *Non, inquam, ſit melius. Nam, præterquam, quod inter actum & potentiam (cum alij ad finem perſeverent, alij quidem ad tempus ſtantes, tandem deſciſcant.) ſit diſtinguendum; non abſq; crimine falſi Crocius ex verſione corrupta* Tremellij & junii, *in hoc argumento verſatur, ſcribens:* Eſt ſicut arbor plantata &c. cujus folium non decidit: IDEO quicquid faciet, proſperabitur. Cujus corruptelæ hic foret ſenſus: Cum arbor ſit ita plantata, ut folia ipſius non decidant: Ideo omnia, quæ faciet, proſperabuntur. *At fontes, ex quibus dulcius aquæ bibuntur, habent:* ועלהו לא יבול וכל אשר יעשה יצליח hoc eſt, Folia ejus non decident, & omne, quod faciet, proſperabitur. *ubi præfixum* vau *non eſt reddendum IDEO, ſed AC, ET &c. ut ſit conjunctio copulativa, non ratiocinalis aut cauſalis.*

3. *In prioris ſyllogiſmi* Minore Crocius ſanctos *appellat illos, qui ſint* efficaciter vocati fideles & juſtificati: ubi duo monemus. Primum eſt, *nos quidem hic per ſanctos verè renatos, fideles ac ju-*

*ac justificatos intelligere. Qua de re in capite* 1. *egimus. Alterum, solos justificatos Electos esse & fuisse sanctos; eosq; solos efficaciter vocari, nequaquam admittimus. Nam I. vocatio efficax est universalis: cum Christus ex æquo omnibus creaturis, ratione præditis, Evangelium prædicari jusserit, ut crederent & salvarentur, Marci 16. v. 15. 16. Ipse* vocavit omnes ad cœnam magnam, sed vocati noluerunt venire, Luc. 14. v. 18. 24. volui te congregare & noluisti; *inquit Matth. 23. v. 37. Deinde: semen à filio Dei jactum & seminatum, fuit bonum & unius valoris omne, at terræ capacitas & bonitas non item, Luc. 8. Proinde nisi Deum* pessimæ *hypocriseos & tyrannidis volueris insimulare, omnes in mundo homines efficaciter vocari largiaris. Efficaciter inquam ex parte Dei; Nam vocatio* cõsideratur *aut ex parte & consilio Dei, aut ex parte & applicatione hominum. Priori modo Deus omnes vocat, ejusq; verbum est potentia ad salutem omni credenti & recipienti, non autem contemnenti Rom. 1. v. 16. quo omnes homines debebant & jubebantur converti 1. Tim. 2. v. 4. Matth. 28. v. 19. 20.* Ex parte *autem & applicatione hominum, verbum contemnentium; Adeoq; ex accidente, fit ad salutem inefficax. 4 Denique* Assumptionis *pars reliqua (quod* sanctus sit instar arboris, juxta rivos aquarum plantatæ, quæ fructum suũ edit in tempore suo, & cujus folium non decidit;

quan-

*est sane vera, sed* ubi & quandiu vera *sit, videndum est. Non enim est* semper & de omnibus *vera, nisi Crocius peccata pessima & horrenda sanctorum (quorum quædam ipse recenset, Concluss. 7. 8. 9. capitis præcedentis) fructus arboris bonæ æstimaturus, nec folia illorum unquam decidisse inficiaturus est. Quin arbor, quæ fructum suum fert in tempore suo, potest degenerare & tandem eradicari Rom. 11. v 21. 22. Quare ut tutâ eamus viâ: & argumentum explicabimus, & limitatione, quam nobis codex sacer in textu præbet, utemur. Quænam illa!* Sanctus *nimirum,* qui non abit in consilio impiorum, nec stat in via peccatorum; & in sede irrisorum *(sive falsorum Doctorum, qui sunt* לֵצִים non sedet: sed in lege Dei meditatur die ac nocte: illius folia *(quandiu talis manet)* non decidunt; sed fructificat in tempore suo. *Qui verò contraria patrat peccata, abitque in consilio impiorum &c. næ illius folia decidunt cuncta, & fructus non fert bonos. Quorum multos esse,* Crocius *in suis* conclusionibus *diffiteri non audet. Unde sic telum Crocij in ipsum retorquemus.* Qui ambulat in consilio impiorum, stat in via peccatorum, sedet in sede irrisorum & falsorum Doctorum: nec meditatur in lege Domini: ejus folia marcescunt, & non actâ pœnitentiâ ut gluma in via dispergitur. Atqui non nulli

nulli renati (ut David) sedent quandoque in via peccatorum, & tractant consilia, impiorum consilijs convenientia: nec meditantur die ac nocte in lege Domini, sed, contra legem & scripturam, adulteria & homicidia, peccatorumque suorum occultationes: sedent in sede irrisorum & לֵצִים (ut Salomo) nec scripturam & Dei verbum, sed abominationes gentium, voluptates & scortationes meditantur. Ergo folia illorum marcescunt & decidunt. 5. *Nec ista tandem pars Assumptionis est vera, quod pij* NUNQUAM *marcescant. Fontes enim habent* לֹא *non: quod Adverbium, cujus potestate aut authoritate Crocius in Nunquam pervertit?*

*Frustra regeris*, Croci *p. 87. esse Amphiboliam in phrasi male intellecta. At quae illa?* Psaltem *ait*, per negationem & gradationem ostendere, justos nihil minus facere, quam ut deliberato consilio cum improbis malitiosè peccent, & ex odio & fastidio legis divinæ contra legem ruant. *Resp. n. I. Nequaquam! Nam ut Psaltes per* ὑφὴν & ἧσιν, *quæ justo sint officia & opera subeunda, quæq; opera fugienda, præcipit: sic in contrarium, per comparationem, quæ sint malorum actiones disserit, inquiens:* Non sic impij, *qui scilicet ambulant in consilio malorum, & non bonorum &c. qui Meditantur, non in verbo, nec in eo volup-*

*voluptas eorum : sed securitatem , voluptatem, avaritiam, dolos, aliaq; scelera meditantur : frondescunt non in pietate, sed sceleribus & maleficijs: Tales enim certò peribunt. Quare licet Psaltes non perstringat scelera impiorum, ostendit tamen quid facere non debeant, si arbores bonæ haberi cupiant. 2. Unde sic infero.* Si per sanctos hic vera fide præditi intelliguntur, qui perstantes salvantur : & per improbos, qui, taliter manentes, damnantur: non erit Amphibolia in phrasi. At prius est. Ergo & posterius. Rursus : *Cum ex hoc loco, tanquam regula & nota, doceatur, quis sit justus, quis injustus : quæq; hujus sint actiones, & quæ illius : ex eo rectè utriq; arguuntur , & natura ac mores deducuntur.* Rectum nanque regula est obliqui, & ex obliquo recti bonitas perspicitur. *Concludo igitur nostram responsionem non esse à scopo alienam, nec principium petere.*

*Deniq; 6. apparet inde falsum esse, quod* Crocius Psalten *affirmare fingit*: fidelem nimirum, ac justum iniquis operibus non destruere fidem. *Licet enim id hic loci non apertè tradat, tamen non tantum non negat, sed per contrarium sensum subintellectum, à quibus, quando & quomodo fiat, innuit: Idq; ex ipso versu 3. quem* Crocius *contra nos torquet, manifestè apparet. Quid enim sunt fructus arborum ? quid folia ? Fidesne , an fidei fructus & adjuncta ? Certè fidelis ex fide producit fru-*

*fructus, producit folia. Augustinus, licet virum, de quo Psaltes ps. 1. agit, Christum interpretetur, tamen super verba, à Crocio objecta, sic scribit:* Quæcunque illud lignum attulerit, quæ omnia scilicet accipienda sunt, fructus & folia, id est, dicta & facta. *Fructus ergo arboris bonæ, hoc est, hominis fidelis, sunt opera bona quævis. Foliũ ejus viriditas jucunda, conscientiæ lætitia, gaudium spiritus, pax interna. Sic Nehemiæ 8. v. 4.* Et afferetis folia oleæ & folia arboris pinguedinis. *Olea autem fuit antiquitus insigne pacis, Gen 8. v. 11. & Livius Decad. 3. l. 4. & 10. 1. Mac. 13. v. 27. 2. Mac. 10. v. 7. Jer. 17. v. 8. Erit folium ejus viride & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. In contrarium habetur Es. 64. v. 6.* Palluimus (emarcuimus) tanquam folium omnes nos. *Et cap. 1. v. penult. Quia eritis sicut ilex marcescens foliis suis. Musculus quidem per arborem intelligit palmam: per folia viriditatem; & hoc rectè, licet non illud. Nam Spiritus Sanctus non tam palmam, quam arborem quamvis generosam capere videtur. Vide, si libet, Ps. 92. v. 13. Unde fluit, aquas poni pro efficiente causa externa & principali, nempe Spiritu Sancto: qui in homine producit vitam, ex qua manat ipsius viriditas (quæ non ipsa fides est, sed effectum ejus) & facit fructus. Et denig; folia non denotare fidem, vel inde patet, quod fides oculis*

*lis non videatur, folia autem semper: Nam effecta fidei omnium oculis sunt exposita. 2. Ex fide homo fidelis vivit: at non arbor ex foliis. Cum igitur, vel Crocio ipso authore, fructus fidei ab homine fideli lapso abesse possint, nec quicquam in eo præter fidei habitum (ut Pareus loquitur) remaneat: sanè Calviniani hoc testimonio, pro suâ opinione defendenda, uti nequibunt.*

*II. Ps. 37. v. 22. 24.* A Domino gressus viri statuuntur, cujus delectatur via. Quum cadit non deijcitur, quia Dominus sustentat manum ejus. Hinc ita concludit. Cui Dominus manum supponit, ne, quum cadit, deijciatur: is non potest prorsus deserere fidem & justitiam suam. Sed justo Dominus manum supponit, ne, quum cadit, deijciatur. Ergo justus non potest prorsus deserere fidem ac justitiam suam. *Resp. 1. ad Propositionem negando connexum; quod nempe talis non* possit *deserere fidem.* Nam justus potest sese avertere ab omni justitia, quam fecit & mala agere. *Ezech. 18. v. 24. Quare possibilitas alia est absoluta, alia ordinata. Non illâ, sed hac, in verbo ordinatâ & radicata, stat justus: quod cum deserit (ut multi justorum deserunt,) jactura & abjectio fidei non tantum non impossibilis est, sed actu ipso quoq; contingit. 2. In* minore *fallacia* objecti *committitur. Non enim* Psaltes *de defensione & retractione piorum à peccati studio loquitur*

tur: *sed de liberatione ex periculis, teste vel ipso* Piscatore, in Analysi & scholijs p. 229. scribente: Quum cadit) epitome. Cum incidit in res adversas. In hac significatione accipitur hoc verbum etiam in illo Salomonis: justus cadit septies in die Prov. 24. v. 16. Licet vulgò quidem delapsibus seu delictis piorum acceptetur. *Neq; id in Ps. 37. est obscurum. Consolatur nanq; Deus pios contra scandalum de prosperitate impiorum, quod suos non deserturus, sed fortiter defensurus sit; etiam in ipsis periculis & fame v. 19. Quod antitheſi, impiorum videlicet interitu, illustrat v. 20. Ac vers. 21. utriusq; studia & mores inducit: quod impius mutuetur & non reddat: pius vero gratiam referat, ac suam ex operibus fidem declaret. Ejusmodi homine fideli Deus, gratuitæ mercedis loco, possessionem terræ, & in malis defensionem & liberationem pollicetur, v. 23. 24. quam versus 25. de non deserto pio, in tempore famis & periculi confirmat.*

Calvinus ipse super h. l: Vulgò, ait, hic versus obtinuit locū proverbij, si quando justus derelinquat, lapsus ejus non esse leniferos. Sed nihil hoc ad Davidis mentem, qui de felicitate piorum concionatur. simplex ergo doctrina est, ubi Deus servos suos calamitatibus affligit, eas simul mitigare, ut non prorsus succumbant. *Similiter* Augustinus accipit de tribulatione, ex-

honoratione, contumelia, afflictione, damnis & cæteris, & quæcunq; in ista vita generi humano abundant.

*Excipit* Crocius *p. 89. nos fall.* oppositorum *committere hunc in modum:* Quos Deus in casibus adversis potenti manu conservat, ne hinc noxa eis inferatur, eos ex peccatis contra conscientiam non liberat. Quod absurdum. *Resp. 1. Exigat cũ* Calvino, *alijsq; interpretibus, imò cum ipso Spiritu Sancto, qui hîc non nisi de liberatione ex periculis & casibus loquuntur.* 2. *Illatio* Crociana *non est nostra, qui tam absurdi non sumus: sed in cerebro* Crocij *nata. Cui* 3. *accedit, quod* Crociana *argumentatio nihil ad rem faciat. Quæstio est,* utrum renati in peccata ita contra conscientiam labi & ruere possint, ut Spiritus Sancti gratia & fides tota recedat. *Negat Crocius ex Psalmo, quo Deus se pium labantem, ex periculis liberaturum pollicetur. Si quis nostrum ita concluderet, vix dici potest, quam durè esset illum habiturus.*

*Verum istat* Crocius, *se non simplici argumento, sed* comparato *suum propositum ex isto Psalmo probare:* Quos Deus potenti manu in casibus adversis conservat, eos ratione fortiori ex peccatis, contra conscientiam, extrahit. Sed fideles in casibus adversis conservat. Ergo. *Resp. Est fall.* comparatorum imparium. *Nam*

*justum*

*justum Deus ex malis liberat, quia fidit ipsi Ps. 91. v. 14. 15: suntq; talia plerunq; mala & pericula, quæ sibi ipse non est fabricatus. Quando idem, relicto Dei verbo, in grandia peccata, sua culpa, adeoq; ex meræ sæpe malitiâ, ruit, non tenetur Deus ipsum reducere & liberare.* Ille *non spernit, sed fidit Deo in verbo:* Hic *abijcit & renititur spiritui Sancto Act. 7. v. 5. quod, quandiu facit, non liberatur.*

Inscitè prorsus excipit Crocius p. 90. Si Deus malum demolitur, quod repugnat bono finito: quanto potius demolietur malum, quod bono tam infinito, quam finito adversatur?

*Resp. si par sit ratio: aliâs nequaquam. Nam ut taceam, quod Deus multos ex malis liberat finitis & temporalibus, quos nunquam ex malis spiritualibus, sua & parentum culpa, liberat, illisvè doctrinam salutis & sacramenta actu applicat ipsò: non tenetur Deus desertores & naufragos fidei liberare; præsertim refractarios, quos tamen ante suum lapsum, ex peccati sordibus & malis eruerat, ut, Saulem, Salomonem, Judam, alios. Qui verò non sunt refractarij, sed trahi se per verbum sinunt, illos rursus ex malis æternis omnibus, licet non quibusvis temporalibus, eripit.*

*Nondum quievit Crocius, Ambrosij auxilium implorans l. 1.* De vocatione Gentium *c. 9. dicentis:* Ex Deo utique esse, ut homo viam

Dei eligat, & surgat à lapsu. *Resp. 1. Ambrosius non negat justum suam justitiam deserere posse, verum eam non ex se suisq; viribus, sed à Deo habere, scribens:* Demonstratum est, fidem, qua justificatur impius, nisi ex Dei munere non haberi; eamque nullis meritis præcedentibus tribui: sed ad hoc donari, ut principium possit esse meritorium: cum & ipsa data fuerit, non petita, ipsis jam petitionibus cætera bona consequantur. Unde itaque quædam de plurimis assumenda sunt testimonia, quæ in diversitate donorum ostendant gratiæ largitatem. Ex Deo utique esse, ut homo viam Dei eligat, & ut surgat à lapsu: psalmus Davidicus canit, dicens: à Domino gressus hominis diriguntur &c: 2. *Licet fides sit à Deo, sit velle & perficere à Deo, non tamen David, Salomo, Petrus, Judas, alijq;, sceleribus, homicidijs, adulterijs, idololatriæ, abnegationibus, proditionibus indulgentes, in fide à Domino sustentantur: sed vitam æternam manentem non habent, nec hæreditatem regni Dei adire possunt: multo minus gressus eorum à Domino diriguntur; idq; ad tanta facinora perpetranda* 3. Posità hypothesi, *nunquam concedenda; sermonem esse Psalti de labentibus in peccata, intentum tamen Crocij non foret necessarium. Nam ut* Haymo *hunc locum explicat, intelligi posset de justis, quorum bonam vitam velit Deus. Vel; quod*

*pra-*

*præcepta & institutiones* Domini *homo ille velit sequi. Inde ait* Haymo Psaltem *inferre, quod justus ejusmodi,* qui præcepta Domini sequitur, non ruat in peccata criminalia, neque in venialibus permaneat. Vel, secundum alteram translationem, quod si ceciderit CORPORALITER, cum occiditur & flagellatur, non collidatur. *Quam & Augustini, Calvini, Piscatorii esse, & loco huic quadrantem, paulò ante ostendimus. Tandem: sensus esse posset: peccatori, ob peccata sua, viam ad pœnitentiam non occludi, sed quotidiè ad eam agendam instigari. Sic enim Crocius nihil obtineret. Verum non opus est eò devenire, cum lumen faxd. clarioris sensus nobis obfulgeat.*

*III. Psalm. 125. vers. 1.* Qui confidunt in Domino similes sunt monti Sionis: qui non dimovetur, in seculum permanet. *Ex hoc loco concludit* Crocius c. 5. l. 1. Quicunque sunt similes monti Sionis; in seculum permanent: illi universali apostasia spiritum gratiæ non possunt excutere. Atque renati tales sunt. Ergo *Resp. 1. Absurdus est Crocius ex hoc loco sanctorum apostasiæ δυναμίαν propugnans, cum ipsemet, conclusione VIII. Cap. 3. l. 1. multos produxerit & nominarit Commotos 2. Quin imò Psaltes â nobis laus, non δυάμιν tantum apostasiæ, sed actum*

*creberrimum confirmat, apostatis ita minans v. 5:* Qui autem inclinant corda sua ad itinerum tortuosa sua, amandet eos Jehova cum illis, qui dant operam iniquitati. Piscator *in scholijs pag. 728. Sic rectius verti dicit:* Qui autem inclinant corda sua ad perversitates suas. *Quos antea fuisse, omnes hypocritas aut civiliter tantum justos, nunquam probari potest. 3. subjectum est considerandum. Psaltes enim illorum describit naturam, qui Christo adhærent. Quod videns Arnobius inquit:* Qui sic confidit, ut mons zion, non commovebitur in æternum, nulla secta, & nulla hæresis, nullus disputator cum à recti tenore detorquebit. Montes enim sunt in circuitu, & Dominus in circuitu populi sui, hoc est, testimonia scripturarum in circuitu ejus, pro defensione simplicis populi, quem Christus suo sanguine comparavit. Quare Psaltes vel de Electis in Ecclesia solis, vel certè de illis, qui verè fidunt Domino, loquitur: *quod scilicet quatenus & quandiu Domino fidunt, ductumq; verbi sequuntur, eatenus sint immobiles, etiam in æternum. 4. Eandem responsionem Piscator sibi datam noverit, qui ex v. 3. hujus Psalmi apostasiam sanctorum possibilem negat, inquiens:* Ut non extendant justi ad ullam iniquitatem manus suas. *Nam 1. loquitur Psaltes de justis, qui sunt in Hierusalem, qui confidunt & sperant, ne impijs permittantur,*

*ut*

*ut nobis consentiens Augustinus exponit. 2. Frustra urget* Piscator ה *paragogicum ad* ת *th in voce* (עוֹלָתָה *aulathah*) *additum, quod tantam vocis intentionem significet, ut sanctus ad nullam planè iniquitatem manus extendat. Cum enim multos, ad multas, easq; horrendas iniquitates sæpe manus extendere videamus: necessariò de justis, qui justitiam & montes propheticarum scripturarum sequuntur, accipimus. Tales enim non student mittere manus ad iniquitates. Deinde observatio in litera* ה *est fallax, inanis, & hoc loco nullius momenti.*

*IV. Esaiæ 46. v. 3. 4.* Auscultate mihi domus Jacobi, totumque residuum domus Israëlis; qui bajulamini inde ab utero, qui gestamini inde à vulva: & usque in senium, ego, inquam, portaturus sum & erepturus. Syllogismus Crocij hic est l. 1. c. 5. p. 64. Quicunque inde à vulva usque ad senium portantur à Deo & eripiuntur: illi universali apostasia spiritum gratiæ non possunt penitus excutere. Atqui sancti sic à Deo portantur. Ergo.

*Resp. 1. Ad propositionem,* Crocium *distinctionem inter actum & potentiam malè negligere, quod jam aliquoties monuimus. 2.* Est fall. subjectarum personarum. *Agit enim Dominus de domo Israëlis tota, non de sola Ecclesia Electorum;*

*eum de illa loquatur domo Iſraëlis reſiduâ, quæ idola & ſtatuas colendi gratiâ erigebat, v. 5 & ſeqq. Quid multis? Non eſt ſcripturæ inſuetum iſtam ſimilitudinem latius extendere, quam ad ſolos credentes. Nam de tota domo Iſraelis (E. G.) in qua plerique non placebant Deo, pronunciat Moſes Deut. 32. v. 10. 11.* portavit enim quaſi aquila ſuper alas ſuas. *Et quod domui & numero Iſraelitarum ſint annumerandi impij, docet Eſaias c. 1. v. 1. 3. 6. 5. v. 1. 2. 3. 7. Ezechiel c 16. v. 3. 4. 6. 7. 8. & ſeqq. Conſentit* Oeccolampadius *in comment. ſuper h. l. inquiens:* Reliquiæ iſrael, qui non eſtis de hoſtibus perditi, audite me, non alios ſeductores, non idolorum ſacerdotes. Agnoſcite beneficia mea: nam quicquid habetis, à me habetis: geſtavi vos ab utero, hoc eſt, ſtatim ab initio, in deſerto veſtri curam habui, & non derelinquam vos uſque in ſenium. Duas infirmiores ætates dicit, pueritiam & ſenectutem, quibus majori cura indigemus. *Proinde 3. iterum fall. ſubjectæ captivitatis animadvertitur. Loquitur enim de liberatione ex captivitate* Babylonica, *non æterna & ſpirituali. Unde verbum* אמלט *quod ſignificat liberare, eripere evadere &c:* Oeccolampadius *hîc loci reddidit* Evadam. *cujus explicationis cauſam reddens ait p. 239:* Evadam dicit vobiſcum, vos portando ex captivitate Babylonis. *Aſtipulatur* Piſcator *in Scholijs v. 4.*

*hæc*

*hæc annotans:* Eripiam vos â Babylonijs & alijs hostibus. *Hos audiat* Crocius, *nos non auditurus.*

*Crocij propositione ita limitata, statim falsitas apparebit.* Quicunque sancti inde â vulva usq; ad senium portantur à Deo & eripiuntur: ij non possunt deficere. *Quod nisi admiserit sub ipsius falsa propositione subsumam, non modo Judæos in deserto Deut. 32. mirabiliter à Domino portatos: Verum homines* in mundo omnes in Deo esse, vivere & moveri *Act. 17. v. 28. multos quoq; heroas ex malis insignibus divinitus liberari, & eripi & quasi gestari in utero à Domino: quorum multi ne quidem agnoverunt Deum, tantum abest ut crediderint & salvati fuerint. Agit igitur locus de conservationis & providentiæ divinæ gradu quodam insigni; non vero de gratiosa, ad articulum symboli tertium referandâ. 5. Si ad Electos ex hypothesi, non concessâ) applicares, dicendum esset, illos sanè à Deo portari, ut tandem eripiantur: sed exinde nondum evinci, eos in fide nunquam facere naufragium. Nam fidei & stabilitatis in hac promissione nulla fit mentio. Tandem 6. Neque portandi verbo docet Deus, se sanctos in fide ita portare, ut averti ab ipso nequeant: Aliâs argumento à contrario sensu haustο, quis inferre posset; frustra Israelitas monere Deum, ut deserta idolorum vanitate, sese ad verum Deum converterent. Quæ-*

*re summa*

*re ſumma hujus teſtimonij eſt adhortatio ad judaicam Eccleſiam lapſam, ut ſeſe convertat. Nam Deus præ omnibus gentibus ſingulariter portet & eōſervet eam, & per miniſterium Leviticum ſemper aliquot converterit: quorum, ut & patrum credentium, fidem imitetur.*

V. Eſaiæ c. 45. v. 20. Quamvis hi montes recederent, & hi colles dimoverentur: attamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miſerator tuus Deus. Inde hoc argumentum cudit p. 64. c. 5. Quicunque benignitate Dei, ſi vel montes recederent, non deficiuntur: illi univerſali apoſtaſia non poſſunt à Deo deficere. Atqui ſancti ſunt tales. Ergo.

*Reſp. 1. ad Majorem, quæ falſitate non caret. Nam fœdus & benignitas Dei erga fideles, non impediunt peccandi poteſtatem. Quin potius, cum in fœdere ſint diverſæ partes, ex parte hominis fides & probitas, adeoq; obedientia includitur: quibus ruptis ipſum rumpitur fœdus. Itaq; etſi Eccleſia de conſilio & voluntate Dei nunquam deficiat; propter ſuam tamen negligentiam & ſecuritatem non rarò. Quod patet. Nam quis neſcit, facto cum* Abrahamo fœdere, omnibus illis incluſis, qui illius erant ſeminis, & qui longe ſunt, *multos non tantum deſciviſſe, verum nec quenquam illius habere fructum quiviſſe, niſi fœdere ſibi applicato Act. 2. v. 38.*

v. 38. 39. 2. *His accedit, quod secundum* Oecolampadium, *de fœdere mortis Christi pro omnibus morituri (idq; recte) loquatur. Sic enim commentatur super hunc l.:* Trepidam nostram conscientiam solidavit, & securam in posterum reddidit, certissima sphragide & arrhabone corporis & sanguinis Domini, ut posthac nihil dubitet. Testamentum enim firmatum est intercedente morte Christi. Quamvis enim videamus montes & principatus hujus seculi perire & omnia, quæ videntur, labefactare, impossibile tamen est, ut corrũpatur fœdus Dei, quod in filio nobiscum init. Quod hic testimonium pacis vocat, eo quod per filium pacificati sumus, & per fidem in Christum pacem habemus. Hæc Oecolampadius, *monens de Ecclesia in genere esse Domino sermonem: cui & conservationem pollicetur; non omnibus individuis & apostatis in ea.* Conservationem inquam; *licet enim Deus* fœcundam, *hoc est, ex Sara posteritate oriundam Ecclesiam deseruerit, tamen desertam nullo unquam tempore desertum iri prædicit: quoniam quæ nascitur per prædicationem Evangelij, ob fœdus Dei cum Abrahamo initum, in sanguine filij Dei consummatur.* 5. *Si quis tamen hoc testimonium ad Ecclesiam universalem & Electorum voluerit referre, contra quam portæ inferorum non prævalent Matth. 16. v. 18. non habebit nos prorsus contradi-*

*traditentes, modò gemina addatur cautela, Altera, quod Electis nullibi securitas legatur promissa, qua ad tempus excidere & carere fide non possint; multò minus renatis.* Altera, *licet salus & Perseverantia Electorum aliquando interrumpatur, ea nihilominus ex prænotitia divina certa sit.*

*VI. Ieremiæ 32. v. 10.* Et pangam ipsis fœdus perpetuum, fore ut nō avertam me à prosequendis ipsis beneficiendo ipsis: & reverentiam mei indam animo ipsorum, ut non recedant à me. Ieremiæ *31.* v. 31. 32. 33. 34. Pangam cum domo Israelis & cum domo Iudæ fœdus novum. *Quo faciunt & illa (jam refutata) ps. 125. v. 1. Esaiæ 47. v. 34. c. 54. v. 10. Ex quibus locis sic concludit* Grocius. Quibus promissum est fœdus perpetuum, fore ut se Deus à prosequendis ipsis non avertat: reverentiam sui indat animo ipsorum, ut non recedant ab ipso: ij non possunt omnem fidei armaturam abijcere & justitiam deserere. Atqui sanctis promissum est fœdus perpetuum &c. Ergo.

*Resp. 1. Minor est fallax. Nam si argumentum Grocij ullius esset valoris, nulla amplius grandia peccata credentes in N. T. committere & in illa labi possent: Quippe omnia hîc ab illo removentur peccata, quibus à Domino receditur. At verò, qui cades, adulteria, scortationes, aliaq; grandia*

grandia crimina committunt, num non grandi ἀποστασία à Domino recedunt? certè peccata inter Deum & nos dividunt Es. 59. v. 2. 2. Quid igitur? opponit propheta vetus ac Novum Testamentum, docetq; legem incisam tabulis lapideis, habentem promissiones cum sponsione illius servandæ, fuisse fœdus Dei cum populo sancto: sed vires cordi servandæ sui nullas, præbuisse: eoq; ex infirmitate hominum fœdus illud antiquum esse irritum factum. At fœdus novum gratiæ, in Christi sanguine pactum & confirmatum, non duntaxat satisfactionem Christi complectatur: sed Deum, simul cum concione Evangelij & gratiæ, Spiritus Sancti illustrationem, timorem, filialemq; fiduciam & gaudium fructusq; spiritus alios accendere, ut homo renatus in ea stare & perdurare possit.

Hanc explicationem nisi admiseris ἀλογίας & periculis te intricatissimis involves, qualia sunt: I. Admonitiones Christi & Apostolorum omnes de peccatis vitandis, quibus sanctos gratiâ rursus excidere posse confirmatur, erunt frustraneæ & vanæ. Eas enim verba c. 31. v. 33. simpliciter absolutèq; sumta, prohibebuut. II. Nullum amplius erit ministerium verbi in N. T. futurum, quod Deus omnes sit internè docturus, v. 34.

III. Omnes homines Deum jam perfectè cognoscent, ibidem. IV. Hæc ipsa promissio, de semine Abrahamitico, secundum carnem intelligenda veniet,

*niet, & ad Judæos referenda, v. 31. V. Hierusalem terrestris sic exædificanda & augenda erit, ut non sit locus in ea amplius futurus v. 28. 39. 40. V I. Filios sanctorum semper vestigijs parentũ instituturos & justè ambulaturos esse sequetur c. 32. v. 39. Quæ omnia sunt profana auditu & creditu impia. Quare allegata Ieremiæ loca, cum alijs in scriptura parallelis, collata, simplicem esse sensum arguunt I. ministerium in N. T. non tam laboriosum ac durum futurum, quam in V. fuit; idq; 2. ob rerum & doctrinæ in N. T. Claritatem 3. Majorem futuram esse Spiritus Sancti copiam, majora dona & efficaciam in verbo: Ut proinde 4. ubi veteres de Christo pauca quædam, eaq; obscura cognoverunt, in Novo T. plures; & inter eos quoq; tenelli pueri Dominum sint clarè cognituri: Id quod effectus ipse & praxis tam in hodierna, quam Apostolica Ecclesia comprobat.*

*Verum majoris lucis gratia ipsos fontes consulamus* וְכָרַתִּי לָהֶם בְּרִית עוֹלָם אֲשֶׁר לֹא אָשׁוּב מֵאַחֲרֵיהֶם לְהֵיטִיב וְאֶת־יִרְאָתִי אֶתֵּן בְּלִבָּם לְבִלְתִּי סוּר מֵעָלָי וְשָׂשְׂתִי עֲלֵיהֶם לְהֵיטִיב אוֹתָם וְנָטַעְתִּים בָּאָרֶץ הַזֹּאת בֶּאֱמֶת

*Pagninus ita reddidit:* Faciam quoque cum eis pactum perpetuum, quod non revertar à tergo eorum, ut benefaciam eis, & timorẽ meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me &c.

*Fœdera*

*Fœdera Dei multa, formis oppositis inter se discreta, in scripturâ leguntur:* ceu Adamiticum *de semine mulieris, caput serpentis contrituro, Gen. 3. v. 15. 16:* Noachicum, *cum Noacho & bestijs in sicco degentibus, de non iterando diluvio initum Gen. 9. v. 9:* Abrahamiticum, *Abrahamo de terra Canaan danda, multiplicando ipsius semine post eum, ex quo Christo exhibendo, promissum & juratum Gen. 15. 19. 18. Luc. 2 v. 73:* Davidicum, *de perpetuo successore, qui ad plenitudinem usq; temporis corporaliter, ac deinceps in æternum spiritualiter in solio ipsius sederet. 2. Sam. 7. v. 12. ps. 89. 26. Ps. 132. v. 11. 17:* Mosaicum *de benedictione & conservatione spirituali & æterna, præter temporalem, genti judaicæ, si legem servasset, impertiendâ: Denq; novum fœdus in Christo & ipsius sanguine, quo redempti sumus, & gratia & fides nobis confertur, Jer. 31. v. 31. 32. Heb. 8. capite fere toto.*

*Quamvis autem tot numerentur fœdera divina, duo tamen præcipue excellunt:* Vetus & Novum. Illud *sanguine hircorum,* hoc *Christi fuit dedicatum:* Illud *continebat legem, tabulis lapideis inscriptam,* hoc *spiritum & fidem cordibus credentium:* Illud *vitam æternam cum conditione legis servatæ,* hoc *credentibus gratuitò spiritum Sanct. ac vitam æternam promittit:* Illud *non renovabat hominem, nec Spiritum Sanctum & fi-*

*dem conferebat, hoc dat largiter utrunq;. illud mediante Moſe, hoc Chriſto mediante datum eſt. &c. Et in his duobus primarijs fœderibus reliqua omnia radicabantur. Nam Adamiticum, Noachicum, Davidicum, ratione fructus & finis non unius, ad Novi Teſtamenti gratiam referuntur; quemadmodum quoq; Abrahamiticum magnâ ſui parte: ex parte vero Moſaicum reſpicit, vel certe affine eſt illi.*

*In hisce locis (Jeremiæ 31. c. 32. Heb. 8. Pſ. 89. Hoſ 2. &c.) de fœdere Novi T. Davidi quondam promiſſo, loquuntur prophetæ & Apoſtoli. Eſtq; fœdus illud fortiter ſtabilitum & auctum:* promiſſis *nimirum & juramentis Luc. 1. v 73. Pſ 132. v. 12. Pſ. 89. v. 36: ut de illius certitudine, reſpectu Dei, nunquam dubitaremus. Nam* controverſiæ omnis finis eſt juramentum *Heb. 6. v. 16. Quinimò non una, ſed duabus rebus immutabilibus (Deo videlicet immutabili & ipſius juramento) Deus immutabilitatem hanc ſui conſilij & fœderis confirmavit, ibidem v. 17.*

*Conſideremus ulterius, quibus illud fœdus ſit firmatum à Deo? Non duntaxat hominibus ſanctis & Electis, Verum Iſraëli & judæ Jer. 31. v. 31: qui in captivitatem non ſolum Babylonicam, verum etiam ſpiritualem (de qua iſthæc redemptio loquitur) abductierant. ibidem v. 36.*

Quis ſodes, Iſrael? *quis* Juda *indigitatur à prophe-*

*propheta? Num judæa carnalis tantum? Respondet Petrus in Actis capite 2. v. 38. Vobis (Judæis auscultantibus, & alijs, qui tamen non omnes salvantur)* facta est promissio & liberis vestris, & OMNIBUS, qui LONGE SUNT, & QUOSCUNQUE advocaverit Dominus Deus noster. Et Act. 13. v. 32. Nos quoque Evangelizamus, quod eam promissionem, quæ ad patres facta est, Deus adimpleverit filijs illorum. *Confer & v. 43. 46. 47. ejusdem capitis. Et canticum Zachariæ Luc. 2. conferendo v. 69. cum sequenti 71. 72. 73. Gen. 12. v. 3. quæ promissio in sequentibus capitibus repetitur, tanquam fons reliquarum. Ex quibus apparet, omnibus hominibus fœdus illud esse firmatum, licet, more judæorum, quidam à se repellant.*

*Et sicut ad omne fœdus certo pervenitur ordine, certaq; pacta à fœderalibus proponuntur servanda: ita ad hoc fœdus, licet omnibus sit factum, fit per applicationem verbi fidei & baptismi aditus, teste Petro Act 2. v. 38. 39. Permanebit autem homo in gratia fœderali, quandiu manebit in fide vera.*

*Domus igitur hæc Israel, cui fœdus fecit Deus, & quæ recepit, est cœtus credentium, qui nunquam recedet & deficiet totus: verum cum sit ipsa Ecclesia, ad novissimum usq; diem, imò in æternum, durabit. Neq; enim membra illius omnia deficient, licet multa labantur.*

Et

*Et propterea Jehova fœdus illud fœdus seculi* (עוֹלָם) *appellat, geminam complectens æternitatem: alteram periodicã, usq; ad finẽ mundi, in Ecclesia militante duraturã.* Alteram *absolutam & nullo tempore circumseptam Dan 7. v. 18. Confer & reliqua loca, quæ à* Crocio *nobis opponuntur.* Nam *fœdus istud,* respectu Dei, *est absolutè æternum, nec ullo tempore clauditur. Sicut enim Deus ab æterno salutem in Christo præparavit, & nobis in illo prædestinavit dare, sic in tempore procurat. Et nisi esset æternum, impij violati fœderis & incredulitatis pœnas non possent luere in æternum Joh. 3. v. 18. Gen. 17. v. 14. Idem confirmant verba objecta Jer. 31. v. 32.* Fœdus non removebo (אָשִׁיב) ut fœdus gentis antiquæ, quod ruptum, ipse quoque abrumpam & removebo. *Pactum enim hoc (misericordiæ & gratuitæ bonitatis) non removebo. Consentiunt nobiscum LXX, legentes:* Διαθήκην αἰώνιον, ἣν ὐ μὴ ἀποστρέψω ὄπισθεν αὐτῶν. *Sic ait Psaltes Ps. 89. v. 28:* in æternum servabo ipsi (*Davidi*) misericordiam meam & fœdus meum fidele ipsi erit, v. 29. & constituam perpetuo semen ejus.

*Neq; altera particula;* legem *scilicet* credentium cordibus inscriptam esse, *nobis obest. Nam respicit propheta ad legem Mosaicam, quæ tabulis lapideis inscripta fuit, nec Spiritum S. dedit, sed potius omnes damnavit: nec timorem & legem*

*sive*

*sive doctrinam Evangelij Cordibus credentium præbuit, nec deniq; per Spiritum Sanctum scripsit, illamq; dedit, ut nunc sit. Et propterea populus N. T. & cultores Domini sub eo, non tam facilè recedunt à Domino, quam populus Vetus, Exod. 32. v. 7. Jer. 31. v. 32. Hæc certa sunt. Si autem morosius urseris verba prophetæ, contra manifestam & veram nostram interpretationem: nos sanctorum à fide apostasian salvifica in N. T. futuram, à Spiritus Sancti prædictionibus, evincemus? Prædixit tantum? Quinimò clarè asseverat Rom. 11. v. 20. 21. 22. 2. Cor. 11. v. 21. ubi ait Apostolus:* Vereor, ne, sicut serpens Evam seduxit, ita corrumpantur sensus vestri, à simplicitate, quæ est in Christo Jesu.

Porro: *ut scriptio in corde facta, firmam quidem, sed tamen mutabilem, rei memoriam & conservationẽ designat, teste Salomone in Proverb. 3. v. 3.* γράψον αὐτὰς ἐπὶ πλακὸς καρδίας σου, Et Jobo c. 19. v. 23. *optante:* Quis det, ut verba mea scribantur stylo ferreo: *Sic in allegatis Prophetarum locis, inscriptio fidei prædicitur, verum ejusmodi, quæ non omnimodam ex animo deletionem respuat: Ex multorum enim cordibus recedit, exstirpatur, oblivioni datur & deletur. Jeremiæ 2. v. 32.* Nunquid obliviscitur virgo ornamenti sui, ac sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris. *2. Pet. 1.*

v. 9. Cui non adsunt hæc, cæcus est, qui eminus nihil cernat, oblitus sese à veteribus suis peccatis purgatum. Luc. 8. v. 13. ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

*Quin in veteri quoq; T. populus Clarissimas promissiones habuit, qui tamen defecit: & in novo multorum defectus & prædicitur & describitur: ut discamus promissiones Dei de stabilitate sanctorum rectè acceptare. Sic Levit. 16. v. 11. 12. inquit Dominus:* Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis mihi populus meus: Quod si autem non audiveritis me, nec feceritis mandata mea, sed spreveritis leges meas &c: Et Joh. 8. si manseritis in sermone meo, discipuli mei eritis.

*Et ne diu quæras, de quali stabilitate loquatur Dominus: Respondet Psaltes Ps. 89. v. 30. 31. Dominum, quidem fœdus istud non violaturum, sed immutabili constantia servaturum. Non a. negat fideles desciscere posse; nec omnem stabilitatem apud omnes ait futuram. Unde promittit quidem Davidi, hoc est, Christo semen & Ecclesiam ad finem usq; mundi durantem, cui verbo, sacramentis, alijsq; donis adsit: at non transgressoribus: quibus 1. virgam paternæ castigationis: 2. non conversis plagas quasvis denunciat.*

Proin-

*Proinde : cum fœdus Dei sit inviolabile & æternum erga omnes, qui id servant, futurum : quæstio de* recedentibus & obliviscentibus emergit: utrum & illos promissio maneat immota? Et, An illis, qui fidem abnegant, ipse Deus sit fidem servaturus: *Placidè Dominus respondet, se suum fœdus servaturum, ac tam misericorditer aturum, ut lapsis ad fœdus redeundi sit copia & potestas. Sitq; illos peccatores, qui per verbum trahi & vinci possunt, virgâ eo fine castigaturus Psal. 89. v. 32 33. Quare si nos pactum violemus, ipse fidelis est, qui semetipsum abnegare non potest 2. Tim. 2. v. 13. Illorum autem, qui perseverant, misericordem & clementem Deum se recipit futurũ, inquiens :* Non labefactabo testamentum meum, &, quod è labijs meis egressum est, non mutabo. Nam dona Dei, ut gratia & vocatio, sunt ἀμεταμέλητα. Rom 11. v. 29. Quare nec propositio Major, in syllogismo Crocij mole sua stat.

*Verum* adversarius Majorem *probare Conatur p. 92.* quod Deus fine suo excidere nequeat, nisi aut mendacium veritati, aut imbecillitas omnipotenti, aut mutatio constanti impingatur. *Resp. 1. Finis Dei, in salvandis sanctis non est absolutus, sed ordinatus : cum per certa media, conditionibus inclusa, suos renatos, deducat ad vitam æternam. Quæ Deus immotè servat, ac verè,*

*quod promisit, implet: homo autem habens non item.*

*2. Proinde necesse est, ut prius Crocius probet impossibilitatem defectionis sanctorum à Deo & fœdere divino; probet item, fœdus istud tantum cum absolute Electis esse initum, ac non cum omnibus credentibus in Ecclesia in genere, quam ut clamet, excidere Deum fine suo, si excidant renati.*

*Non enim si sancti cadant, Deus erit mendax, impotens, aut mutabilis: qui quicquid promisit, id omne abundanter servavit. Non a. promisit sanctis impossibilitatem defectionis à Deo: Verum promissionem doni, timoris ac spiritus divini ac gratiæ suæ, qui detur sanctis, ut non recedant: non autem tam absolutè dari ait, ut nequeant recedere.*

*Deinde: repetit Crocius ibidem p. 92. Arminii exceptionem, ita scribentis:* Fœdus Dei, cui Jeremiæ 32. fit mentio, non continet in se impossibilitatem defectionis à Deo, sed promissionem doni & timoris, quo, quandiu id in ipsorum cordibus vigebit, impedientur, ne recedant à Deo. At vero illud donum timoris excuti non posse, nusquam scriptura docet, neque utile est ejusmodi promissiones fieri fœderatis Dei. sufficit si promissionibus, fulciantur adversus omnes mundi, carnis, peccati, Satanæ, iasultus, & quod, si modò gratiæ & sibi ipsis non desint, adversus omnes hostes firmiter sint constituti.

Cui

Cui frustra regerit Crocius, committi fall. oppositorum. *Ea enim, quæ ab* Arminio opponuntur, ut causa & effectus, consentiant. Hæc enim sit causa, cur fœderati à Deo deficere non possint, quia Deus indat illis timorem suum, ut ab eo non recedant.

*Resp. Falsissimum! Licet enim non negemus, promissiones, dona & timorem esse causas Perseverantiæ sufficientissimas, & omninò tantas, quibus omnes Electi eriguntur, durant, & in officio continentur: ac, si quando labântur, rursus convertuntur: tamen Crocio ista consequentia est probanda: Deus indit timorem suum in corda credentium. Ergo nulla ratione POSSUNT recedere. Non n. Deus hominem tam immutabiliter & potenter in bono detinet, ut impossibile sit, illum recedere, verum necessariò hærere in eo.*

*Deinde: Quid quæso, aliud est timor Domini, quam spiritus gratiæ, illustratio, verus Dei cultus & fides? At quoties sancti ab illis discedunt, si hunc vel illum in individuo respicias? Ecclesia verò tota credentium, de qua agit, & cui toti facta est hæc promissio, nunquam excidit. Accedit deniq.: aliud esse timorem Dei, in locis nobis objectis, aliud autem Deum, qui dat timorem. Deus dat timorem sui, & spiritum; in verbo & sacramentis nos in eo conservat, si, cum avertentibus se à Deo, obicem non ponamus. Si autem recedat homo à Deo, ipse quod*

*Deus cum timore & donis antea collatis, recedit. Neq; enim vel Deus, vel timor Dei in Davide (E.G.) pestimis flagitijs indulgente, manebat, ipsumq; ab illis revocabat: verum cupiditatibus suis & dominatui earum permittebat.*

*Deinde ait p. 93.* Arminium petere principium, Dum inutile esse asserat, promitti fœderatis Dei constantiam. *Resp. Verùm dum Arminium principij petiti agit reum, ipse fallaciam ἐπεζήτησις incurrit: siquidem non simpliciter constantiam & Perseverantiam sanctorum, ex objectis locis, confirmari posse, inficiamur: sed ipsimet ordinatam, non fatalem & immutabilem, ex parte hominum, inde docemus & credimus. Adversarius autem immutabilem perseverantiam ex eis evicturus, argumentis & probationibus defecit.*

*Neq;* Crocianus *istesyllogismus, quem in nos retorquere nititur, nos ferit p. 93.* Quicunque promissionibus Dei fulciuntur adversus omnes tentationes mundi, carnis, peccati, satanæ: ijs perseverantiæ donum promittitur. Atqui fœderati Dei promissionibus fulciuntur, adversus omnes tentationes mundi, carnis, peccati & satanæ. Ergo fœderatis Dei perseverantiæ donum promittitur. *Non, inquam, nos ferit, nec obest: Imò nec adversarij perseverantiam immutabilem, & ex absoluto decreto manantem juvat: sed nostram in Christo & promissionibus ordinatam miri-*

*mirificè confirmat, ac conscientias pavidas confortat.*

*Quæ Crocius p. 94. contra libertatem arbitrij disputat; rectè* Arminianis *&* Pelagianis *opponuntur: minimè nobis: qui velle, stare, & perficere nostræ vitæ spiritualis Deo acceptum ferimus, ac soli adscribimus, quicquid habemus & quicquid accepimus unquam.*

*Pag. 95. objicit nobis Augustinum adversarius Lib. de Dono* Perseverantiæ c. 2. dicentem: Cum sic loquitur Deus, timorem meum dabo in cor eorum, quid aliud est, quam talis ac tantus erit timor meus, quē dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhæreant. *Resp. Augustinus disputat contra Pelagianos, qui Perseverantiam non esse donum Dei, sed in hominis volentis potestate situm contendebant, eamq; ab hominibus peti à Deo, & dari illis demonstrat. II. opponimus Crocio eundem Augustini librum c. 6. nostram sententiam approbantis:* At enim voluntate sua quisque deserit Deum, ut meritò deseratur à Deo. Quis hoc negaverit? Et cap. 8: Ex duobus pijs; cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei. *Post pauca subijcit.* Nonne postremò utrique vocati fuerunt, & vocantem secuti, utrique ex IMPIIS JUSTIFICATI, & per Lavacrum regenerationis UTRIQUE RENOVA-

NOVATI? sed si hæc audiret ille, qui sciebat procul dubio, quod respõdebat, respondere posset & dicere; vera sunt hæc. secundũ hæc omnia ex nobis erant; verum secundum aliam quandam discretionem (scilicet æternæ Prædestinationis) non erant ex nobis. Proinde sanctus ille Pater I. non negat illos fuisse renatos, sed fortiter asseverat. II. Renatis opus esse scribit, ut in omnibus petitionibus Orationis Dominicæ perseverantiam rogent. Exindeq; eorum excidendi δύναμιν probat. Quod verò quis rogat & petit, eo modo, quo rogat & petit, nondùm habet. Quare si sancti in hac vita haberent perseverantiæ donum immutabilis: frustra in precibus & oratione Dominica quotidie flagitarent. 3. Sanctos regenitos & justificatos, secundũ præsentem gratiam, rursus excidere gratia & perire posse, testatur. 4. Electos justificatos, qui stant, ab alijs justificatis discriminat.

Supra attigimus in omni fœdere esse partes fœdus contrahentes: quarum utraq;, quod suum est, agere debeat: utraq; (excepto Deo) absolutè considerata, fœdus violare possit. Sic in fœdere gratiæ N. T. quod Deus nobiscum pactus est, se hominem, per & propter Christum, ex mera sua misericordia, in gratiam recepturum, peccata remissurum, & cor ac mentem renovaturum sponsondit: sed ab homine receptionem gratiæ fœderalis, per verbum & sacramenta oblatæ, tanquam potentiam

Dei

*Dei ordinatam, requirit. Fœdus autem ordinatum & conditionale non potest persici & servari, nisi utraq; pars officium agat suum, & conditiones fœderis impleat.*

*Adversarius, cui hæc non sapiunt, indignatur & vociferatur 1. p. 96.* Inverecundum animi ingenium possidere, qui negaret Deum indere Spiritum suum cordibus nostris. *Resp. Id nemo negat, nisi 1. Pelagianus & gentilis animus, ac similes gratiæ & veritatis divinæ hostes 2. Calviniani, qui justificatis secundum præsentem gratiam, aliys dari Spiritum Sanctum dari non debuisse sentiunt: propterea quod sit bonum absolute duntaxat Electorum.*

Secundò regerit in eo, quod Deus nos sua gratia & favore, ad finem prosequitur, tutelam & præsidium sententiæ Calvinisticæ collocari. *Resp. Præsidium quidem & tutela hæc esset tuta & firma, si Crocius auxilium & gratiam divinam homini, immutabiliter & necessariò adhærentem dari, prius probasset; præsertim si secundum carnem vivat, & in peccata regnantia, ut cædes, adulteria, homicidia, idololatriam, prolabatur. Quod cum docere nequeat, præsidium in lubrico & fabuloso posuit fundamento.*

*Pag. 96. 97. Pessimè ex suppositа distinctione* (quam suo quidem *loco usurpatam approbamus, hic autem aliena est*) inter nos, secundum nos spectatos

ctatos, inter & ordinem & gratiam fœderalem, infert, quod spectati in nobis, non modo fidem ac justitiam, singulis penè momentis, deserere, sed & nulla ratione tueri possimus : spectati vero in ordine ad fœdus gratiæ divinæ, fidem ac justitiam penitus deserere non possimus; non vigore & robore virium naturæ, sed spiritus Dei fidem inserentis, semelque insitam conservantis fortitudine. Pessimè inquam! *Nam hoc ipsum est κεχνόμενον, de quo inter nos & Calvini sequaces controvertitur, & petitio principij. Negamus sanè Deum, ob fœderalem gratiam tanto molimine in nos agere, nosq; trahere, ut recedere ab ipso nequeamus. Trahimur quidem & ducimur à spiritu Dei, sed ita, ut ductui ipsius non obsequi, sed adversari, resistere, & contemnere eum possimus. Act. 7. v. 51. Luc. 7. v. 30. Deinde: si distinctio Crocij in præsenti negocio valere debebit: lex universa, collabetur, nec ulla Resp. amplius consistet. Quivis enim maleficus in judicium protractus & accusatus exciperet, se peccatum non tota anima, sed quatenus non regenitus fuerit: vel (quod idem est) secundum se & in se spectatum, feciſſe, non in ordine fœderis divini. Saulem sibi relictum quidem peccasse 1. Sam. 14. non intentione legis divinæ, quam servari optarit. Verumenimvero, nullus judex ejusmodi excusationes acceptat, ita concluſurus: A lege Domini aberrasti, committendo homicidia,*

micidia, furta, adulteria, incestus &c: Ergo juxta legem divinam morte morieris, & pœnam, delicto dignam lues.

*Instat* Crocius, *assertionem nostram (quod utrang; partem fœderalem, quæ sui officij sunt, oporteat strenuè obire, ac conditiones servare)* redolere ignorantiam discriminis inter fœdus naturæ & gratiæ Jer. 31. v. 33. 34. explicati. In fœdere naturæ pactum esse Deum obedientiam ex proprijs naturæ viribus præstandam: in fœdere gratiæ ex viribus supra naturam ex mera gratia conferendis. Unde in hoc fœdere Deus dicatur non malè solus omnia facere.

*Resp. 1. Fœdus à* Suida *definitur* obligatio naturalis, qua partes dissidentes, certis conditionibus mutuò præstandis, conveniunt, de societate, de mercimonijs, de pace, de inducijs, deque id genus rebus. *Id, quoad sensum Pareus noster*, Croci, *in* Prolegom. Epistolæ ad Rom. *pag. 11. repetit & probat. Firmabantur autem inter victimas dissectas, quibus optabant & precabantur mutuò: ut, si alterutra pars non stetisset pactis, ita dissecaretur, ut refert Cyrill.* Contra Julianum. *II. Fœdus Naturæ, qua naturæ, inter Deum & hominem est nullum. Non fuit* ante lapsum, *quod peccata nulla inter Deum & homines dividerent: ideog; nulla fuerit reconciliatione opus per fœdus factâ.* Nec tale post lapsum fuit.

*Quod*

*Quod velim non meis, ſed tui Parei verbis credas, ſcribentis Col. 11. â:* Diſcernunt aliqui inter fœdus naturale & gratiæ. Sed fœderis naturalis nuſquam, quod ſciam, in ſcripturis fit mentio, nec ullum naturale eſſe poteſt, cum nulla ſit creatoris ad creaturam naturalis obligatio: ſed omnis obligatio eſt gratiæ & ex gratia. Omne igitur fœdus Dei eſt gratiæ, hoc eſt, gratuita conventio Dei cum homine de bonis dandis à Deo, accipiendis ab homine. In comment. in Gen. *Col. 1130 meminit quidem fœderis Naturæ, & ad Irim reſtringit. Quod tamen ipſum quoq; eſt gratiæ, ſicuti ipſemet hic fatetur. Huc 3. accedit ambiguitas in voce* Naturæ. *Quidam enim Naturæ fœdus explicant de fœdere* Noachico, ut Pareus *in comment. in Gen. c. 17. Coll. 1130:* Crocius *de fœdere Moſaico. Martinius videtur duplex fœdus Naturæ fabricare in Epitome Theologiæ in 12. edita Bremæ, anno 1615. Aliud* integritatis, *quod deſcribit ſolenne* fœdus religionis naturalis inter Deum & hominem, ut liberè veſcerentur ex omnibus arboribus; & lege lata, arborem ſcientiæ boni & mali, ſub comminatione mortis æternæ vitarẽt, promiſſio vitæ æternæ illis continuaretur, ſi perſtitiſſent in obedientia; addito ſacramento arboris vitæ. *Alterum fœdus vocat fœdus Naturæ violatum. Aliter ſentit ac loquitur* Scarpius in Curſibus Theologicis *Coll. 657. ubi*

*fœdus*

fœdus Mosaicum Exod. c. vigesimo quarto factum, appellat operum: cui opponit duplex fœdus gratiæ: Alterum vetus cũ Adamo, Alterum novum in Christo sancitum, quod sit veteris Adamitici renovatio. Alij aliter. Crocius p. 97. naturæ fœdus definit, quod in eo Deus pactus sit obedientiam ex proprijs naturæ viribus. At respondemus scripturam, teste Pareo, id nullibi naturæ, sed fœdus legale, Mosaicum, vetus appellare. 2. Vox naturæ est ambigua, modo integram indigitans naturam, modò corruptam, modo alias significationes. 3. Ipsa appellatio est inconveniens, quum nulla sit Dei erga hominem naturalis obligatio. Et 4. nec fœdus sit respectu omnium hominum universale, multò minus totius Naturæ & animalium omnium 5. sub isto vocabulo multi errores occultari possint. 6. Nec tamen illud naturæ fœdus absq; gratia esset omni, ut opposita distributionis membra verè dici queant. Quare vocis istius novitatem fugiamus, ac cum scriptura loquamur, ne erremus.

*Frustra regerit* in V. T. nos ex Naturæ viribus egisse: in N. T. Deum omnia facere. Nam quemadmodum ibi Deus vitam æternam & bona temporalia omnia sub conditione obedientiæ promisit: *Ita hic omnia quidem solus facit, quæ ad salutem nos perducunt, veruntamen non absq; ulla conditione. Nam etsi salutis initium & progressum procurat, hominem renovat*

*sustentat, spiritu implet & obsignat: non tamen nullæ sunt hominis partes: nimirum ut salutem oblatam non repudiet, & resistat Spiritui Sancto: sed agenti obsequatur illuminatus ab eo; faciat bona opera, & per ea salutem firmam efficiat &c. Agnoscit ipse quoq; Pareus fœderis conditiones à nobis certas esse implendas.* inquiens in Prol. Epist. ad Rom. col. 11. Aliud (*fœdus est*) gratiæ spiritualis seu de bonis spiritualibus. Estq; in genere hoc fœdus doctrina spiritualis gratiæ, offerens Ecclesiæ, Dei nomine, benedictionem & salutem æternam, cum restipulatione ejusdem de obedientia & gratitudine Deo præstanda.

*Regerit adversarius p. 97.* Non malè dici, Deum in hoc fœdere solum facere omnia. Etsi enim (*sic pergit*) ipse sibi non obedit ea obedientia, quam pactus est, tamen obediendi principia non à nobis, tanquam à nobis exigit. Subijcit causam p. *98:* Etsi in omni fœdere sint tot agentes: quam contrahentes: tamen in fœdere gratuito, sufficit, si ab una parte sit reliquarum partium agendi principium. *Resp. Quamvis Deus agat, operaq; nostra sint fructus spiritus, non tamen facit & operatur sine nobis Rom. 8. vers. 15. 26. Gal. 5. v. 22. 16. & 25. Neq; enim falsa sunt Spiritus Sancti enunciata, quibus regenerati diligere Deum & proximum, exercere pietatem, credere, vitare*

dare peccata, fructus spiritus facere, ferre; ambulare spiritu & vivere perhibentur & jubentur.

*Quin utrumq;, quod scilicet homo ex suis viribus nihil possit: possit tamen multum per Deum in ipso operantem, testimonia sequentia, contra nos à Crocio allata, evincunt 2. Cor. 3. v. 4. 5.* Fiduciam autem ejusmodi habemus per Christum apud Deum, non quod idonei simus EX NOBIS IPSIS ad cogitandum quicquam, velut ex NOBIS IPSIS, sed sufficientia nostra (ἱκανότης ἡμῶν) ex Deo est, qui & idoneos effecit (ἱκάνωσεν) nos ministros Novi Testamenti. *Observentur theoremata: 1. Ex nobis, secundum naturales nostras vires, nihil possumus. 2. omnis virtus nostra spiritualis & sufficientia est ex Deo. 3. Ipse facit, ut nos renati quoq; agamus, non ex nobis, sed ex viribus & per vires, hoc est: ex fide dona spiritus, fidem sequentia, ipsimet cum spiritu quoq; operemur. 4. ut Apostoli operantur & agunt in prædicatione verbi & convertendis hominibus (quod opus tamen ipsi principaliter non agunt & efficiunt, verum ut instrumenta & causæ ministræ respectu Dei: utq; rusticus in agricultura, cui benedictionem dat Deus, operatur naturaliter: sic spiritualiter & homo renatus & Spiritus Sanctus agit in omnibus bonis operibus fidelium: qui licet ut causa principalis, & ipsum*

*opus & nativitatem spirituálem operetur in nobis, tamen non sine nobis, opera fidem sequentia, operatur: Nam & nos operamur, verum non naturaliter, nec nostris viribus innatis, sed supernè datis. Phil. 2. v. 13.* Deus enim est qui efficit in VOBIS ut VELITIS (eriam ipsi) & ut efficiatis pro gratuita sua benevolentia. Pie & graviter Augustinus super hæc verba, Nos ergo volumus, sed Deus operatur in nobis velle; Nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & OPERARI pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo, cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus. Quod autem attinet ad pietatem & verum Dei cultum non sumus idonei cogitare aliquid, TANQUAM ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Sic 1. Cor. 4. v. 7. Quid autem HABES, quod non acceperis? Quod si etiam ACCEPISTI, quid gloriaris, quasi NON RECEPERIS? Heb. 12. v. 2. Constantur propositum stadium DECURRAMUS (ipsimet nos) intuentes in ducem & perfectorem Jesum. Consentit nobiscum Augustinus l. 4. Hypognost c. 13.: Habet, ait, nihilominus (homo) & bonum meritum, cum in omnibus gratiæ Dei bona in se operantis, non RESIS-

RESISTIT, sed COOPERATOR existit & omnem spem suam habet in illo, cum autem suam & cor Deo loquenti intus, hoc est, in interiore homine præbet, & non foris, in malis in seculo perstrepenti, quod meritum non habet propter præsentem vitam, tanquam in præsenti seculo recepturus, sed propter futuram veram vitam. Ambrosius (vel potius Ruffinus aut Prosper) lib. 2. de vocatione Gentium c. 9: Quod gratia, inquit, à multi refutatur, ipsorum est nequitiæ; quod autem à multis suscipitur & gratiæ est divinæ & voluntatis humanæ. Nulla enim species cujuscunque virtutis occurret, quæ vel sine dono divinæ gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatis habeatur.

*Hominem igitur renatum, viribus à Spiritu Sancto acceptis, cooperari Deo, non est Pelagianum: sed potius, si quis omnem motum & arbitrium ipsi denegaret, apertum defenderet Manichæismum; maximè si & non renatis omnem derogaret gratiam recusandi potestatem Matth. 23. v. 37. Proverb. 1. v. 24. Luc. 7. v. 30.*

*Denique quod concernit Es. caput 54. v. 10. responsionem eadem sibi datam arbitretur, quam reliquis hujus farinæ locis opposuimus. Cui hoc addimus, caput istud integrum, amplitudinem & felicem statum Ecclesiæ Novi Testamenti, nobis in genere, depingere: cujus descriptionis partes singulæ*

*ſingulis ejus membris minimè conveniunt: ſed Electis, ad finem vitæ usq; ſtantibus, licet in curſu variè jactatis. Nam ut pax & ſecuritas, quæ verſu 2. & 3. pijs promittitur, varias, easq; triſtes & horrendas, tam mundi, quam carnis & hoſtium, tentationes & perſecutiones, non excludit: ita nec temporales lapſus totalem gratiæ excuſſionem fieri impediunt, ſed duntaxat finalem.*

*Ad teſtimonium Pſ. 125. v. 1. ſupra ſatis ſuperq; fuit reſponſum, ut hic quicquam addere non ſit opus.*

*Sunt qui allegatis Crocij locis fœderalibus conjungunt illum Hoſ. 2. v. 18:* Et pangam eis fœdus in die illa &c: v. 19. deſponſabo te mihi in ſempiternum, deſponſabo, inquam, te mihi in juſtitia, & in judicio, & in miſericordia, & in miſerationibus. v. 20. Deſponſabo te mihi in fide & cognoſces Jehovam. *Reſp. 1. Promittitur ſpirituale conjugium inter Deum & Eccleſiam, quo intima Chriſti & Eccleſiæ conſociatio depingitur. Chriſtus enim Eccleſiam ſibi unit & devincit, ut ſit unus cum ipſo ſpiritus & una caro. 2. Deſponſat ſibi Deus quidem Eccleſiam intimo & interno fœdere, æterno ex parte Dei, ſed non ex parte hominum illorum, qui gratiam fœderalem gratuitæ juſtificationis & renovationis abijciunt.*

*Verum regerit* Pareus in comment. *ſuper h. l. col. 40.* opponi renovatam deſponſationem

nem priori. Priorem fuisse mutabilem, solubilem, abruptam per apostasian: hanc fore stabilem, insolubilem, sempiternam in Christo. Inde concludit, nisi salus Electorum Deo & ipsis certa esset, non fore desponsationem æternam. *Resp. 1. & desponsatio prima legalis fuit solubilis, quod nemo legem servare & ex ea salvari possit: ideoq; nequaquam in æternum manere. Posterior desponsatio autem ex gratia evadit æterna, quia Deo nos gratis salvanti, in æternum conjugamur fide. 2. Etsi autem hoc fœdus ex mente & intentione Dei despondentis est æternum & immutabile, nunquam Ecclesiam deserentis: Tamen ut revera fiat desponsatio, & ex parte hominum maneat æterna, fides ab illis finalis requiritur. 3. Accedit, quod propheta de tota loquatur Ecclesia, quæ per lavatrum in verbo, est regenerata Eph. 5. v. 26. induit Christum Gal. 3. v. 27. atq; ita conjugium spirituale existit; quo multi rursus excidunt, & fœdera conjugij rumpunt. Docet id Apostolus 2. Cor. 11. v. 2. 3. Ezech. 16. v. 8. 9. Jer. 2. v. 32. c. 3. v. 1. Itaq; in omni fœdere necesse est 1. ut partes, fœderis requisita approbent omnia & recipiant. 2. utring; pacta fœderis servent, quibus non servatis fœdus & fides rumpitur 3. Quod, licet ex parte hominum hac ratione irritum fiat, ex parte Dei tamen nunquam irritetur. Neq; enim hominũ incredulitas Dei fidem & fœdus aboleverit Rom. 3. 4. Hebr. 6. v. 17. 18*

*Ex his pateſcit nec id Parèo dari poſſe, vetus conjugium fuiſſe id, quod Deum cum Adamo inijſſe contendit. Gen. cap. 1. & 2. Nam etſi iſtud fœdus (ſi modo veram fœderis definitionem ſuſtinet) per triſtem lapſum irritum eſt factum: tamen in fœdere, Oſeæ 2. deſcripto, Dominus ad duo reſpicit: ſcilicet tam ad conjugium ſpirituale cum populo Dei initum, quod judæi per apoſtaſian Baaliticam, & varia ſupinæ idololatriæ genera ruperunt, ut Oſeas c. 1. & 2. Jer. 2. & 3. & paſſim prophetæ docent: quam ad conjugium & fœdus in Horebo ſanctum & ſolenniter confirmatum Exod. 24. v 8. Jerem. 31. v. 31. Quod hic præcipuè attenditur. Nam fœdere antiquo à Judæis irritato, Deus noſtri miſertus, ipſemet quoq; irritavit, & novum promiſit in Chriſto nobiſcum ineundum. Huic gratiæ fœderali, ex N. T. in vetus (quod agnus eſt ab initio mundi mactatus) lucenti, Deus ut luci obſcuriori, hic majorem lucis Claritatem donorumq; copiam opponit.*

*Hæc ſunt teſtimonia Crocij ex V. T. adducta, pro aſtruenda Perſeverantia ſanctorum, à parte hominum etiam neceſſaria & immutabili: addamus & aliorum nonnulla.*

Palatini Theologi in Actis ſynodi Dordrechtanæ p. 790. citant illud Ezech. 36. v. 26. circumcidet Jehova animam tuam & animam ſeminis tui ad diligendum Deum ex toto corde

*Reſp. 1.*

*Resp. 1. Hæc promissio est toti multitudini Israëliticæ facta, quam universam, in individuo quoq; manisse circumcisam, qui contenderet, helleboro curandus esset. Nec ipsos Calvinianos, salvis suis hypothesibus, asserturos, sat scio. 2. omnium quidem corda circumcidebat Dominus in circumcisione corporali, qua in fœdus Dei, non temporale, sed æternum recipiebantur: Attamen in circumcisione ista spirituali plerique non stabant 1. cor. 10. v. 5. Rom. 2. v. 25. & seqq. Neq; vero sequitur: Deus simul corda illorum circumcidit (spiritualiter sive in baptismo, sive circumcisione, sive aliàs in verbo suo) Ergo circumcisi omnes manserunt. Multi enim defecerunt.*

*II. Ibidem v. 16. 17.* Dabo vobis cor novum, & amovebo cor lapideum à carne vestra indam vobis cor carneum: & spiritum meum ponam in medio vestri, efficiamque ut in vijs meis ambuletis. *Resp. 1. Deus dat cor novum quando malleo legis cor lapideum convertit in carneum, hoc est, in tale, quod emollitum minis, auscultet verbis Jehovæ & convertatur. Quale exemplum in Actis Apostolorum c. 2 v. 37. suppeditatur. 2. vaticinatur propheta de beneficijs universæ Ecclesiæ, quæ omnibus inviduis in ea non competunt. Deus enim dat spiritum suum in medio Ecclesiæ* (בְּקִרְבְּכֶם in medio vestri) *quo per ministerium verbi, potentiæ Dei ad salutem ordinatæ,*

*efficit, ut credentes in vijs Domini ambulent. Hæc ſunt opera Dei, in quibus multi, quos Deus effectu-rus erat ambulare, nõ ambulant, nec verbũ recipiũt, ſed abijciunt. Magnæ proinde ſunt iſta promiſſa Dei, ſinceris Chriſtianis curæ magnoq; ſolatio, quibus in adverſis erigi, in proſperis gaudere & frui ſemper debent: ideoq; ordinatã ſanctorum Perſeverantiam ſtabiliunt: immutabilem verò & neceſſario ex parte hominum durantem, Calviniſticam non juvant. Neq; enim ſequitur:* Si Deus in Eccleſiæ N. T. medio, operatur, ut ejus membra pœniteat delictorum ſuorum; ponit ſpiritum, ut ambulent in vijs Domini. Ergo vel omnia individua in ea; vel ſemper & ad finem vitæ uſque in vijs Domini ambulant. *Nam multos in Eccleſia militante quotidiè, non tantum labi, ſed quoq; perire cernimus. Multò minus certum eſt, Deum per phantaſticum quaſi raptum cum illis actum, quo ita ferantur & trahantur, ut non ruant in regnans aliquod peccatum, aut Spiritus Sancti gratiam, ſecundum carnem viventes, abijciant.*

*III. Eſaiæ 59. v. 2.* Hoc autem fœdus meũ, quod ego pangam cum eis, dixit Jehova, ſpiritus meus, qui eſt ſuper te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dixit Jehova, ex hoc tempore & uſque in ſeculum. *Reſp. 1. Promittit Dominus, miniſterium Eccleſiaſticum in Eccleſia N. T. ſemper ad noviſſimum usq; diem manſurum, ex cu-*

*jus*

jus concione Spiritum Sanctum accipiamus Gal. 3. v. 2. Rom. 10. v. 17. Neq; hoc modo verbum Dei & spiritus ab Ecclesia universali in terra, unquam recessit; quamvis ab omnibus & Ecclesiis particularibus & sanctis, quoties verbum ex ore dimiserunt & contemserunt, recesserit, id quod tristia Ecclesiarum quondam florentissimarum, nunc autem Mahumetana aut AntiChristiana tyrannide miserè exstirpatarum exempla ostendunt. Præter hunc quæstionis Ignorantiæ Elenchum, committunt quoq; fallaciam consequentis. Aliud nanq; est Electos non cadere, aliud illos non posse cadere 3. Incurrunt cum Piscatore fall. subjecti, quod ad solos Electos rapiunt, quæ Deus de universa pronunciat Ecclesia. Denig; 4: si omninò non nisi ad Electos, esset quis verba testimonij hujus rapturus, is noverit se nihil obtenturum; cum à genere ad speciem certam & individuæ; ab Electis in genere consideratis, ad hunc vel illum Electum, non liceat argumentari. Multa enim singularia Ecclesiæ membra committere & agere possunt, quæ non nisi absurdissimè Ecclesiæ Electorum universali attribueres

IV Zachariæ 12. v. 20. Resp. 1. Hic duntaxat fœdus, cum Davide sancitum, hominibus in N. T. futuris pollicetur Deus: de quo supra satis 2. Quomodo Spiritus Sancti copia in N. T. maximè sub ejus exordium data sit, Acta Apostolorum luculentè recen-

*recenſent: quæ id præcipuè de miraculoſis explicant donis. Immutabilitatis autem ſanctorum & negationis apoſtaſiæ nulla fit mentio.*

*Sunt qui illud Canti. c 8. v. 7. nobis objiciunt.* Aquæ plurimæ non poterunt extinguere charitatem, nec obruent eam. *Reſp. Chriſtus ſive ſponſus noſter ſpiritualis, de ſponſa ſua, in maternas ædes adducta, loquitur, in quibus verbum Dei audiens & conſervans, non recedit. Proinde de confiſis Chriſto ſanctis, quem velut ſigillum & σφραγίδα cordi imponunt, agitur: & de illis qui Chriſtum tam diligunt, ut charitatem eorum flumina non obruant: id quod nec de omnibus ſanctis, nec ſemper de illis prædicari quibit. Certè contrarium ipſimet nonnulli Calviniani diſertè determinant & confitentur. Scribunt enim Magnæ* Britanniæ Theologi in Actis ſynodi Dordrechtanæ p. 771. certum fuit, inquientes, Electos Dei ſervos, Davidem & Petrum, ad regnum cœlorum perventuros, & tamen non minus certum, ſi ille in adulterio & homicidio, hic in Chriſti abnegatione & perjurio impœnitentes permanſiſſent, neuter eorum ſalvus eſſe potuiſſet. Et rurſus ibidem: impoſſibile eſt, ut David Electus pereat; impoſſibilile ſimul, ut David adulter & homicida, ſi mors illum oppreſſerit impœnitentem, non pereat, *Hæc illi, qui ſi nihilominus aſſeverare non ceſſabunt, in Davide homicida & adultero,*

tero, Petro perjuro abnegatore, Salomone idololatra & idololatriæ defensore & autore, mansisse aquas charitatis, nec flumina eas obruisse, næ cum ratione insanient 2. Quare cum hæc encomia Ecclesiæ in genere, & credentibus in ea tribuantur, ad singulas in ea personas abripere non licebit. Ecclesia quidem militans ipsa, nunquam procellis & aquis tribulationis eo devenit angustiæ, ut recedat tota: membra tamen nonnulla recedere, & fluminibus peccatorum planè obrui, minime negandum est. Confirmat id salvator Apoc. 2. v. 4 angelo Ecclesiæ Ephesinæ sic scribi præcipiens: Habeo adversum te, quod charitatem tuam priorem reliquisti v. 5. memor esto, unde excideris & age pœnitentiam & prima opera fac. Sin minus venio tibi citò, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi egeris pœnitentiam.

Hasliaci in Actis synodi Dordrech. inter cætera, isto loco Prov. 24. v. 16. utuntur: septies in die cadit justus & resurgit tamen. Resp. 1. Non est Salomoni de lapsibus sanctorum in regnantia peccata sermo: sed de rebus adversis & periculis vitæ quotidianæ innumeris. Quod, ut nihil de alijs argumentis dicam, vel ipsa oppositio evincit: nimirum in malis, in quæ justi quidem etiam cadunt, & resurgunt, submergi impos. Consentiunt fontes, qui legunt יִכָּשְׁלוּ בְרָעָה impingent, labefactabuntur in malo (fortunæ): in qua significatione frequen-

*frequenter in sacro codice istud verbum accipitur.* Hinc Lutherus in margine annotavit: GOtt hilfft wider auff den Gerechten / wie offt er verdirbt vnd vertrieben wird. *Vulgò quidem de offensis & erratis sanctorum interpretantur, sine quibus singulis diebus, ob summam vitæ humanæ fragilitatem, non queunt vivere. Quod si approbâris, nec eo modo quicquam contra nos obtinebis: cum enormiter grandia peccata ab offensis distinguenda, nobiscum ipsimet Calviniani moneant. Quare 3.* Salomonem *non negare sanctorum apostasian, manifestum est. Hoc enim sine sua præcepta & adhortationes scripsit: sed tantum, quid justis quotidiè eveniat, quidque caveant, & lapsis quæ solatia præbeant, recensèt.*

# DE LOCIS SCRIPTURAE, QUÆ CROCIUS EX N. T. pro necessaria & immutabili Sanctorum perseverantia citat.

*HActenus testimonia* Crocij & aliorum Calvinianorum, *ex V. T. pro sanctorum in fide non interruptâ & immutabiliter necessaria Perseverantia, in scenam producta, repurgavimus & suo nitori restituimus: restat, ut quibus, ex Evangelistis & reliquis N. T. scriptoribus erutis, militat Crocius*

*ta pari studio & zelo, à corruptelis vindicentur, atq; usus eorum in Perseverantia pius & salutaru, pavidis conscientijs ob oculos proponatur.*

*Primum itaq; oraculum Spiritus Sancti, ex N. T. prolatum; in Matthæo quarit cap. 7. 22. 25* Quisquis audit ex me sermones istos, & eos præstat assimilo eum viro prudenti, qui ædificat domum suam super petram, decidens autem nimbus & venerunt & flaverunt venti, & incidetunt domui illi: sed non cecidit, fundata n. fuerat supra petram. Ex eo sic p. 100. contra nos concludit. Qui sunt fundati supra petram, ideoq; nec tentationum nimbis, fluminibus ac ventis cedunt: ij fidem ac justitiam suam non possunt prorsus deserere. Atqui sancti sunt supra petram fundati, &c. Ergo sancti justitiam ac fidem non possunt prorsus deserere.

Resp. 1. ad propositionem negando connexum. *Nam 1. Multi qui ex verbo & spiritu supra petram, Christum, fuerunt fundati, excidērūt fide: quidam temporaliter, quidam finaliter. Itaq; propositio Crocij sic fuerit limitanda.* Qui sunt fundati supra petrā, atque ita fundati, ut audiant ex Christo sermones ejus ac in fide præstent, supraque petram ædificent: illi, incidentibus tempestatum & persecutionis, procellis, fluminibus & nimbis non cadunt. *Jam vero* Assumptio *falsa est, videlicet, omnes renatos ita supra Christum*

*ſtum SEMPER eſſe & manere ædificatos. Conf. Apoc. 2 & 3. Rom. 11. v. 20. 21. 22. 2. Cor. 11. v. 2. 3. & 5. Hac limitatione ſubjecti neglecta, & conditionibus, quibus deſcribuntur renati, mutatis, nec ipſum ſubjectum amplius mole ſua ſtabit.*

*Excipit adverſarius p. 101.* diſtinctionem, inter ovem, Chriſti ſermones audientem ac transgredientem, non agnoſcentem aut abhorrentem eos, petere principium. *Reſp. 1. ſtatus quæſtionis eſt de homine renato, num rurſus fide penitus excidere poſſit. Crocius verò reſpondet de ovibus Chriſtum audientibus. Ergo nihil ad rem. 2. cum Matth. 7. v. 24. 25. ovis nulla fiat mentio; quamobrem* χρησΦυγέτω *de ovibus ſtantibus Electis ex Joh. capite 10. arrepto, non ex ipſis textus viſceribus, opinionem tuam tueris, Croci? Annon inde liquet, te ultrò fateri & agnoſcere, quod ex hoc loco tuum inſtitutum obtinere nequeas? 3. Urgeo Crocium negatione ſua, quod oves Chriſti non ſint, quæ ipſius vocem non audiunt, ſed tranſgrediuntur. Si enim ovis Chriſti non eſt, quæ ejus ſermones tranſgreditur; non audit nec agnoſcit: quid fiet Davidi homicidæ & adultero, ſermones Dei tranſgredienti; idq; in tantum, ut fecerit malum in oculis Domini, & fuerit vir mortis? Quid Salomoni idololatræ, Deum non agnoſcenti, nec ſermones ipſius audienti, ſed tranſgredienti, audientiq; peßimæ idololatriæ ſacerdotes, ſcorta, voluptates?*

*Deli-*

Deliberet secum Crocius, utrum hos alios q; lapsos pro ovibus Christi habere & agnoscere velit; vel ovium nomen illis derogare. Si n. prius afferet, adulteri, homicidæ, idololatræ, qua & quandiu tales, sunt oves Christi, quæ vocem ejus audiunt, sermones non transgrediuntur, sed agnoscunt & obediunt ipsi. Quibus quid absurdius? Sin posterius assumes, sanè (ex hypothesi tua) non renati fuerunt, cum omnis renatus Calviniſta nunquam amittat fidem: aut si amittat, non fuerit renatus.

Frustra & jejunè regeris, Croci, transgressionem pro erratione simpliciter posita, non mutare penitus naturam ovium Christi, & ab ea ad audientiam & obedientiam dari regressum. Nam præterquam, quod pessimè τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνεις, absurda absurdis non solvis, sed cumulas. Annon enim simplex aberratio Adami & Evæ nos in peccata præcipitavit maxima & vere infinita? Annon Davidis adulterium & homicidium eum virum mortis fecit, & talem, qui malum in oculis Domini commiserit? quæ phrasis pessimos indigitat transgressores. Nunquid viri mortis, & qui, taliter mortui, fuissent damnundi, sunt oves Christi? Nunquid qui malum facit in oculis Domini, audit Dei vocem? Deinde, (quæ pessimæ est gravissimorem scelerum extenuatio) num adulteria & homicidia deliberatâ voluntate perpetrata,

*ſunt ſimplices aberrationes? Nunquid Salomo idololatra erat ovis & ſervus Chriſti? ovis Chriſti aberrans? Quid enim aliud fluit, ex tuis verbis* Croci, *quam quod abnegatores Chriſti, idololatræ monita divina & reprehenſiones contemnentes, peccatum tantum ſimplex & aberrans committant? Sint oves Chriſti, ipſius vocem audientes? opponimus tibi in præſentiarum ſocios* Britannos, in Synodo Dordrech. *fatentes, ſi lapſus Petrus & David alij, tales manſiſſent, fuiſſent morti æternæ adjudicandi. Rurſus: contradictionis implicationem vix effugis, cum ſcribis*, diſtinctionem inter oves, Chriſti vocem audientes & tranſgredientes, eſſe contradictoriam; *Et tamen præmittis hiſce verbis illa:* Ab ea *aberratione ſive tranſgreſſione, qua etiam adulteria, homicidia, idololatria &c. committitur*) ad audientiam ſive obedientiam datur regreſſus.

*Verum, ain*, diſtinctionem inter ovem, ſeu renatum, Chriſti ſermones audientem & tranſgredientem, non agnoſcentem aut abhorrentem eos, eſſe ἀνπφατικὴν. *Ego ſubſumo; audiviſſe, ſed tranſgreſſos fuiſſe, ut Davidem, cum ſcienter & deliberato conſilio adulteria & homicidia perpetraret, & Salomonem, nec non Petrum. Ergo quidam ſancti, ut David, Salomo, Petrus alij non fuerunt oves Chriſti. Veriſſime! Nunquid non ſalvati ſunt David, Petrus, alij? Omninò ſal-*

salvati sunt, regero. Quid igitur? Ante suum lapsum quidem sanctæ Dei oves fuerunt, ac post conversionem rursus in numerum ovium sunt asciti. Neq; enim, licet essent Electi, propterea turpiter ipsi, ovium nomine gaudere quiveruut: sed potius hostium: ideoq; nec sancti & renati amplius fuerunt.

2. Nec illud verum est, ovem Christi omnem, semper audire vocem Christi pastoris, etiam usque ad finem. Nam etsi quidem illæ oves Joh. 10. v. 3. 4. 5 & sequentibus, vocem Christi pastoris finaliter audiunt, non tamen aut illæ aut aliæ omnes semper audiunt illam. Loquitur enim Christus de ovibus Electis ac vocem suam finaliter sequentibus.

3. Quod oves Christi vocem ipsius non semper audiant, sed quandoq; dispersæ, dispalatæ & disperditæ conspiciantur, ipse adversarius ex Luc. cap. 15. v. 4. testatur, ubi Christus ad eam, quæ perierat, quæsitum ivit, usq; dum inveniret. Rursus: nonnullas oves, Christi vocem nunquam audire, ex ipsius ἀρχνπίμενος verbis haut obscuris colligimus, inquientis: Non sum missus (ad docendum & sanandum in carne mea) nisi ad oves perditas domus Israel. Quæ oves Israelis domus salutantur filij v. 26. & quidem filij regni Matth. 8. v. 11. nec tamen omnes credunt, verum multi ob incredulitatem in tenebras ejciuntur, ibidem v. 12. Et Mat.

2. v. 6. prædicatur Christus pastor & ἡγέμων universalis, ὅστις ποιμαίνει τὸν λαὸν μὲ (Dei) τὸν ἰσραὴλ, qui pascit populum meum (Dei) Israelem. Joh. 21 v. 16. Petro dicit Christus: Pasce oves meas; idq; in prædicando Evangelio Matth. 28. v. 27. Atqui id prædicabatur non Electis solis, verum & multis alijs. 1. Pet. 5. 4. τύποι γινόμενοι τῦ ποιμνίυ καὶ φανερωθέντ τῦ ἀρχιποίμενος, κομιεῖσθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον. Ecce Croci! omnes qui sunt in externo Christi ovili greges & oves, sunt oves Dei v. 2: quorum omnium Christus est summus pastor. Quare ut clarius omnia complectamur, ex dictis inferimus: oves Christi in triplici esse differentia. Quædam in generalissima acceptione sunt oves, Christo ad redimendum datæ: Quædam in generali: quales sunt omnes Christiani, qui in externo, Ecclesiæ cætu congregantur, quorum multi ad tempus bene multùm credunt: Aliæ deniq; sunt in speciali significatione oves, ut soli & omnes Electi.

Ultimò: non juvat Crocium oraculum Esaiæ 42. v. 9. 10. Matt. 12. v. 19. 20. citatum: Arundinem quassatam non confringet, & linum famigans non extinguet: usque dum protulerit ad victoriam judicium. Nam responsio parata est. Christum promittere, se infirmos collecturum, dispersos non rejecturum: non autem repugnantes ad fidem coactu-

coacturum. 2. Pessimè dicit, lapsorum hæreticorum, homicidarum, abnegatorum Christi fidem adhuc fumigare. Omnes namq; hæretici sunt arbores putres, sunt velut tribuli & spinæ, ex omni parte putres Matth. 7. v. 18. Nullus eorum habet vitam æternam in se manentem: Quod Britannos, Palatinosq; Theologos & Bezam supra fassos meminimus.

3. Ajas, Christus illos, ut linum fumigans, ut arundinem quassatam non confringet: Resp. Christus pessimos illos peccatores non confringit: verum illi, sponte sua & nemine cogente eum deserunt & fœdus abrumpunt, frangunt. Ex his liquet, quid ad argumentum Crocianum sit respondendum. Quicunque etiam instar quassatæ arundinis non confringuntur, nec, ut linum fumigans, extinguuntur: illi non possunt penitus deficere. Atqui credentes sive renati, etiam instar quassatæ arundinis, non confringuntur, nec ut linum fumigans extinguuntur. Ergo non possunt penitus deficere. Nam præter propositionis connexum fallax quod discrimen inter actum & potentiam non agnoscit: respondeo ad Assump. per inficiationem. Christus enim non dicit, credentes omnes esse instar lini fumigantes & quassatæ arundinis confractos: nec ait illos, qui secundum carnem vivunt, deficere non posse. Quod multis in locis ipse docet: Verum se credentes infir-

*mos non rejecturum, sed prolaturum ad judicium, nempe si se colligi sinant Matt. 23. & non longius recedant ac salutis media aspernentur, Luc. 7. v. 30.*

*II. Matth. 24. v. 24.* Excitabuntur pseudo-Christi & pseudoprophetæ, & edent signa magna & prodigia, ita ut seducerent (si fieri posset) etiam Electos. Hæc (*pergit Crocius*) est argumenti forma. Qui non possunt à pseudoChristis & pseudoprophetis seduci: ij non possunt prorsus fidem & justitiam suam deserere. Atqui sancti non possunt à pseudoChristis & pseudoprophetis seduci. Ergo non possunt fidem suam & justitiam prorsus deserere.

*Resp. I. N. P. Quod videlicet asserat Christus, Electos ad tempus prorsus (particulâ subjectivè accepta) excidere non posse. Nam id non impossibile duntaxat esse: sed multis evenire sanctis probamus. Quos tamen seductos nihilominus, ante diem obitus, ob prævisionis divinæ certitudinem, resurgere & reverti, immotæ est veritatis. 2. Aliorum responsionem, quâ verba hujus testimonij ad angelos & homines Electos transferunt, qui difficulter excidant, non facimus nostram. Nam si vel maximè in locis scripturæ nonnullis, phrasis (si fieri possit) idem, quod difficulter valeret: hic tamen, ut ullo modo à genuino verborum sensu deflectamus, non tantùm causæ nullæ nos movent, verum*

*verum etiam, ut illi insistamus alia loca, (ceu Roman. 8. v. 29. & seqq. Eph. 1. v. 3. & similia) urgent.*

*Verum regerit* Crocius, *servatorem Matth. 24. v. 24.* de absolutè electis agere quibus ex libertima Dei voluntate in Christo decreta est gratia & gloria æterna. *p. 104. Deludat probare armentis:* Qui in adventu filij hominis accipientur, alijs relictis, de ijs dicit Christus, quod seduci nequeant. Sed soli Electi absolutè ad gratiam & gloriam æternam, in adventu filij hominis accipientur, alijs relictis. Ergo de solis absolutè electis Christus dicit, quod seduci nequeant.

*Resp. 1. Notandum, quod* Crocius *hic absolutam statuat Electionem: quam Calviniani, a se doceri, alias mirè inficiantur. 2. Sed operæ precium est audire, quid vocitet* Crocius. *absolutè eligi. pag. 105.* Decretum Electionis, *inquit,* dico absolutum, id est, non pendens ex conditione quadam, quæ sit in ipsis Electis, adeò scilicet ut Dei voluntas omnem hic causam antegrediatur. Libera enim Dei voluntate fit, quod peccata aliis in Christo remittuntur, ut serventur: ALIIS autem IMPUTANTUR, Ut DAMNENTUR. Si quis verò hoc decretum dicat absolutum, quod Deus non respexerit in eo genus humanum, ut perditum per lapsum:

aut quasi ei non sint subordinata aut ANNEXA media, per quæ convenienter, salva Dei justitia, ad EXECUTIONEM DEVENIATUR; is perperam hoc accipit. Hactenus Crocius, cui Calvinistæ Prædestinarij Dordrechtani *consentiunt, ac Christum & fidem in ipsum, ex causis decreti Electionis excludunt.*

*Apparet inde, Calvinianos hactenus Deo & hominibus imposuisse, quoties negarunt, se absolutam Electionem & reprobationem docere, excipientes quod non sit decretum, respectu annexorum & executionis, absolutum. Nam hæc est quæstio,* Utrum Calviniani doceant & foveant animo, decretum ejusmodi absolutum: in quo non ad meritum Christi præviſum & divinitus decretum, fideque in tempore hominibus apprehendendū respectus sit factus in Electione? An vero decreto Electionis absolutè peracto, deinde meritum Christi & fidem, aliaque dona, ut effecta *sive* (*ut* Crocius *loquitur*) annexa, per quæ Decretum Electionis perficiatur in tempore, ordinarit? *Vel; Utrum ex mera sua gratia nos electurus, non in ipsa Electione ad meritum Christi & fidem respexerit, ut causas, ita ut istis absentibus, decretum non fuisset factum?* Prius *sentiunt* Calviniani, *licet semper tergiversati sint candidè confiteri & quid sentirent, aperire.* Posterius *asserunt & tuentur* protestantes.

*Verum,*

*Verum probemus fusius ex ipso jam* Crocio *p. 104. scribente*: Soli absolutè electi ad gratiam & gloriam æternam, in adventu filij hominis accipientur, relictis alijs: Ergo de solis absolutè Electis Christus dicit, quod seduci nequeant. *Dices* (*sunt verba Crocij pergentis*) tales in rerum Natura nulli sunt, & neque scriptura sacra, neque natura Dei, neque ratio ulla patitur ut sint: Contrarium ostendo. Si absoluta datur Electio, etiam absolutè Electi dantur. Atverum prius. *Et p. 108. 109.* ex Musculo *sic scribit*. Respectum Electionis nostræ transfert ad beneplacitum, voluntatem, propositum & gratiam Dei. juxta beneplacitum, inquit, voluntatis suæ, item, juxta divitias gratiæ suæ. Et juxta beneplacitum suum, quod proposuerat in seipso, &, prædestinati secundum propositum ipsius. Hæ itaque sunt causæ. Elegit nos, quia sic ipsi placuit, sic voluit, sic proposuit in seipso. Hic conquiescendum nobis est, nec quærendæ sunt causarum istarum causæ.

## QUOD ELECTIO CALVINISTARUM, NON POSsit & debeat jure, nisi absoluta appellari.

EX *his omnibus inferimus: Electionem, quam*

*nobis Calviniani cudunt, & describunt, si vero ac genuino nomine salutari debeat, tantum absolutam esse appellandam. Quod probamus, I.* Quodcunque omnium causarum respectu est absolutum: id quoque rectè appellatur absolutum, & non respectivum. Atqui Electionis Calvinisticæ decretum, omnium causarum respectu, est absolutum, secundum Crocium & Calvinianos. Ergo quoque rectè appellatur absolutum, & non respectivum.

Dicas, non est absolutum respectu lapsus: quia Deus in Electione respexit genus humanum lapsum & perditum. *Resp. 1. Lapsus non est causa Electionis strictè dicta, sed occasio, & causa impulsiva externa & remota, ipsum Electionis decretum non ingrediens: nos hic de causis proximis decreti Electionis quærimus 2. Licet nunc temporis plerique Calvinistæ rectè sentiant, Deum genus humanum lapsum & perditum, in Electionis decreto, considerasse, antiquiores tamen Decretum Electionis Decreto creationis; & sic quoque lapsui, præponebant. Atque eadem fuit adhuc nonnullorum* Dordrechtensium Prædestinariorum *opinio: Unde colligimus istam sententiam adhuc particularem esse, nondum omnium.*

*Ajas deinceps,* non esse absolutum respectu annexorum mediorum, Decreto subordinatorum. *Resp. 1. Nihil ad rem. Nullum enim Decretum*

*tum divinum & consilium absolutum, potest respectivum nominari respectu effectorum, nisi in ipsa deliberatione & decreto ad effecta talia, ut causas, sit respectus factus. Quin nec in humanis quidem fit. Det mihi Crocius non in Theologicis tantum Dei: sed etiam in politicis, ullius magistratus, decreti contrarium exemplum, si poterit. Det, inquam,* non fortuita nomina, sed ejusmodi; quibus rei natura exprimitur. *Atqui verò media exequendi decreti, sunt illius effecta, post factum decretum, demum ordinata. Ergo.*

Deinde *sic concludo.* Cujus decreti executio tantùm est respectiva: id respectu sui non est respectivum, sed absolutum. Atqui decretum Electionis, executionis respectu, tantùm est respectivum, te asserente. Ergo respectu sui non est respectivum, sed absolutum.

Rursus: Quod nomen est ambiguum, quoq; veritas rei occultatur: id meritò reijcitur. Atverò decretum absolutum Calvinisticum dici *respectivum est ambiguum. Nam non respectu meriti Christi & fidei, sed respectu mediorum annexorum respectivum vocitant. Veritas, vel potius errores, sub negato absolati decreti nomine, respectivo simulato, occultatur, ut jam vidimus. Deinde, cum simplices & pios Christianos ab isto nomine alienos noverint, sub negato nomine absoluti Decreti illis erroxes & venenum suum propinant.*

Denig.

Denique: quo nomine vera & Christiana Electio, ab erronea & Prædestinaria discriminatur: id non intermitti, sed potius urgeri ad puritatem doctrinæ conservandam debet. Atqui nomine ordinatæ Electionis, vera & Christiana prædestinatio, ab erronea & prædestinaria, vid. Calvinistico absoluto Decreto, discernitur: *Et contrà:* Absoluti decreti voce horrendum Calvinistarum de Electione dogma à nostra salutari doctrina discriminatur. Ergo nec illud, nec hoc intermitti, sed potius urgeri ad puritatem doctrinæ conservandam debet.

*Hactenus de absoluti decreti appellatione: Jam syllogismi Crociani propositionẽ considerem̃us.* Qui in adventu filij hominis accipientur, alijs relictis: illi non possunt seduci. *Resp. 1. Finaliter. Nam quod nihilominus ad tempus seduci queant patet, & infra clarius evadet.* 2. Assumptio (quod videlicet absolutè ad gratiam & gloriã æternam Electi, non possint seduci.) *tota falsa est. Itaq; prius adversario meo probandum erat, esse non nullos absolutè Electos ad gratiam & gloriam æternam, quam ut eos seduci non posse clamitaret.*

## Utrum Electio sit absoluta? N.

*Porrò: nobis jam breviter ostendendum est, causas salutis & Electionis omnes esse, nõ absolutas, verùm certo ordini inclusas, ac medijs determinatas, idq; in hunc modum.*

Quia

Quicquid ex certis causis ordinatis constat, id quoque ipsum est ordinatum. *Quales enim causæ sunt, talis effectus. Atqui decretum Electionis ex causis ordinatis certis constat. Ergo ipsum quoq; est ordinatum.*

Assumptionem *inductione causarum probamus, quæ* tres *sunt*: gratia sive misericordia Dei: meritum Christi: fides. *Nec plures esse sic demonstramus.* Tot, non plures, nec pauciores, sunt causæ Electionis, quot justificationis. *Consequentiæ necessitas inde perspicua est & clara: quod utriusq; articuli sint eædem, non diversæ causæ. Ut enim Deus nos in tempore salvat & justificat: sic ab æterno salvare nos decrevit. Neq; enim decretum Electionis ab executione differt: ut nec hæc ab illo. Quod ipse Apostolus Ephes. 1. v. 3. Rom. 8. v. 29. 30. nobis attestatur.* Atqui ex gratia Dei, per & propter Christi meritum, fide in ipsum apprehendendum, justificamur; Calvinianis non inficiantibus, sed fortiter defendentibus. Ergo etiam ex gratiâ Dei, per & propter Christi meritum, fide in ipsum apprehendendū Electi sumus.

## DE CAUSIS ELECTIONIS IN SPECIE & QUIDEM primo de gratia Dei.

*Porrò: ut seorsim agamus etiam de singulis;* volun-

voluntatem Dei trinunius *ad Electionem requiri, ipsi Calviniani nobiscum fatentur; & rectè. Nam scriptura id clarè docet Eph. 1. v. 3. 4. Joh. 13. v. 18. 2. Thess. 2. v. 13. &c.*

*Nec tamen* voluntatem Dei, absque determinatione *consideratam, sed voluntatem gratiæ & misericordiæ divinæ Electionis esse causam, Calviniani quidem non videri volunt infictari. Nihilominus quæ sit & qualis cum quæritur, illi* absolutam, *nos non nisi* in Christi merito determinatã & fundatam agnoscimus. *Posterius cõfirmatur ex his & alijs scripturæ locis, ceu Eph. 1. v. 3. 4. 6. 9. Rom. 11. v 5. Joh. 13. v. 18. 2. Thessi. 2. 13 2. Tim. 1. v. 9. Matt. 3. v. 17. Joh. 17. v. 2. 3.*

*Deinde: idem ex* gratiæ descriptione *inclarescit. Quæ gratia nobis non nisi in Christo datur, ea non est absoluta. Atqui gratia Electionis nobis non nisi in Christo datur 2. Tim. 1. v. 9.* Non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis per Jesum Christum ante tempora secularia. *Eph. 1. v. 7.* Habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ipsius. Ergo gratia Electionis non est absoluta.

III Ab articulo justificationis. *Quâ gratia justificamur, eâdem quoq; Electi sumus. Atqui gratia Dei, in merito Christi fundata, justificamur*

*mur. Ergo &c.* Minorem *docemus ex Rom. 3. v. 24. 25. Eph. 1. v. 7.* Propositionem *confirmat catena Apostolica Rom. 8. v. 29.* Quos antea agnovit (eosdem) & præfinivit conformes imaginis filij sui v. 30. Porro, quos præfinivit (eosdem) & vocavit: & quos vocavit, eos & justificavit: quos justificavit hos & glorificavit. *Ecce! Electi sunt secundū propositū gratiæ in Christo electi 1. Tim. 9. v. 9. sunt prædestinati secundum eandē: sunt denig, justificati & glorificati secundū eandem. Facta igitur glorificatione ac prædestinatione in Christo secundum gratiam Dei; sanè nec ipsa gratia erit absoluta, sed eidem fundamento innitetur, videlicet Christo. Confer locum antea allegatum 2. Tim. 1. v. 9. Item Ephes. 1. 3. 4.*

## Demerito Christi.

Secundò: *Meritum Christi, ut* causam; *Electioni includi, sequentibus persuademur fundamentis. Quorum I. sumitur* à benedictione divina Eph. 1. v. 3. Benedictus Deus & pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo: quemadmodum elegit nos in ipso, ante jactum mundi fundamentum. *Observamus I. loqui Apostolum expresse & ex professo de Electione 2. Benedictionem divinam omnem & Electionem nobis in Christo dari 3. idq; ab æterno.* Porro: quicquid nobis in Christo propitiatorio nostro

datur

datur, ob ipsius meritum datur. Igitur, Quō modo Christus est causa benedictionis nostrę itā & electionis. Atqui Christus est causa benedictionis nostræ in morte & per mortē suam, Eph. 1. v. 7. In quo (*Christo*) habemus redemptionē per sanguinē ipsius, remissionem peccatorū, secundum divitias gratiæ ejus, quæ abundavit in nos. *Ipse salvator noster dicitur, quia nos salvat à peccatis nostris* Matth. 1. v. 21. & 25. v. 34. Gal. 3. 4. Ut in gentes benedictio Abrahæ veniret per Christum. Sequitur conclusio, Ergo Christus nostræ Electionis est causa in merito suo.

II. Ab ipsius Christi affirmatione. *Quod ipse Christus ait, est absq; dubio verum. Atqui Christus ait, se esse causam Electionis Apostolorum ad vitam æternam & Apostolatum. Ergo id absq; dubio est verum.* Minorem veritas ipsa probat Joh. 13. v. 18. Non de omnibus vobis loquor: Ego scio, quos elegerim. *Pronunciat hoc de Apostolis, qui quidem omnes ad Apostolatum erant* æqualiter & æquali fine *electi; idq; tam Judas, quam Johannes aut Petrus. Quod suo loco patebit. At non erant omnes ad vitam æternam electi ut, Judas; qui edens cum Christo panem, sustulit adversus ipsū Calcaneum suum, ibidem.* Deinde *patescit idem ex versibus præcedentibus, ut 15 14. ubi discipulis ad humilitatem & mutua Charitatis officia præstanda animatis & monitis, subjcit v. 17.* si hæc novistis

fis beati estis, si feceritis. *De illa igitur Electione loquitur Christus, ad cujus bona Apostoli, operibus jussis ex fide factis tendentes, fuerunt beati. At qui ad bona Electionis ad Apostolatū, operibus jussis ex fide factis, non tendebant, ut essent beati: verum post eam, ad vitam æternam tendebant & ad electionis bona spiritualia in cœlis. Ergo non de illa, sed hac, loquitur Christus.*

*Sic cap. 15. v. 15. inquit:* Non vos, me elegistis, sed ego elegi vos & constitui vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. *Agere Christum de Electione ad vitam æternam, vers. 10. 8. & 11. innuunt; ubi ad huc de mansione in vite spirituali, concionatur. Ut & verba vers. 16. in quibus de positione & collocatione, non tam in Apostolatu, quam in vite est sermo; in qua, subditi Deo, fructum ferebant, qui permanebat. Deniq; de illa Electione verba allata sunt explicanda: qua Apostolos elegit de mundo. Quæ soli Electioni ad Apostolatum minimè competit: verum illam, quæ est ad vitam æternam, præcipuè respicit.*

*Dicas*, Christus ab æterno non fuit. Ergo non elegit eos ab æterno. *Resp. 1. sumus Electi in Christo ante jacta mundi fundamenta Eph 1. v. 4. Ergo Christi & incarnatio & meritum totum fuit præcognitum & præfinitum 2. Filius, qui fuit ab æterno cum patre, nos cum ipso elegit in merito suo,*

*quod nobis in corpore suo (in plenitudine temporis assumendo, & mortem passuro ad salutem nostram Act. 4. v. 12. 1. Cor. 1. v. 30. Act. 20. v. 28. 1 Pet 1. v. 9) impetraturus erat. Confer Proverb. 9. v. 1 & seqq.*

III A Libro vitæ, cui inscribuntur electi. *Qui est liber vitæ, in eos nos scripsit: is est author & elector noster ad vitam. Atqui Christus est liber ille vitæ, in eos nos ipse scripsit. Ergo est author & Elector ad vitam.* Assumptionis *pars I. quod Christus sit liber vitæ docetur Apoc. 13. v. 8.* Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. *2. Ipsemet eam scripsit Apoc. 20. v. 12.* Alius liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant, in libris (*conscientiarum hominum judicandorum*) secundum opera ipsorum *c. 3. v. 5.* Non delebo (*sed scribam*) nomen ejus ex libro vitæ, & confitebor nomen ejus.

## De fide in Christum.

Tertio: *nec fidem à causis Electionis removeri posse, prægnantia scripturæ fundamenta nobis persuadent.*

Nam 1. Quicquid scriptura de hominibus in Christo & per Christum enunciat; illud cum respectu ad fidem, qua, ceu causa salutis, Christus propter relati & correlati connexionem, est apprehendendus, enunciat. *Atqui scriptura de*

*de nobis renatis enunciat, quod simus, stantes, in Christo & per Christum electi.* In Christo; *tanquam salutis unico fundamento:* per Christum, *ut vitæ & salutis authorem & redemptorem Act. 3. v. 4. c. 20. v. 27. Rom. 3. v. 24. 25. 1. Joh. 2. v. 1. Ergo illud enunciat, cum respectu ad fidem, quæ ceu causa salutis, Christus est apprehendendus.*

*II. Probatur* ab adoptione filiorum Dei. *Per quem adoptamur & prædefinimur in adoptionem filiorum Dei: is est causa Electionis. Atqui per Christum, fide apprehensum, adoptamur & prædefinimur in adoptionem filiorum Dei. Ergo Christus, fide apprehensus, est causa Electionis nostræ. Assumptionem eruimus ex capite 1. Eph. v. 3 ubi Deus pater nos præfiniviſſe dicitur, sed non absolutè, verum per Christum (ἐν χριστῷ. Particula v. ἐν pro per ponitur Hebraismo scripturæ consueto. Quod & Patres ut, Aug. Chryſ. Hieron. & Theophylactus senserunt) idq; non citra, sed per fidem, teste Johanne 1. v. 12.* Quotquot autem recepe-runt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomen ipsius. Eph. 1. v. 13. In quo & spem posuistis audito illo sermone veritatis illius, nempe Evangelio salutis vestræ, in quo etiam credentes obsignati estis. *Confer ibidem v. 8 & 9 Quibus accedit, quod in Christo benedicti & electi simus Eph. 1. v. 3.*

*III* A conformitate decreti & executionis

ejus. Quicquid Deus in tempore facit ab æterno facere decrevit, *inquiunt Theologi* Haſſiaci *in* Actis *Dordrech. p. 534. Et rurſus à contrario iſtud enunciatum amplificant p. 536:* Propter quod Deus in tempore aliquos damnat, propter id etiam eoſdem ad damnationem ab æterno prædeſtinavit. Neque enim juſtus judex aliam decernendæ, aliam exequendæ, in rerum juſta pœnâ, ſed eandem utriuſque cauſam habet. *Hæc illorum verba confirmat ſcriptura 2. Tim. 1. v. 9. Deus ſalvos* fecit nos & vocavit vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum ſuum propoſitum & gratiam, quæ data eſt nobis per Jeſum Chriſtum ante tempora æterna, ſed palam facta nunc, per apparitionem ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Jam ſubſumo. Deus nos per fidem in merito Chriſti ſalvat Mar. 16. v. 16.* Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit 1. Pet. 1. verſ. 5. inquit Apoſtolus, Deum regenuiſſe nos ad hæreditatem immarceſsibilem, conſervatam in cœlis erga nos, qui virtute Dei cuſtodimur per fidem ad ſalutem. *Concludimus igitur, Deum nos per fidem, in merito Chriſti applicato, ſalvare ab æterno decreviſſe.*

*IV.* A præcognitione ſalutis dandæ per fidem. *1. Pet. 2. v. 1. 2.* Electis advenis, ſecundum præſcientiam (προγνωσιν) Dei Patris, per ſanctificationem ſpiritus. *Huic adjungo oraculum*

*lum 1. Thess. 5. v. 9.* Non posuit nos Deus ad iram, sed in acquisitionem salutis, per Dominum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis. Eph. 3. v. 11. Secundum propositum seculorum, quod fecit in Christo Jesu Domino nostro, per quem habemus libertatem & aditum cum fiducia, quæ est per fidem illius. *Per quod Deus nos præcognovit, & posuit in acquisitionem salutis: id est Electionis causa. Atqui per fidem mortis Christi nos præcognovit Deus, & in acquisitionem salutis posuit. Ergo fides mortis Christi est nostræ electionis causa.* Rursus argumentor â salutis decretæ & applicatæ ordine. *Ut enim in Christo ad salutem constituimur, ita secundum propositum, in Christo per fidem illius, habemus libertatem.* Denique: *sumus præcogniti secundum præscientiam per sanctificationem, id est, ministerium, spiritus, quo fides confertur. Ergo non absolutè.*

*Hactenus* de causis electionis: *jam subterfugia* Crocio *obstruamus.* Primum *est, quod dicit* semper cum liberrimâ potestate Dei, summam ipsius justitiam & sanctitatem & omninò bonitatem esse tuendam.

*Resp Absit ut Christianum salutemus, qui Dei liberrimam potestatem, sanctitatem, bonitatem, reliquaq; attributa, non ubiq; summè veneratur! Absit similiter, ut Dei justitiam ac libertaten cum*

exclusione aut extenuatione misericordiæ bonitatisq; divinæ, qua omnium misertus est Rom. 11. v. 32. urgeamus! Absit deniq;, ut in negocio salutis applicandæ voluntatem Electionemq; Dei absolutam, contra scripturæ amicas & dulces consolationes defendamus; siquidem Deus nobiscum ordinatè & non absolutè agit.

II. Negs libertatem Dei tollimus, asserendo Electionem esse cum respectu ad meritum Christi & fidem factam, sed potius stabilimus. Nam non coactè, sed liberè; exq; æterno consilio, secundum propositum suum, ad meritum Christi & fidem illius in Electione respexit, Eph. 1. 3. 4 5. 6. 7. 1. Pet. 1 v. 1 2. Rom. 8. 29. In libera enim electione Dei, secundum propositum ipsius facta, nihil coactum, nihil inscium, nihil Deo indignum reperitur: Verùm omnia ipsius longanimitatem, misericordiam, sapientiam, regiminisq; divini providentiam infinitam, summè commendant. Et sanè nisi libertatem illã Dei, in assumptione hominis in gratiam, inq; Electionis & reprobationis sive condemnationis decretis, cum scriptura (Job. 3. v. 16. 17. 18.) ad meritum & fidem Christi restringes: non amplius nobis, sanctum Dominum, Jehovam & patrem, ex summè bono & Sancto Deo: Sed tyrannum, hypocritam, & deceptorem pessimum, facies: qui temerè, & sine ulla causa nolit misereri omnium, ut daret illis meritum Christi & fidem: quorum tamen est

miser-

misertus, & ob non receptam fidem & incredulitatem, ut contemptores condemnat: sit mendax & decipior versutissimus, qui omnes ad se vocet: omnibus pœnitentiam & fidem proponat: Velit omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire juret se nolle mortem peccatorum, in peccatis morientium: & tamen absolutè incredulos reprobarit. Quin contradictio est. Neq; enim cohærent: Judas (E. G.) est absolutè à vita æterna reprobatus: Et, Judas debuit credere ut salvaretur. Aut nunquid Deus vester fortassis jovi cuidam simili est, qui impijs beneficia sua quidem proponat, sed necessaria media perfruendi illis nolit dare: velut ille Tantalo sitienti & esurienti, poma & aquas, subinde admovit quidem, verùm à capturi ore removit? Denique: si ita perges voluntatem Dei tueri, ut Electos, absq; fide & merito Christi, ad vitam æternam Electos pugnes: profecto Photinianorum castris nimis æquus fueris. Ut enim Deus Photinianus absolutam potestatem habet, absq; Christi merito, remittendi peccata & salvandi: Ita Calvinisticus absolutam ad vitam æternam eligendi potestatem. Uterq; enim absolutâ elegit potestate, nisi quod hic certa media decreto electionis exequendo ordinârit, ille nulla.

Tandem: quid quæso, tu libertatem Dei vocas? Utrum is tantum liber est, qui superiorem non agnoscit, dominantem sibi? Aut qui pro arbi-

*trio, quod libet, quod vult, ſtatuere poteſt? Hoc enim verba Muſculi tui, abs te laudata volunt p. 106. 107. Reſp. Nequaquam. Deus enim ita eſt liber, ut ſimul in bonitate, Juſtitia & miſericordiâ ſit immutabilis Mal. 3. v. 6. Iac. 1. v. 17. ſemetipſum abnegare nequeat 2. Tim. 2. v 13. Itaq; verè concludimus: Deo, etiamſi ab alio leges non accipiat, ſuam immutabilem & ſanctam juſtitiam & voluntatem divinam inſtar legis eſſe: quippe qua nec mentiri, nec mutari, nec ſuam naturam juſtam & ſanctam abnegare poteſt.*

Ultimo: *ſi abſolutam Dei libertatem (quam ſupremam cauſam omnium aſſeris p. 105.) & voluntatem ac juſtitiam, merito Chriſti excluſo, identidem crepabis, ſecundum quam Deus nulli placatus, ſed omnibus lapſis ignis conſumens, animadvertitur: non in cœlum attolleris, ſed in tartara præcipitaberis.* Contra *ſi quis, cum* Photinianis Origeniſtis, *aliisq; tantam Dei bonitatem & miſericordiam defendat, quæ juſtitiæ divinæ vix locum relinquat: adeoq; cum* illis *homines lapſos abſolutè ſalvet, cum* his *omnes damnatos tandem ſalvandos arbitratus fuerit & cœlo adjudicaverit: totam ſcripturam evertet. Quare cum Deo & ſcriptura mediæ inſiſtamus viæ oportet: ne aut nimis abſolutam libertatem ac juſtitiam: aut nimis abſolutam aut laxam miſericordiam & bonitatem: Verùm ſummum juſtitiæ libertatisq; cum bonitate & miſe-*

misericordia divina temperamentum defendamus & tueamur.

Cæterum Crocius absolutam Dei voluntatem, quam supremam causam dispositionis omnium esse asserit, conatur demonstrare ex Rom. 9. v. 18. Quorum vult miseretur, & quos vult indurat. Resp. 1. Multum differentiæ est inter absolutam misericordiam & electionem Calvinianam, & inter illam gratiæ divinæ, quæ nostris denegatur operibus. Quanquam enim nostris viribus non inest virtus currendi ad vitam æternam, tamen exinde absoluta misericordia & electio roborari nequit. Neq; enim propterea, quod gratia & electio absoluta non est, in nostri arbitrij viribus consistit: siquidem inter absolutam electionem & nostrarum virium arbitrium, medio loco respectiva, & in Christo ordinata electio incedit. Nam illa electio, quæ in Christo præcogniti sumus, non est nostrarum virium, sed illis opponitur: nec absoluta est, sed in Christo fundata 2. Tim. 1. v. 9. Eph. 3. v. 11. 12. II. Propitiatio & misericordia apud Mosen cap. 33. v. 19. (Unde verba ista sunt hausta) depicta, non nuda & absolutæ voluntatis & juris est nuncia, verum ejusmodi, quæ in Evangelij doctrina radicatur. Quæ ista? Gen. 3. v. 15. 11. seqq. nobis ipsa veritas patefecit inquiens: ipse (Christus semen mulieris) conteret caput serpentis. Quam promissionem nobis universalem facit Apostolus Rom. 5.

*v. 15. & seqq. inprimis v. 19. ubi inquit;* Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam unius, justi constituuntur multi. vers. 21. Quemadmodum regnaverat peccatum in morte, sic & gratia regnaret per justitiam ad vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum v. 18. sicut per unam offensam reatus venit in omnes homines ad condemnationem: sic per vnam justificationem beneficium redundavit in omnes homines ad justificationem vitæ. *Confer & Rom. 11. v. 32.* Deinde *Christum isti misericordiæ Mosaicæ inseri, ibidem Exod. 33. clarè agnoscimus;* cum facies Dei (*quæ est Christus ps. 38. v. 17. splendor lucis patris Heb. 1.*) præcedere Israelitas perhibetur: cujus bonitas transit ante Mi faciem Mosis, & in nomine Domini coram Gen. 12. ipso prædicatur. *Quæ est illa prædicatio? misereor quorũ cujus misereor, &c: Quorum vero? de semine Abrahami, in quo gentes benedicendæ erant, explicatur: Gen. 17. fœdere roboratur. vide & Deut. 30. v. 12 14 Rom 10. v. 6 7. 8. atq; universalitate nistorum vaticiniorum collige ex v. 11. 12. 13. 16. 18. 20. 21. Clarissimè v. explicat Apostolus Rom. 11. v. 32. Conclusit omnes sub peccato ut omnium misereretur Gal. 3. v. 22. conclusit scriptura omnes sub peccato: ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Joh. 3. v 16. dilexit mundũ ut filium daret pro omnibus in eo: jubet Christus gratiam Evangelij* omni

crea-

creaturæ rationali *prædicari Mar. 16. v. 16. Neq; urgeat quis verba* Activa, quos vult, indurat &c *Nam illa potentiam sæpe denotant, non actum, ut Luc. 4. v. 6. Joh. 10. v. 17.* Ego pono animam meam. *Quod verbum,* pono, *versu 18. sequenti, per habere potestatem vitam ponendi, explicatur. Sic & Rom 9. v. 18. verba (misereor cujus volo misereri)* per potentiam *vers. 21. 22. explicantur, cum ait Apostolus:* Annon potestatem habet figulus luti, ut fingat &c. *Et rursus:* Sustinuit in multa patientia (μακροθυμία longanimitate) vasa iræ (*ob peccata commissa Esa. 59. v. 1.*) aptata ad interitum *a satana Gen. 3. v. 13. 14. 2. Cor. 11. v. 3.*

*Objcit 2. illud Eph. 1. v. 11.* Deus facit omnia ex consilio voluntatis suæ *Resp. 1. Facilius esse, ut aquam expumicè elicias, quam istbinc absolutam prædestinationem. Neq; enim ulla apparet sequela: si Deus omnia secundum voluntatem consilij agit, etiam electos ad salutem & vitam æternam absolutè elegit. 2. Ego vero interea, dum tu in consequentia probandâ desudes, contrarium ex hoc ipso loco evincam. Igitur 1. non omnis voluntas Dei est absoluta, verùm etiam quædam ordinata & certis mediis inclusa.* Nam benedixit nobis Deus non absolutè, *sed* in Christo: sicut elegit nos ante jacta mundi fundamenta in ipso Eph. 1. v. 4. Præfinivit nos secundum beneplacitum

volun-

voluntatis ſuæ v. 6. *Quod ipſum nec abſolutum, ſed ordinatum nobis depingitur.* Patefecit enim myſterium voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum ſuum, quod propoſuerat in ſemetipſo, ut redimeret omnia ſub unum caput per Chriſtum. *Nunquid abſolutè? Minimè.* Per eundem (*Chriſtum*) per quem in hæreditatem aſciti ſumus, depræfiniti ſecundum propoſitum. *An verò propoſitum eſt abſolutum? Et quid iſtud?* Salvos non fecit & vocavit vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum ſuum propoſitum & gratiam, quæ data eſt nobis PER JESUM CHRISTUM ante tempora ſeculorum; ſed palam facta nunc eſt, per apparitionem ſalvatoris *Jeſu Chriſti. Act. 13. v 48.* crediderunt (Evangelio *à Paulo Prædicato*) quotquot erant ordinari ad vitam æternam, *h. e. qui ſecundum ordinem & conſilium Dei in miniſterio conſtitutum, trahuntur & incedunt Mat. 16. v. 16. Rom. 16. v. 25. Col. 1. v. 26. 2. Tim. 1. v. 10. Tit. 1. v. 2. Rom. 8. v. 29. 30. Eph. 3. v. 9. 10. 11.* ubi inquit: ſecundum præſtitutum æternum (κατὰ πρόθεσιν *propoſitum æternum*) quod conſtituit (ἐποίησε *fecit*) in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

*Obſervemus nunc contra* Crocium, *quæ ſequuntur*, Theoremata. *Primùm, Benedictio, amor,*

ambr, favor & misericordia Dei, lapsis in Christo est facta II. data in Christo ante tempora seculorum III. Electio est facta in Christo & per Christum Eph. 1. v. 1. 4. ut causam meritoriam salutis Rom. 3. v. 24. IV. Prædestinati sumus, justificati sumus, salvati sumus secundum propositum Dei voluntatis. Ergo prædestinatio non est præcisè Dei voluntas ipsa, nec propositum totum. V. Mysterium voluntatis Dei nos salvantis, justificantis, eligentis est factum juxta propositum in ipso Deo, non in alijs rebus externis eum moventibus. Igitur ipse est prima & summa salutis & electionis causa. VI Ipse nos per eundem (Christum) prædestinavit secundum propositum suum. VII. Per eandem ascivit nos in υοθεσίαν sive adoptionem filiorum Dei: quæ non nisi per Christum in ipsius fide est facta, VIII. In electione igitur facta, est ordo mediorum, quibus ad salutem tendimus. IX propositum denique reliquis decretis sive actionibus Dei, ab æterno quidem præstitutis, in tempore verò peractis, est generalius: quippe quæ sub se complectitur & ambit, inprimis verò, quæ ad æternam salutem sanctorum faciunt, includit expresse.

*Pag. 107. 108. instat* Crocius ex Magistro sententiarum *dicente*: Elegit, quos voluit, gratuita misericordia, non quia fideles futuri erant, sed ut fideles essent: eisque gratiam dedit, non quia fideles essent, sed ut fideles fierent. *Resp. 1.* Rectiss-

*Rectißimè ſcribitur atq; aſſeveratur nulla operâ nullasq; qualitates in nobis quidem prævidiſſe Deum, propter quas electi ſimus. Opponat igitur Crocius Magiſtrum Bertio & Pontificijs, non nobis. 2. Nihilominus certum eſt, prævidiſſe Deum, nos credituros eſſe audito verbo: verùm non ut per noſtrum opus, nec quatenus fides in prædicamento qualitatis conſideratur, nec denig, ut eſt gratuitum Dei donum: ſed quatenus eſt in prædicamento relationis, qua donati Deum firma fiduciâ amplexuri & credituri in ipſum, præcogniti ſumus. Aſſerit hoc Spiritus Sanctus ipſe Rom. 8. v. 29.* ἐς προέγνω, quos prævidit, *(vel, ut Syrus legit* רמן לוקדם ירע *quos antea agnovit)* eosdem & præfinivit conformes imagini filij ſui. *1. Pet. 1. v. 1. 2.* Electis ſecundum præſcientiam (προγνωσιν) Dei patris per ſanctificationem (ἐν ἁγιασμῷ, *id eſt miniſterio*) ſpiritus *(quo fides exhibetur Act. 17. v. 31.*

*His ita explicatis apparet, non eſſe oppoſita, ſed immotè vera: Deum videlicet nos ad ſanctitatẽ, i. e ſanctam æternã vitam, quæ effectum eſt prædeſtinationis, elegiſſe Eph. 1. v. 4: Et tamen electos Spiritui Sancto operaturo quiviſſe obicem ponere, aut ſpiritu ducente, & ipſis duci ſe patientibus, ad finem usq; vitæ perſeverare in fide, eoq; præcognito Deum perſeveraturos elegiſſe. Neq; tamen iſtud ſenti-*

sentientes Pelagio *præbebimus manus, quod tu nobis ex* Musculo *imputas p. 107: qui ipsemet veritatis vi coactus, rectè in hunc modum scribens, nos improvidè defendit:* Etiamsi præsciret, quales essemus futuri, tamen ne sic quidem reperit in nobis, unde ad eligendum nos invitaretur. *Probandum igitur restat, Crocio: quod, si Deus nos in fide, Christum apprehendente & à Spiritu. S. data, perseveraturos præviderit, sicq; salutis ordinem ingressuros elegerit, ista sententia sit* Pelagiana. *Caveat autem dicere* Pelagianum, *quod est Spiritus Sancti.*

*Quæ* adversarius *p. 108. 109. ex* Musculo *inspergit, à proposito sunt aliena, cum quæstio non sit, cur Deus hunc præ illo elegerit: hunc hominem, illam bestiam creârit: Sed utrum Electio sit absoluta, vel ordinata, ut meritum Christi ac fidem includat: Quod posterius affirmamus.*

*Neq; testimonium Matth. 11. v. 25.* (Gratias ago tibi pater, Domine cœli & terræ, quod absconderis hæc à sapientibus & prudentibus, & revelaris ea parvulis. Causam (ait Crocius ex Musculo) hujus non retulit alio, quam ad beneplacitũ Dei patris, subijciens ac dicens. Certe pater, quia sic fuit placitũ ante te) *ipsi favet, sed fortius constringit Nam, præterquam quod in eo expressè de Electione non agatur, non absolutam voluntatem & beneplacitum divinũ nobis formal, sed egregiè ordi-*

*nem*

nem Electis observandum aperit: qui, nimirum credentes, & quo ordine ac via ad salutem perveniant. Quibus enim verbum cum actu credendi revelatur, ut salventur, esse ait simplices & infantes, non ætate tantum, sed rationis simplicitate: qua verbo oblato, non repugnant, cum sapientibus & intelligentibus philosophis & magnatibus, verbi prædicationem stultitiam esse arbitrantibus & mysterijs obloquentibus: sed qui simplici sensu assentiuntur & credunt. Itaq; non de electione absoluta, qua multi ab æterno rejecti esse finguntur, loquitur: sed de ordine & personis vitam ingredientibus. Quod etiam, præter versum 26. 27. præcipuè versus 28. nobis persuadet, quo inquit Christus: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Cum autem omnes homines peccato sint onerati & laborent: sanè omnes in universum ad se vocare Christum, certum est. Deinde: occultatio isthæc adscribitur patri, non quasi salutem improborum nolit, verùm ob justum judicium, quo dimittit incredulos Act. 14. v. 16. inq; errores tradit 2. Thess. 2. v. 11. & reprobum sensum Rom. 1. v. 24. Spreverunt enim consilium Dei adversus semetipsos. 3. Quare beneplacitum illud divinum non est absolutum, sed in filio ordinatum, quo Deus ab æterno voluit: ut omnes qui crederent & baptizarentur, salvarentur; eoq; sine omnes vocarentur per verbi prædicationem: omnes verò increduli & contuma-

ces

tes & relinquerentur, damnarentur 4. Neq; est ipsum propositum aut electio: quod paulo ante patuit.

*Pag. 110. 111. ab angelorum stabilitate ad homines concludit.* Si angeli, jam in meta viventes, non possunt seduci. Ergo nec homines electi. *Resp. 1. Sunt disparia exempla. Nam angeli in initio creationis in veritate, sanctitate & bonitate ita ut mutari possent, creati, nunc sunt confirmati, ne excidant in æternum. Homines autem renati & electi nondum sunt in bonitate immutabiles, quales in altera vita erunt futuri: verum quotidie peccant; idq; in tantum, ut illi vel in æternum, hi tempore longo, excidere queant. 2. Neq; testimonium Johanniticum c. 10. v. 29.* (quod nemo rapit oves Christi è manibus ipsius.) Crocio *prodest. Præterquam enim, quod supra diversum ex illo sit ostensum; hic animadvertendum est: Si simpliciter & nudè verba Christi apud Johannem, cum sanctitate angelorum compares, secuturum, sanctos & renatos in hac vita ἀναμαρτήτους fore & à peccatis omnibus immunes. quod absonum!*

*Instat p. m. 112.* quod Electi quidem abripi, verum non prorsus deficere queant: quippe 1. manu patris teneantur. 2. perpetuus finis regenerationis sit, ut peccatum aboleatur, & non

prævaleat caro cum concupiſcentijs ſuis, ſed jugo quaſi domita cohibeatur. *Regero*, priori rationi alibi ſatisfieri. Ad *poſteriorem reſpondeo: etſi quidem finis regenerationis eſt, ut perpetuò perſeverent & ſalvi fiant renati, in multis tamen minimè obtineri; idq; inde, quod Deus finem illum quidem ſerio, non tamen abſolutè & immutabiliter, verùm per verbum & certis conditionibus & ordine intendat. Ejusmodi autem fine ſæpe fruſtrari Deum qui negaret, in ſcriptura ſe hoſpitem eſſe declararet. Nec tamen propterea Dei potentia & ſcientia infinita periclitatur, qua illum antea prænovit irritandum, & tamen abſolutè operaturus, in actum perducere quiviſſet: Sed ipſius longanimitatem & providentiam immenſam in lapſis, & rectione hominum commendat.*

Reponit: Electorum conditionem non ferre, ut ſubverti queant. *Reſponſum eſt ſupra, non vi & qualitate immutabiliter & neceſſariò ſemper ſtandi definiri electorum perſeverantiam; ſed ex præcognitione fidei* finaliter *ſervandæ 2. Conditiones ac* columnæ Crocianæ, *quam debiles ſint, in* Examine quartæ concluſionis *capite 3. indicatum eſt. 3. Proinde analyſis* Crocij *hujus loci,* de ſecuritate carnis tollenda, *indiget limitatione in hunc modum:* cavete hæreſes, Nam adeò perniciales ſunt, ut etiam ad electorum, ſi deſtrui (*finaliter*) poſſent, deſtructionem (*non*) tem

*temporalem, qua multi destruuntur, sed finalem) sufficiant. Qua cautelâ non adhibita, electos non certos reddes, sed prodes.*

## III.

*Joh. 4. v. 14,* Quisquis biberit ex aqua illa, quam ego ei dabo, non sitiet in æternum. *Argumentum* Crocij, *hoc est p. 113.* In quibus aqua sit fons saliens in vitam æternam: ij non desistunt bibere. In bibentibus, de quibus ait Dominus, aqua sit fons saliens in vitam æternam. Ergo bibentes illi non desistent bibere. Major (sic pergit) certa est. quî enim aqua perennis foret in ijs, nisi jugiter hausta?

Resp. 1. ad Minorem, *quærendo, qua sit hæc aqua? quis vitæ fons? certè* Christus, cum sua plenitudine & donis, quæ Ecclesiæ communicat. *Esa. 56. v. 10.* omnes sitientes venite ad aquas. *Zachar. 13. v. 1.* In diebus illis exibunt de Hierusalem aquæ vitæ, id est, doctrina cœlestis cum donis spiritus. Sic sermo Dei appellatur *vivus & efficax* Heb. 4. v. 12. Huc ipse Spiritus S. refertur, qui dandus perhibetur *Joel 2. v. 28. quem Petrus supra omnem carnem a Christo effundendum testatur Act. 2. 17. Ezech. 36. v. 26. Effundam super vos aquas mundas & mundabimini. Intelligit autem spiritum sanctum respectu donorum, nobis per Christum acquisitorum Joh. 15.*

28. c. 16. v. 7. Act. 2. v. 17. *Ista aqua* Joh. 7. v. 37. *aqua* ζῶν *appellatur, tam ratione fontis ipsius Est enim Christus ipsa vita* Joh. 1. v. 4; quam ratione effectus: *quo vivificat. Quod illustratur consuetudine Græcorum, qui sæpe* τὸ ζῶν *pro* ζωοποιεῖν *usurpant, ceu ps. 118. v. 17. 2. Reg. 1. v. 2. Proinde* fons ζῶν, Christus cum sua doctrina & donis, fluit in illis semper, qui bibunt, & quidem perpetuò. *Bibitionem enim perpetuam intelligi, ipse* Marlo*ratus in comment. super hunc locum testatur. Descriptio igitur subjecti notanda venit, nimirum quod & quandiu bibit. Qui enim fontem hunc in se fluentem obstruunt, aut rursus aquas evomunt, ut homicidæ, adulteri, idololatræ, scortatores, mœchi, alijq; homines impuri: sanè in illis aqua isthæc non fit fons vitæ. Quale Jeremias de suis auditoribus refert c. 2. v. 13.* Deseruerunt me scaturiginem aquarum perennium, & foderunt sibi cisternas, quæ non capiunt aquas. *Neq; hoc (teste* Cyrillo *2. l. in Joh. ita sensum hujus loci reddente) est impossibile sanctis:* Qui vero, inquit Christus, biberit ex aqua, quã ego præbeo, non modo nunquam sitiet, sed illum in seipso fontem continebit, qui POSSIT ad vitam æternam perducere. *Non dicit omnes bibentes ad vitam perduci.*

*Frustra regeris, Croci, p. 113.* Jeremiam

de

*de hypocritis in populo Dei loqui. Nam de illis loquitur, qui adhæserant Deo: qui ipsum tunc deseruerant. Quæ querela versu 29. repetitur, & ad defectionem ad gentilismum nuper factam referтur; & quidem (ut videtur) post tempora Regis Echeziæ, inprimis post conversionem Manasses. Nam* Echezias *verum Deum ubivis in Judæa quari & coli curaverat*: Manasses *autem idololatriam infinitis superstitionibus auxerat. Verum conversus, quantum potuit, in cultu Dei restituit; id*q; tam *in urbe Hierosolyma*, quam *in tota Judea. 2. Paralip. 33. v. 12. 15. 16. 17. 18. At post illius mortem sub filio* Ammone *prior idololatria instaurata, post annum duodecimum Regis pij Iosiæ repurgari in toto populo cepit.* Deinde: *saltem in infantia fuerunt in circumcisione conversi, & in fœdus Dei æternum recepti. Ergo hic vera á fide defectio describitur. Proinde* Crocio *petenti, non unum verè fidelem à Deo prorsus defecisse probamus, sed infinitos.*

*Neq; melior evadit causa tua dicendo,* promissionem spectare illos, qui facturi sint officiū; & præterea Christum effecturum in eis Spiritu suo, ut constanter officium faciant: *Phil. 2. v. 13. Nam ut verissimum est Christum loqui de illis, qui suum faciunt officium: ita etiam certum est, Christi spiritum constanter eos instigaturum, ut faciant officium: verùm in obedientibus, sermonem*

*audientibus: non autem in contemnentibus consilium Dei, spiritui contradicentibus, & nolentibus congregari: quales sunt omnes, qui deseruerunt Deum, suisque peccatis & cupiditatibus indulgent.*

*Excipit p. 114.* cum gratia Dei sit fons saliens vitæ in vitam æternam 1. non obstruitur à credente. 2. Neque Christus permittit, cui id foret ignominiosum. 3. Nemo sit qui fontem illum exsiccare & obstruere possit, utpote immensum & inexhaustum. *Resp. istas ratiunculas non esse Spiritus Sancti ferramenta, sed cerebri humani figmenta. Nam 1. connexum manifestâ falsitate laborat, quod* aliud *sit esse fontem in vitam æternam fluentem, Christum:* aliud *tibi fieri fontem. Est quidem fons fluens; verum in fide perseverantibus, actu in vitam fluit: non in deficientibus, fontem obstruentibus in sese, & alijs* μεσολαβοις. *Quod autem multi obstruant & supra patuit, & suo loco patebit clarius.* Ad alteram *respondeo per inficiationem. Neq; si obstruant ingrati fontem hunc, id Christo erit ignominiosum, qui non absolutè, sed per media & ordinem, in aterno proposito Dei præfinitum, nos defendit & trahit. Nec nobiscum violento agit raptu, sed tractu per verbum & sacramenta. Idem quoq; ad tertiam repono, & addo; Christum, etsi*

*in sese est immensus & inexhaustus, tamen non dici in nobis immensè & infinitè esse & dari: verum explenitudine & immensitate ejus nos omnes accepisse gratiam pro gratia Joh. 1. v. 16. juxta mensuram Eph. 4. v. 7. Rom. 12. v 3. Christo a. soli Spiritus S. non ad mensuram est datus Joh 3. v. 34. Proinde pro mensurâ nobis datâ, aqua ista, licet ex immenso fonte promanet, obstruitur, quoties deserimus Deum.* Deniq; *si fons vivus non potest obstrui, nec Judæi apud Ieremiam Dei gratiam in sese obstruere quiverunt. At obstruxerunt gratiam Dei, deserendo illum. Ergo fons vivus, Deus scil in sese, immensus ab illis fuit obstructus. Quod cum* Crocius *antea largitus sit, videat quam imbellis sua sit ratio.*

*Deinde:* Nec consequentia Majoris est *firma. Nam si vel maximè aqua ista finaliter (quod in Assumptione falsum esse monstravimus) fluat & in vitam æternam saliat: non tamen electi omnes tam continenter bibunt, ut nunquam desistant bibere. David enim & Salomo (E. G.) non vivam, sed impuram & venenatam, quandoque biberunt aquam.*

*IV.*

*Joh. 6. v. 25.* Ego sum panis ille vitæ, qui venit ad me, nequaquam esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam. *Resp. Credentes, qua credentes, intelligendi veniunt, quod nobis* 53. § 4.

55. verſiculi perſuadent: ubi ſtudioſè tempora eſu & bibitionis, cum manente fide, conjunguntur: ut illis poſitis & hæc ponatur: hâc autem remota & illa removeantur. Nam credentes, quandiu ad Chriſtum veniunt, audiunt, edunt & bibunt ſpiritualiter, non eſuriunt & ſitiunt: intermiſſo a. & ceſſante eſu & bibitione, rurſus eſuriunt & ſitiunt. Theophyl. ſup. h. l: Qui credit, ait, in illum panem non eſuriet, neque famem feret audiendo ſermonem: neque ſitiet ſpiritualem ſitim, eo quod habeat aquam baptiſmi & ſanctificationem ſpiritus. Loquitur igitur 1. de actu edentibus 2. de habentibus aquam baptiſmi. cum a. multi, qui baptizati fuerunt, quos Theophylactus ſanctificatis in ſpiritu conjungit, deſciſcant; ipſa apoſtaſia de illis negari non poteſt.

Male regeris Croci, non de alijs officij conſtantiam prædicari poſſe, quam qui illud ſincerè faciunt. Aliud nanq; conſtantia officij eſt, aliud ſedulitas & puritas in eo præſtita. Videmus enim multos in initio benè currere, officiumq; facere, qui poſtmodum deficiunt. Quod vel exemplum Salomonis teſtatur, qui in juventute ſua, ob ductum Spiritus ſingularem, fidem ac pietatis Zelum fuit Jedidia (i.e. dilectus Domino) apellatus; & nihilominus in fine vitæ turpis idololatra factus eſt. Idem arguit Galatarum & aliorum hiſtoria, de quibus infra.

Joh.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0244
DFG

V.

*Joh. 6. v. 37.* Quicquid dat mihi pater ad me veniet, & eum, qui venit ad me, nequaquam ejiciam foràs. *Verissimum est, Deum neminem ejicere foras, qui tota die extendit manũ suam ad nos, & colligit nos; vult ut omnes ad agnitionem veritatis perveniant & salventur. Quid verò, si homo ipse sese foràs proijciat? spernatve consilium Dei?* Christus *sanè affirmat Joh. 15. v. 6.* Si quis in me non manserit, ejectus est foràs, sicut palmes & exaruit v. 4. Manete in me, & ego in vobis.

*Frigida est crambe* Crociana, *toties repositа, hominem vere renatum non posse penitus resilire; quoniam inquit, retinetur forti manu Dei patris Joh. 10. v. 29. Quam jam aliquoties reprobavimus, reiecimus.*

*Nec magni momenti sunt, quæ adversarius ex August. l. 2. de corrept. & gratia c. 12. profert, dicente:* Si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen virtutẽ perfici oportebat, renatis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei perseverarent, si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua, voluntas ipsa succumberet, Subventum igitur est infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia INDECLINABILITER & INSEPARABILITER ageretur: & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.

*Diſputat n.* Auguſtinus *contra* Pelagianos, *libertati humanæ & initium & curſum ſuæ ſalutis adſcribentes, Deiq; in nobis ſalutem operantis & perficientis, non agnoſcentes gratiam. Neq; tamen* Auguſtini *verba* (ut divina gratia indeclinabiliter & inſeparabiliter, ageretur.) *hunc præ ſe ferunt ſenſum, quaſi homo renatus ſemetipſum avertere à Deo non poſſit: ſed 1. quod nulla vis externa illum rapere poſſit.* Deinde, *nec ex parte Dei gratia ſit unquam ceſſatura 3. homo ipſe ad ſalutem ſuam nihil ex ſeſe producere & operari poſſit. Atq; hoc ſenſiſſe* Auguſtinum, *niſi ſibi contradixiſſe ſtatues, hæc ipſius verba ſuadent, quæ eodem c. 13. fol. 538.* Edit. Lugdu. *leguntur. Propter hujus ergo* utilitatem ſecretò credendum eſt, quosdam de filijs perditionis, non accepto dono perſeverandi uſque ad finem; in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquandiu fideliter ac juſtè vivere, & poſtea cadere, neq; de hac vita, priuſquam hoc illis contingat, auferri. Quorum ſi nemini contigiſſet, tamdiu haberent homines iſtum ſaluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Chriſti gratiam, quâ pie vivitur, pervenirent, deinceps jam ſecuri, nunquam ſe ab illo caſuros. *Hæc* Auguſtinus *Crocium confutans.*

*Deinde: ne abſolutam & particularem gratiam nobis in voce,* DEDIT, *comminiſcaris, certum eſt,*

est, totum *mundum esse filio* datum *ad redimendum*; *idq; juxta æternum propositum & gratiam Dei 2. Tim. 1. v. 9. in Christo, ibidem, quem mundo dedit universo. Alij dantur insuper Christo, ut credant & meritum ipsius apprehendant. Atq; hi Christo non absolutè dantur, nec per immutabiliter necessarium raptum; sed per verbi auditum & sacramentorum usum.* Patrem *verò appellat, quoniam fons individuæ Trinitatis est, ac genus humanum, per filium mediatorem & sponsorem nostrum redimere, & credentes per ipsum salvare decrevit; ut, qui secundum ordinem & propositum Dei præsciti sunt, quo erant credituri, ex gratia ingenti darentur filio, ceu mediatori in officio conversionis operanti per verbum & spiritum: ne sua sponte currere dicerentur. Denig;, Christus hîc loci nullam injecit Perseverantiæ mentionem, sed tantum dicit, quod* venientes ad se nolit repellere; *ideoq; nec ipse, nec pater illius hominis interitus causa dici queat: Sed quisquis pereat, ob suam propriam malitiam & negligentiam pereat. Stat à nobis* Theophylactus *abbreviator* Chrysostomi, *scribens super h.l:* Non ejiciam foràs, hoc est, non perdam, sed salvabo, & magnâ cura illum refocillabo.

*Ogganit* adversarius *p. 116. ad caput 15. Johannis*, multos opinione hominum censeri in vite, qui reipsa in vite non fuerint. Ita Dominus

minus vineam apud prophetam nominet populum Israëlis, qui externa professione nomen Ecclesiæ habuerit. Resp. 1. Verba Christi sunt clara, quibus palmites in se vite esse pronunciat: & multos rursus excidere. Hypocritæ 2. & civiliter justi Crociani in vite nunq. fuerunt. Ergo nec rursus excidunt. Loquitur 3. Christus de credentibus; ut de discipulis suis. Quod si illi quiverunt (temporaliter) excidere. Ergo multò magis alij 2. Glumbe est ξηροφύγετον Crocij, quo vocem Vineæ populo Dei infideli tributam ait; quæ externâ professione nomen Ecclesiæ habuerit. Nam 1. præterquam, quod semper in Ecclesiâ multi ad tempus credidérint Luc. 8. Rom. 11. ob quos nobilia Electorum epitheta toti cœtui generatim assignantur; longè aliud est esse aliquem in vinea Domini, & esse in Christo vite palmitem. Illud cuivis in promiscuo Ecclesiæ cœtu competit, hoc solis fidelibus.

## De JUDA, utrum fuerit verè Apostolus & renatus? nec ne?

Judam fuisse verè Apostolum Crocius p. 116. inficiatur: Sed tantum ex opinione hominum, quod nemo ex illis, qui dati sunt Christo, perierit. Sic enim scribit: Etsi enim (Judas) non erat ex electis & ex germano Dei grege: officij tamẽ dignitas illam speciẽ præbebat, ut nec aliter quisquã de eo sensisset, quãdiu in tã eximio ordine stetit: Idẽ ex Bulingero p. 209. 210. repetit: Quandiu, inquiente, Judas Christi prodi-

proditor & parricida subdolum, imò sceleratissimum suum ingenium nullo facto aut dicto publico prodebat, nec congregationem Christi & Apostolorum deserebat, sed concionabatur, & rem Christi familiarem curabat, habebatur utiq; pro apostolo & oeconomo Christi Et p. 237: Quid quod (Judas) nondum erat electus Apostolus, sed postridie demum cum cæteris eligebatur. Quanquam tamen judas eo sensu pleno non fuerit Apostolus, quo reliqui, qui cœlitus ditati extraordinarijs sancti spiritus donis; quos omnes pro verè fidelibus & beatis habemus. Qui autem communi titulo est apostolus seu legatus Domini, & minister verbi, potest arcam Noei ædificare, & ipse eam non ingredi.

*Resp. 1. audax est pronunciatum* Crocij, *Christum ex opinione hominum loqui, quod judas ex grege Domini fuerit. At contra.*

*I.* Qui ex ijs perijt, *qui Christo fuerunt dati, credentibus: is in Christo fuit. Atqui judas ex ijs perijt, qui Christo fuerunt dati, credentibus. Joh. 17. v. 11. 12. c. 18. v. 9. Ergo Judas in Christo fuit.*

*II. Ab* absurdo. *si judas nunquam verè credidit: certè Christus incredulos & profanos doctores ad Apostolatum elegit & plantandas Ecclesias ac fidem docendam misit.* Consequens *est absurdum. Ergo &c.* Consequentia *a. patet. Nullum n. exemplum hominis doctoris extraordinarie vocati in Ecclesia extat, qui non renatus fuerit.* III. Ab

*III.* Ab effecto prædicationis molestijs plenæ; *Qui in Christum abjectũ credendũ cum multis persecutionibus, prædicavit, ac miraculis doctrinam confirmavit: & utiq; ipse credidit. Quod nisi concesseris statuas necesse est, incredulum, pro stulta & plena scandalis Evangelij doctrina, totq; persecutionibus obnoxia, decertatum fuisse: quod absit ut infideli adscribamus. Atqui judas in Christum abjectum credendum, &c. prædicavit. Ergo.*

*IV.* A sanctitate judæ tempore electionis ad Apostolatum *Luc. 6. v. 16. c. 13. v. 2. Omnes Apostoli, ad Apostolatum electi, crediderunt. Atqui Judas fuit Apostolus, cum alijs apostolis electus. Ergo utiq; credidit. Nullam enim proferre rationem potest, qua contrarium doceas.*

*V. A testimonio Petri Joh. 6. v. 68. 69. dicentis:* Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus & cognovimus, quod tu es Christus filius Dei vivi. *Ergo tunc omnes crediderunt, eoq; judas.* Dicas *judas excipitur v. 70:* Unus ex vobis, *inquit Christus, est* diabolus. *Respondemus cum Augustino,* distingue tempora & concordabit scriptura. *Judas quidem & tunc & ante, cum eligebatur Apostolus, credidit, & verè sanctus fuit Apostolus. At circa ultima tempora deficiens, avaritiæ indulsit, cepitq; non tantum in oeconomia infidelis esse, verùm etiam ipsum Dominum prodidit. Quod autem Christus*

de-

*de futuro loquatur tempore versus 71. demonstrat, qui sic habet*: Futurum enim erat (*nempe post integrum annum*) Ut hic proderet eum.

VI. Ad fine testificationis Apostolicæ. *Emittendi erant Apostoli in orbem terrarum, ut omnes per illos crederent, ac de nomine Christi testificarentur. Ergo ipsimet utiq; crediderunt. Stultè n. in produceretur testis, qui rem ipsam, de quâ testificari debet, negaret non crederet veram, reijceret.*

*VII.* A tempore pueritiæ & infantilis ætatis. *Omnis infans in nativitate peccator natus, circumcisus in V. T. ac baptizatus in N. T. regeneratur, & in fœdus Dei æternum recipitur. Judas fuit infans peccator natus, circumcisus, & deinde baptizatus. Ergo & regeneratus, inq; fœdus Dei æternum assumptus est.*

*Resp. 11. Pariter impudens est negatio*, Judam fuisse Apostolum, & eodem modo, quo reliquos Apostolos elegit, à Christo electum, fuisse, sed communi titulo tenus. *At quæ causa dissensus est? Nullam aliam affert Crocius, quam quod donis extraordinarijs non fuerit illustratus. Itane vero? Atqui utrunque est falsum. Nam.*

I. *Judam fuisse Apostolum clara scripturæ litera & sermo testatur. Luc. 6. v. 13.* cum dies (*nocte integra in precationibus absumptâ*) factus esset,

esset, vocavit discipulos suos, & elegit ex illis duodecim, quos & Apostolos nominavit. v. 14. Simonem, quem nominavit Petrum & Andream fratrem ejus, Jacobum & Johannem, Philippum & Bartholomæum v. 15. Matthæum & Thomam, Jacobum Alphæi & Simonem, qui vocatur Zelotes, v. 16. Et Judam Jacobi & Judam Jscariothen, qui factus est proditor. *Vides hic 1. Judam æque ac reliquos, electũ fuisse Apostolum. 2. Christum pro illo rogasse? 3. Scripturũ distinguere inret Apostolatum & lapsum ex illo per proditionem & suspendium? Ipsum enim fuisse verè Apostolum fatetur: quomodo autem suo privatus sit apostolatu per proditionem, recenset. Sic & Marc. 3. v. 13. Electio Apostolica à fine & officio suo integro narratur, quum ita scribit Evangelista.* Et ascendit in montem, & vocat ad se quos voluit ipse; & venerunt ad eum v. 14. Et fecit duodecim, *ut essent secum, & ut emitteret eos ad prædicandum. v. 15. utq; haberent potestatem sanandi morbos, ejiciendiq; dæmonia.*

*Nos ex his ita inferimus.* Quicunq; eodem modo, eâdemq; & una vocatione, cum reliquis Apostolis vocatur: cui idem officium Apostolatus demandatur; & eo fine cum Christo esse debebat, quo reliqui: ut scil. deinceps eum illis testaretur de Christo, tam in Judæa, quam toto terrarum orbe: is fuit verè Apostolus,

lus, & ejusdem potestatis & ordinis, cujus reliqui. Atqui, Judas fuit eodem modo eademq; & una vocatione, cum reliquis Apostolis vocatus: ipsi idem officium Apostolatus demandatur: & eodem fine cum Christo esse debebat, quo reliqui; ut scil. deinceps testaretur de Christo, tam in Judæâ, quam toto terrarum orbe. Ergo Judas fuit verè electus Apostolus, & ejusdem potestatis & ordinis, cujus reliqui. *Minor, præter citata scripturæ loca, etiam Matth. 10. v. 17. 18. 19. & seqq. Joh. 6. v. 70. 71. confirmatur.*

*Idem persuadet nobis concio Petrina Act. 1. v. 17. Qui (Judas inquit)* cooptatus erat nobiscum, & sortitus erat partem ministerij hujus, v. 20. Et Episcopatum ejus accipiat alter. v. 21. oportet igitur ut ex ijs viris, qui nobiscum versati sunt toto tempore, quo Dominus Jesus ingressus & egressus est apud nos &c. 22. Unus quispiam constituatur, qui sit unà nobiscum testis resurrectionis ejus. v. 25. ut accipiat sortem ministerij hujus & Apostolatus, unde prævaricatus excidit Judas. Inde concludo. Qui 1. reliquis Apostolis fuit cooptatus. 2. sortitus partem ministerij illorum. 3. habuit eundem Episcopatum. 4. à quo non nisi prævaricatus excidit 5. Fuit Apostolus per tres annos & ultra: 6. electus ut testificaretur cum reliquis de Christo in toto mundo: is fuit verè Apostolus, reliquis

horum respectu, nihil minor. Atqui Judas 1. reliquis Apostolis fuit cooptatus (καθαριθμημένος annumeratus) 2. sortitus partem ministerij illorum. *Lucas habet κλῆρον, respiciēs ad Levitas, qui κλῆρος, i.e. hæreditas Domini singulariter dicebantur: qua ipsis, (terra Canaan reliquis tribubus Israëliticis sorte distributâ) tanquam sorti & primogenituræ sacerdotali; omnes decimæ, victimæ, & quicunq; reditus ac munera ad sacra offerebantur, assignabantur, ut cultui vacarent divino. Hinc illa vox in N. T. retenta, plerunq; ad Christianos in genere, qui sors Domini electa sunt, restringitur. 3.* Habuit eundem Episcopatum & Apostolatum, v. 21. 25. 4. A quo non nisi prævaricatus excidit, v. 25. ἀπ' ἧς παρέβη Ἰούδας. *Lutherus:* Davon Judas abgewichē ist: *Syrus* רמנה פרק יהודא. *A quo (ministerio) separavit, abrupit, divisit se Judas. 5. Fuit Apostolus per tres annos & ultra: Nimirum à tempore baptismatis Johannis, usq; ad passionem Christi v. 21. 22. VI.* ut testificaretur cum reliquis de Christo in toto mundo. *Apostolatum enim nemo obire ordinariè quibat, nisi qui omnia Domini dicta & facta oculis viderat & auribus audiverat. Unde testificaturos de omnibus Apostolos, etiam toto prædicationis tempore usq; ad ascensionem Christi, cum eo conversatos esse oportebat. v. ibidem 21. 22. Ergo*

*Judas*

*Judas fuit verè Apostolus, reliquis horum respectu nihil minor.*

Deinde *alterum*, quod Judas donis extraordinarijs miraculorum non fuerit ornatus, *à veritate alienum est. Licet enim post ascensionem Domini, suspendio absumptus, non fecerit miracula: tamen propterea non negandum est, ipsum antea cum reliquis discipulis non feciſſe ea; fuisse Spiritu Sancto ornatum, extq; prædicatione illius non plurimos conversos. Nam miraculis, aliisq; Spiritus donis non duntaxat Apostoli, sed quoq; Septuaginta excelluerunt. De* illis *probat id Matth. c. 11. v. 5. inquiens:* Misit discipulos (Duodecim Apostolos v. 1.) concionatum, & dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & sanarent quemvis morbum, v. 7. Prædicate (ovibus perditis domus Israel) dicentes: appropinquavit regnum cœlorum, v. 8. infirmos sanate, leprosos mundate, mortuos suscitate, dæmonia ejicite. *Nuncquid etiam effecerunt Apostoli hæc? & quando? Non tantum post ascensionem, verum etiam in ea ipsa legatione, teste Luca c. 9: v. 6.* Exeuntes igitur obibant singulos vicos, Evangelizantes & sanantes (*à morbis & Satana afflictos*) ubique. *De* his *idem Lucas c. 10. v. 17. refert.*

*Ne dicas* caruit extraordinarijs donis alijs. *Nam reliqua Apostolorum miraculosa dona spiri-*

*tus, quæ ante aſcenſionem habebant omnes, diſtinguenda ſunt ab illis, extraordinarijs linguarum, ſcientiæ & augmenti ſpiritus majoribus, quæ in feſto Pentecoſtes per viſibilem effuſionem, acceperunt. Quæ ne urgeat Crocius: omnia dona Apoſtolorum ab ipſorum electione ad Apoſtolatum, non quidem ſeparanda, ſed diſtinguenda ſunt. Non enim dona, nec augmentum aut confirmatio illorum facit Apoſtolum, ſed duntaxat divina illa & immediata ad Apoſtolatum vocatio: quæ æque Judæ atq; Petro & Johanni, alijsq; facta eſt.*

*VI.*

*Joh. 6. v. 39.* Hæc eſt voluntas ejus, qui miſit me, patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, ſed ſuſcitem illud in ultimo illo die. Et qui conſpicit filium & credit in eum habet vitam æternam: Ego vero ſuſcitabo eum in noviſſimo die. *Reſp. 1. eſt fall. ignorationis Elenchi. Quæſtio enim non eſt, utrum filius aliquos ex illis, qui ipſi dati ſunt, perdat: omnes enim qui laborant & onerati ſunt, quærit & ad ſe vocat. Neq; de illo quiſquam dubitat, quin credētes vitam æternam ſint habituri, quam Deus omnibus, usq; ad vitæ finem crediturīs, pollicitus eſt. Verùm hoc quæritur, utrum omnes, qui ſemel verè & cum fiducia credere ceperunt, ad finem usq; perſeverent, ita ut nec ad tempus, nec ad finem usq; vitæ, gratia Dei & ſpi-*

*& spiritu inhabitante, priventur. Hoc inquã*, adversario *probandum est. Quomodo vero probat?*

*Pag. 117. sic ratiocinatur:* Qui dati sunt Christo, ut non perdantur, sed suscitentur ad vitam æternam: ij ad finem vitæ perseverant, nec penitus deficere possunt. Sed credentes sunt Christo dati, ut non perdantur, sed suscitentur ad vitam æternam. Ergo ad finem vitæ perseverant, nec penitus deficere possunt. Posse enim penitus deficere, &, necessariò suscitari ad vitam æternam, implicat contradictionem.

*Respondeo ad propositionem N. C: quæ continet fall. neglectæ distinctionis inter dationem Dei absolutam & conditionatam certùq; medijs ordinatam. Nam ut opera Dei duûm potissimum sunt generum: Sic & effectu illorum,* alteri *sunt absolutæ necessitatis,* alteri *pro cõditione & ordinationẽ rerũ, sese aliter habere & variare possunt. Ex quo supposito est deinde* fall. finis. *Nã etsi quidẽ dat credentibus sua dona, fidem ac Spiritum Sanctum: non tamen dat eo fine, ut sint simpliciter immutabiles. Si quis enim hoc assereret, ordinem Dei inter vitæ æternæ statum, & regenerationis piorum, observandum, impiè confunderet; hominibusq; infirmis in via vitæ æternæ versantibus, perfectionem eorum, qui sunt in patriâ, temerè attribueret. Verùm is est finis Dei donorum, ut credentes ijs benè usi, subnixi & ducti, vitam æternam (quod possunt) ingredi-*

*antur: qui tamen finis ex parte hominum, fidem non recipientium, sæpe impeditur.* Ajas, *dona Dei salutaria non posse male collocari? Imò fieri id posse est decantatissimum & clarissimum, nec exemplorum ascriptione opus esse arbitror.*

Tertio: Negamus esse absque distinctione contradictoria: penitus deficere, &, suscitari ad vitam æternam. *Nam 1. ludis*, Croci, *in voce* penitus, *cui finalem perseverantiam, sed præter causam, includis. Proinde 2. nec contradictoria sunt, posse, penitus deficere a fide, &, suscitari hominem ad vitam æternam; cum multi ratione subjectæ fidei penitus deficiant, ac tamen eadem recuperent acta pœnitentia, & æternùm salventur.*

*At regerit adversarius, loca Joh. 6. v. 56.* Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, is manet in me, & ego in illo. Et vers. 57. qui ederit me, vivet ipse quoque propter me. Et v. 68. Qui ederit hunc panem, vivet in æternum. *Ex quibus versiculis ita concludit.* Qui manent in Christo non desinunt credere. Quid enim est manere in Christo, si non est in fide ejus perseverare? Quid v. desinere credere aliud est, quam non perseverare? Atqui credentes manent in Christo. Ergo credentes non desinent credere; ac proinde nec promissione excidunt. *Resp. 1. Christus ostendit usum spiritualis cibi, qui est, ut credentes maneant in Christo. Nullo verò*

*apice*

pice docet, eos manere in Christo, qui non credunt, qui deserunt illum cibum & potum: Quales sunt homicidæ & alij, qui non habent vitã in se manentẽ. Itaq; propositionẽ sic limito: Qui semper manent in Christo, ij nõ desinũt credere. Si jam subsumes, falsò subsumes, quod scilicet singuli credentes semper maneant in Christo, dum in cursu hujus vitæ degunt. 2. Videbis igitur nostrates Theologos non fall. petitionis principij incurrere, sed te ipsum fall. compositionis & divisionis; invertẽdo sc. textum, ac prædicatum loco subjecti collocando. Neq; n. ita legimus, Qui manet in me, non credere desinet aut edere & bibere; sed contra, Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum: is manet in me & ego in illo. Ubi propositionis subjectũ cum reduplicatione, accipiendum est. Nam omnis homo edens spiritualiter Christum, manet in ipso, quandiu edit & bibit: aut si desinat edere & bibere, non amplius erit in vite Christo palmes. Esus nanq; spiritualis est causa in Christo manendi: quo cessante & effectus cessat. Male igitur Crocius ex prædicato facit subjectum, & rursus ex hoc illud.

Porrò: versu 57. pergit servator inculcare usum spiritualis cibi & potus, qui est vivificare illum qui edit, quandiu edit; siquidem posità causa etiam effectus est ponendus, & illã cessante cessat. Proinde nulla necessitas nos cogit; nec verba & connexio textus permittunt, ut, qui edit semel spiritua-

*lem cibum, ex eoq; vitam concepit, eum necessariò ad finem perseverare, opinemur.*

*VII. Ioh. 10. v. 28.*

**Ego** vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam è manu mea. Pater ille meus, qui dedit mihi eas major omnibus est; nec quisquam potest eas eripere è manu patris. *Resp. Observanda est descriptio subjecti, quæ nobis dux certus & index erit, archipastoris sermonem esse de ovibus Christi vocem audientibus & sequentibus eum v. 27. Atqui hactenus nemo potest oves ex manibus suis divinis archipastori rapere. Si autem oves, cum desertoribus verbi & homicidis, aliisq; peccatoribus, audire negligent, nec eum sequentur: certè in barathrum æternæ mortis & lupi stygij fauces incident: nec amplius in ovium, sed hircorum numero deprehendentur.*

*Instat Crocius p. 118. peti principium.* Nam, ait, quibus Christus dat vitam æternam, nec peribunt in æternum: ij penitus degenerare nequeunt. Atqui ovibus suis dat Christus vitam æternam, nec peribunt in æternum. Ergo oves degenerare nequeunt. *Resp. 1. Ad propositionem N. C. si vox,* penitus subjectivè *sumatur, ut sensus sit electas oves, sicut non usq; ad finem vitæ degenerant, sic ad tempus degenerare non posse. Si enim omnes oves Christi omni stant tempore in fide: sanè*

nec

nec David vir mortis fuit, qui malum in oculis Domini fecerit; nec Patres nonnulli Prædestinarij eum Dordrechti inferno, & non cœlo, associandum fuisse, si in isto articulo temporis mortuus fuisset, verè scripsissent. Nullus enim fidelis est hæres inferni: nec quicq; damnabile in illis, qui sunt in Christo Iesu Rom. 8. v. 1. 2. Similiter Minor nō est planè universalis, sed particularis Non enim de ovibus omnibus, quarum multæ ad tempus sunt oves ac verè credunt, sermo est: Sed de ovibus electis: quæ archipastoris sui vocem audiunt & sequuntur.

Pag. 119. miratur Crocius, oves non prius rapi posse à Satanâ, quam sponte à pastore suo deficiant; & tamen dum non rapiuntur, sponte deficere, & è manu Dei præpotenti excidere. Ne diutius justo, aut nimium miretur, causæ peccatorum & lapsus ipsi considerandæ veniunt: quæ sunt Diabolus, mundus, caro: quibus seduci non tantum potest homo, sed multi reipsa seducuntur. Diabolus est causa principalis, reliquæ sunt assentientes interdum, interdum quoq;, ob innatam malitiam & concupiscentiam, sponte in malum ducentes. Capiamus exemplum. In lapsu Davidis Satanas est causa principalis, quod scriptura non tacet, quum impurum quendam hospitem accessisse Davidem; ad concupiscentiam impulisse, & ad Bebsabæ stuprum allexisse memorat, 2. Sam. 12. v. 4. 9. Caro Davidis cruce non amplius pressa, sed volu-

*ptate, & ocio corrupta, sponte consentit & delectatur malo ibid. c. 11. v. 3. Deniq; mundus allicit, seducit, tētat. Quid v.* mundi nomine *accipiemus? Homines & res omnes in eo delectabiles & desiderabiles: quales sunt res & homines* boni *per accidens; ut hîc loci Bethsaba:* mali *verò per se, nemine cogente, instigante. Atq; hac ratione David, vir secundum cor Dei, seductus, vir mortis æternæ factus est.*

Quis, *inquias,* ipsū rapuit? *Nemo, inquā, propriè loquēdo, è manibus Dei rapuit, h. e, violenter abduxit. Non n. duntaxat Latinum verbū,* rapio, *sed & Græcum,* ἁρπάζω, *de violento raptu sumitur. Ejusdem sententiæ est quoq; Theophilactus, abbreviator* Chrysostomi, *super hæc verba sic scribens:* Quomodo dixit Dominus, nullus ex manu patris rapit eas, quum tamen multos videamus perire? Dicendum quod rapere quidem nullus potest de manu patris, decipere autem multi. Nam ut quidem Tyrannide nullus potest avellere à Deo, deceptione autem quotidiè supplantamur. Quomodo autem dixit oves meæ me sequuntur, nec pereunt? Videmus enim quod Judas perierit? Sed propter hoc perijt, quia non secutus est, neq; ovis mansit usq; ad finem: Dominus de ijs, qui secuti sunt eum, & oves sunt, inquit, quia non pereant. Quod si quis ex ordine ovium exciderit, nec secutus fuerit pastorem, statim perijt. *Hactenus* Theophilactus:

*Aug. Quare utrunq; verum est: nimirum oves & sua sponte interdum carnis ductum sequentes, peccare lethaliter, Rom. 8. v. 15. & à Satana allici & seduci in errorem: nec tamen rapi, raptu videlicet violento. Et rursus ait idem Pater:* Manibus Dei trahentis & sustentantis credentes portantur: & tamen sponte deficere possunt. Non enim Deus credentes peccaturos violento raptu detinet, ut non cadant: sed resistere potius Spiritui S. *Act. 7. ac judicio arguentis ipsius refragari sinit. Gen. 6. v. 3.*

*Ne dicas cum* Sohnio *c. 2. p. 765.* si Satanas potest seducere oves, Christo erit potentior. *Nam Christus non asseverat Satanam nos seducere non posse: verùm id disertè per Paulum testatur 2. Cor. 11. v. 2:* Adjunxi vos, inquientem, uni viro, ut virginem castam exhiberetis Christo v. 3. Sed metuo, ne qua fiat, ut quemadmodum serpens Evam decepit versutia suâ, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ erat erga Christum. *Et si abductio à Perseverantia est impossibilis: quare, teste* Augustino, in oratione Dominica, *maximè in petitione sexta, oramus:* Et ne nos inducas in tentationem? *cur petitio de tentatione & deceptione avertenda est mandata? Omnis enim deceptio supponit malum aliquod adversum, in quod homo labi, & potest & solet. Idcirco memores simus præcepti Apostolici, Gal. 6. v. 6.*

Ne

Ne erretis, Deus non illudetur. *Quæ cum ita sint, inferimus, si raptus iste improprie pro seductione quavis ponatur; non esse absurdum dicere, sanctos è manibus Dei rapi, non raptu quidem violento: Sed allectamentis & inspirationibus quibusvis malis. 2. Negq; tamen Satanas propterea erit Christo potentior aut sapientior, si quosdam, imprimis instabiles seducat; utpote qui nullibi promisit, se illos defensurum, qui ipsum ac verbum ipsius deserunt, nec firmiter ei adherēt. VIII.*

*Ioh. XIV. v. 16. c. XVII. v. 15. 17. 20.* Rogo ut serves illos à malo. Non tantum autem pro illis rogo, sed & pro ijs, qui per sermonem eorum credituri sunt in me. Has autem preces exaudijt pater. Joh. XI. v. 41. Ego sciebam, quod semper me audias. *Resp. 1. Magnum esse discrimen inter preces Christi generales & speciales.* Illæ *pro universa hominum prorsus omnium multitudine suscipiuntur: quales fuerunt, quas in cruce,* tam *pro crucifigentibus, quam pro omnibus hominibus præstitit Christus Luc. 23. v. 34. Es. 53. v. ult. Heb. 5. v. 4. Negq; enim has posterioribus locis lectas, fuisse particulares ac pro solis electis oblatas, universalis arguit redemptio, De qua suo loco.* Hæ partim *pro electis sunt factæ,* partim *pro individuis, ut Petro, Luc. 22. v. 32.* partim *pro apostolis omnibus, ut Luc. 6. v. 12. Ioh. 17. v. 17. In* Illis *quidem, quæ totius mundi redemptionem concernebant, exauditus est,*

*Heb.*

*Heb. 5. v. 4: unde omnibus salus quidem empta & acquisita est, sed fide ab omnibus non recipitur. In particularibus vero precibus pro suis electis est certò auditus; idq; tam firmiter, ut nemo electorũ pereat.*

*Verum; ut de precibus Christi, pro objectorum varietate, distinctius agamus, asserimus I.* Exauditum esse Christum semper, quoties erat miracula facturus. *De illis enim loquitur Joh. 11. v. 41. Et sanè si percurramus historiam Evangelicam, ipsum exauditione nunquam frustratum legimus.* II. Exauditus fuit in triplici officio mediatorio. *Probabimus breviter de uno quoq;. Itaq; in officio sacerdotali & satisfactorio fuit exauditus, Heb. 5. v. 4. orans pro genere humano toto. Universalis enim redemptor cum sit, universale quoq; meritum nobis præstitit & acquisivit. Atq; adeo hodieq; in dextera Dei vi meritt sui interpellans exauditur, Heb. 7. v. 25.* Unde & servare absolutissimè potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens ut interpelleт pro eis. Rom. 8. v. 34. Qui *(Christus)* est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Deinde: *in petitione majestatis est voti compos factus, Joh. 17. v 5. Eph. 1. v. 21. 22. 23. Quam datam & collatam in conceptione Phil. 2. v. 6. Joh. 1. v. 14. post ascensionem plenè usurpavit & exeruit, Act. 2. v. 36. Phil 2. v. 9. 10.*

Tertio: *quando ut propheta oravit, Luc. 6. v. 12.*

*v. 12. Joh. 17. v. 9. Et miracula erat patraturus, ut jam vidimus.*

Tandem: *Christus absolutè oraturus* semper exaudiri *quivisset, non autem, secundum Dei voluntatem ordinatam rogitans. Sic in horto quidem pro se rogitavit, verùm cùm conditione paternæ voluntatis, cui rem totam commendabat inquiens:* Non ut ego, sed ut tu vis. *Cum autem istius precationis effectus, si auditus fuisset, divinæ voluntati & patefactioni scripturarum repugnasset: non fuit Christus in totum auditus, sed in tantum. Ab angelo enim confirmatus, opus redemptionis amarum subijt: sed tamen, si voluisset* absolutè *rogare, exaudiri quivisset. Dicit enim ipse Matth. 26. v. 53:* Annon putas, quod possum Nunc (ἀπ' ἄρτι *etiam in illo profundissimo exinanitionis statu*) rogare patrem meum, & exhibebit mihi plures, quam duodecim legiones angelorum? *Regerat quis, in cruce pro transgressoribus oravit, ut dimittantur illis peccata: quorum tamen multi non sunt salvati, Ergo non semper fuit exauditus. Resp. 1.* Aliæ *preces sunt absolutæ,* aliæ *conditionatæ. 2. Dimissio peccati illis fuit impetrata, quoad salutis acquisitionem, ita ut Deus non tantum paratus esset ad salutem illis dandam: verùm etiam per verbum & sacramenta omnibus exhiberi curavit; quibus multi utiq; sunt conversi. Reliqui potuissent*

*issent etiam salvari, si ordinem salutis in ministerio divinitus propositum, non contempsissent.*

*Audacter & temere negat* Crocius, Christum pro Juda proditore intercessisse, ut qui ipsum prodiderit. *Confirmare nititur.* Proijs Christus oravit, in quibus fuit glorificatus. Atqui in Juda non est glorificatus. Est enim ab illo proditus & ignominiâ affectus. Ergo pro Juda non oravit. *Resp. 1. A. N. Nam Christum universalem esse mediatorem adeoq; intercessorem pro omnibus, ex superioribus claret. 2. Esse Christum etiam pro ipso Judâ glorificatum, nemo pius inficiatur: Idq; non in una duntaxat significatione. Nam 1.* Theophilacto *authore, glorificatum esse, hîc idem est, atq; potestatem omnium habere, scribente:* Glorificatus sum in eis, *hoc est*, potestatem illorum habeo, ut Dominus, qui in illis glorificor: sicut & Regis filius æqualem cum patre potestatem habens ac regnum, glorificatur in eo, quod tanta habet, quanta pater. *Si autem glorificationem ponas pro honorari, idem non erit falsum de Juda. Nam Christus sua misericordia & merito pro toto mundo peracto, ab omnibus sanctis & tota Trinitate & angelis sanctis honoratur & glorificatur. Quæ tamen significatio huc nõ spectat. Si denig; glorificationem accipias* pro destinatione *ad mortẽ crucis, traditione & oblatione pro omnibus facta: sanè & hoc modo Christus æquè pro Juda ac pro Petro est sanctificatus. Atqui hac ulti-*

*ultima significatio est propriè hujus loci. Nam Christus, ubi se sanctificaverat & obtulerat in cruce, sua passione & morte omnes homines redemit; Apostolosq; insuper & omnes credentes suo spiritu in fide & fidei fructibus, sanctificavit.* ultimò, *si glorificationem ponas pro laudibus, gratiarum actione ac celebratione nominis divini; aio, propositionem* Majorem exclusivè *sumtam esse falsissimam. oravit enim & satisfecit pro omnibus impijs & omni rationali humana creatura: verũ honor, laus & celebratio ipsi nõ nisi à credentibus & sanctis defertur.*

## LIBRI SECUNDI CAPITIS
### Quarti Examen.

*IN hoc capite producit* Crocius *loca ex Epistolis Paulinis in scenam, quæ suo instituto inservire posse existimat: Quo autem jure jam videbimus.*

Primum, *quem allegat, locum, è capite 5. ad Rom. v. 5. promit:* Spes *inquit apostolus,* non pudefacit. Ergo, *concludit* Crocius, non possunt sancti penitus deficere. *Resp. N. C. considerando* subjectum, *de quo loquatur. Nam spes non abjecta, sed servata, in quâ per gratiam stamus & gloriamur sub spe gloriæ Dei v. 2. servantem non confundit. Non negat autem Apostolus spem abijci posse, 1. Cor. 10. vers. 12: ubi Christianos ad stabilitatem hortatur:* Qui stat videat ne cadat. Chrysost. *in cap. 5. Rom.*

*Rom. super hæc verba scribit, Paulum* auditores suos ab incredulitate & hæsitantia in fide dehortari. *Deinde in hæc prorumpit Verba*: Quid igitur magni est, quod bona illa futura in spe posita tenemus? in spe quidem, sed non in humana, quæ subinde & intercipitur, & spetantem pudore afficit, vel eo, qui sperata præstare aut tueri debebat, moriente, vel etiam si vixerit sententiam mutante. Nostra verò ejusmodi non est, sed firma & immobilis perdurat. Cum enim is, qui promisit perpetuò vivat, etiamsi nos, qui promissis perituri sumus, moriamur, denuò tamen resuscitandi sumus. Nihil autem omnino est, quod nos in hac spe confusioni possit reddere obnoxios, quasi frustra & vanè in spem debilem & emarcidam inducti simus. Posteaquam igitur hisce verbis illos prorsus ab omni hæsitatione sufficienter liberavit sermonem sùum circa præsentia Dei dona consistere non passus, futura iterum inducit, non ignarus, quam soleant, qui infirmiores sunt, & præsentia quærunt, illis non esse contenti. Fidem autem illis facit, ab ijs Dei donis, quæ jam data erant: etenim ne quis dicat: quid si illa nobis Deus largiri nolit? Quod enim potens sit, quod spiret & vivat, omnes quidem scimus, quod verò illius erga nos quoq; voluntatis sit, ut ista largiatur, unde cognoscemus? unde? Ex illis

scilicet quæ facta sunt, ex dilectione illa, quam erga nos ostendit. Quid fecit, inquies? Spiritum Sanctum dedit? Atque adeo cum dixisset, spes non confundit, ostensionem (secundum alteram lectionem, probationem) illius induxit. Hæc Chrisostomus, *omnia ex parte Dei firma esse propugnans, non autem ex parte hominum, ista dona & promissiones abijcientium.*

*Regerit* Crocius *pag. 120.* spem non posse abijci, nisi & Christus & anchora fidei abijciatur. Sin abijcere sit idem quod desperare, ostendendum esse, verè fidelem unquam desperasse. *Resp. Frustra! Nam & spes abijci potest, quæ est anchora fidei & ipsa adeo fides cum Christo, quoties persona renata carnis ductui & voluptatibus indulget. Docet id Apostolus, 1. Tim. 6. v. 17. ubi Timothei conversis auditoribus præcipit:* Ne elato sint animo, neq; spem ponentes (ἠλπικέναι) in divitijs incertis, sed in Deo vivente. *Ecce! Eâdem ratione & animo, quo poterant esse elati animo, poterant quoq; spem ponere non in Deo vivente, sed in divitijs incertis.*

II.

*Rom. 5. v. 9.* justificati igitur nunc ejus sanguine servabimur multò magis per illum ab ira ventura. *Resp. 1. Demonstrat Apostolus gratiam & amorem Dei per comparationem imparium, à majore ad minus arguendo. Si Deus nostri, cum essemus*

mus inimici, misertus est. Ergo multò magis placatos à malo & judicij ira servabit: idq; non simpliciter & absolutè, quomodocunq; sese gerant homines: Verùm illos, qui capitibus præcedentibus & hoc descripti, in Christi justitia persistunt & manent, ac rursus concupiscentijs carnis non obsequuntur, ut aversi excidant, cap. II. v. 20. 21. 22.

Deinde ad Bertij responsionem (si lapsi conscientiam lædamus, nec per pœnitentiam restituamur: annō necesse sit, ut fidei faciamus naufragium.) regerit Crocius p. 121: probandum esse, verè justificatum ac credentem per pœnitentiam nunquam restitutum. Conatur id demonstrare, inquiens: Id verò nullibi scripturarum legitur eoq; ut ἄγγραφον ac illectum rejicitur, imò ut prorsus ἀνπίγραφον exproditur & afflictis conscientijs onerosum judicatur. Et naufragi non rarò eripiantur.

Resp. 1. Multos credentes actu à gratia & fide feciſſe divortium, neminemq; inveniri, qui quandiu in hac vita degit, gratiam abijcere omnem, non poſsit, & ex dictis & dicendis satis inclarescet. Annō omnes infantes in infantili ætate per baptismā regenerati, ac posimodum desciscentes, excidunt fide? Annon & peccatores in Spiritum Sanctum peccantes? Annon alij ψεύσαυεφι? Nec Crocianæ ratiunculæ, nobis oppositæ ullius sunt momenti: Qua enim audacia tu scripturæ ἀνπίγραφον esse cla-

*clamitas, si renatus fide excidat suâ; quod multis ipsa exemplis & testimonijs docet, inculcat? 3. Nec nostra doctrina, qua sanctos carnis ductum sequentes, & peccatis ac concupiscentijs frenum laxantes, gratia Dei omni excidere & fide docemus: si a. Spiritui S. obediant in verbo, stare possint & salvari; est afflictis conscientijs onerosa, sed jucunda & consolationis plena. Quam jucunditatem supra ab universalibus Dei promissionibus, misericordia, merito Christi & satisfactione, vocatione sacramentis fideique confirmationibus, astruximus: firmisque fulcris alijs probatam dedimus, quibus sancti niti, duci ac perseverare possunt. Licet enim stoica & immutabiliter necessaria ac fatalis Perseverantiæ, vel potius, securitatis promissio, illis non sit concessa; propterea nè salus ipsa est incerta? Minimè. 4. Verùm: quam tu conscientijs perturbatis certitudinem & solatium præbes? Num perseverantiam Christianam? Imò securitatem & immutabilitatem ferè fatalem: quæ ex absoluta fluat electione, & obscuris signis, promissionibusque, ex tua sententia particularibus; quibus qui perturbatos & tentatos animos consolaturus sis, ipse videris. Quod enim & quale robur præstent,* ex quartæ conclusionis Examine palàm est factum.

5. *Quod autem* naufragos interdum eripi ex malo *scribis, nihil ad præsens facit negocium. Nam etsi naufragos, tam spirituales, qui fidei faciunt nau-*

*naufragium, quam marinos, qui perdunt & frangunt navem suam: quandoquidem servari finaliter non ægrè admittimus & gaudemus: tamen in ea, quæ vecti sunt, nave, quandiu naufragi sunt, non manent nec vehuntur: sed vel in aliâ nave vel adminiculis subnixi, liberantur. Sic qui navem fidei fregerunt, ex eâdem exciderunt, non amplius in nave sunt sed mortui sunt: ac si salvari debent, necesse est, ut rursus ex imis fluctibus eruti, & per verbum spiritus vivificati, fidei, ceu navi salutis certæ denuo inserantur & imponantur. Qui igitur naufragium fidei fecerunt: in nave fidei non amplius sunt, & vivunt sed exspirarunt. Atqui multi spirituale naufragium fidei fecerunt. Ergo in nave fidei non amplius sunt & vivunt, sed exspirarunt.*

*III.*

*Rom. 8. v. 30.* Quos verò prædestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos justificavit: quos autem justificavit, eos & glorificavit: *Hinc adversarius ita colligit.* Omnes justificati necessariò glorificantur. Omnes vocati, id est, vera fide donati, sunt justificati. Ergo omnes vocati, id est, vera fide donati necessariò glorificantur: & per consequens fidem deserere nequeunt.

*Resp. Scopus Paulinus est attendendus, qui conspicitur ex v. 17. ubi sanctos consolari incipit Apostolus, ne in variis tentationibus desperent, nec ca-*

lamitates & persecutiones iræ divinæ signa judicent: sed fortiter in Deo sperent & perseverent. Quod argumentis multis confirmat, quæ in solatium piorum adscribemus & enucleabimus.

*Primum* sumit à fine calamitatum, *qui est ut cum Christo glorificemur. Amplificatur argumentum comparatione Minorum. Nostræ calamitates omnes, quamtumvis graves & arduæ, gaudijs vitæ æternæ sunt minores. Ergo nos eas patienter ferre oportet.*

*II.* A συμπαθεία, & spe ipsius creaturæ. *Ipsa creatura patienter fert servitutem, atq; sanctorum Dei hominum revelationem indesinenter expectat. Ergo multò magis Christianos ferre decet.*

*III. Ab* υἱοθεσίας filiorum Dei proprio. Filij *Dei & sancti homines acceperunt spiritum adoptionis, qui eos indesinenter in adversis consolatur & fulcit: ut certa & immota spe revelationem sui exspectent. Ergo eã patienter exspectabunt.*

*IV.* A Spiritus Sancti auxilio & fidelitate. *Is enim sanctos non tantum justificat, renovat, illustrat: sed etiam in oratione nos docet; vacillantes sustentat, laborantes confortat, lapsos erigit: quid, quo ordine, quoq; modo rogare debeant, per verbũ & ductum suum instillat. Ergo ipsius auxilio fortiter nixi perseverabunt.*

V. A fine calamitatum *v. 28. sancti nôrunt omnes suas calamitates sibi in bonum cedere: Neq; enim Deus ad malum tentat. Porrò sanctos à certo salutis*

*salutis γνωρίσματα, causa & nota describit; quod nimirum illi intelligantur, qui secundum propositum vocati sunt. Quod quid sit, in sequentibus plenius apparebit.*

VI. A fine ordinis divini & exemplis sanctorum. *Calamitates omnes eò tendunt, ut ipsi tanquam membra suo capiti, Christo, conformentur, & in afflictionibus similes evadant. Ergo eas patienter tolerabunt. Indignum enim foret, membra latiori loco & vita statui velle, quam quo ipsum constitit caput.*

*Hactenus de communibus argumentis consolatorijs sanctorum egit Apostolus: sequuntur jam, quæ specialiter de certitudine salutis Electorum nos confirmant.*

I. Mutuatur à Decreto divino, quo nos certo ordine, secundum æternum propositum suum, Deus ab æterno elegit, & ad salutem sempiternam deducit. Quos Deus secundum æternũ suum propositum, prænovit ac prædefinivit, vocavit, justificavit, glorificavit: illi patienter secundum ordinem illum Dei ingredientur; & certò salvabuntur. Atqui omnes electos ab æterno, secundum suum propositum prænovit, prædestinavit; vocavit, justificavit, glorificavit. Ergo illi patienter, secundum ordinem illum Dei, ingredientur, & certò salvabuntur: Et per consequens non timebunt quenquam Electorum pe-

riturum. Rurſus: non timebunt quemvis eorum eſſe Deum præteriturum.

*Propoſitum quidem non eſt ipſa Electio: Sed Electio ſecundum propoſitum facta dicitur: quod Chriſtum cum omnibus ſuis beneficijs includit. Nimirum, quod Deus nos vocet per verbum in tẽpore, per verbum & ſacramenta juſtificet, fidem det & ſalvet. Atq; ut facit id in tempore, ſic ab æterno decrevit, decretumq; in tempore manifeſtavit, 2. Tim. 1. v. 9. 10. Eph. 1. v. 3. Col. 1. v. 12. Pulchrè* Ambroſius *ſuper hunc locum:* Hi autem ſecundum propoſitum, ait, vocantur, quo credentes præſcivit Deus futuros ſibi idoneos, ut antequam crederent ſcirentur.

*Jam ſingulas hujus aureæ catenæ anſas ſigillatim conſideremus.* Prima eſt, quos antea agnovit (*præcognitione fidei finalis 1. Pet. 1. v. 2.*) eos prædefinivit ſive prædeſtinavit. *Quæ prædeſtinatio quomodo deſcribenda ſit, ſuo loco indicatum fuit. Præcognovit autem non ob merita operum aut dignitatem perſonæ, ipſiusve fidei qualitatem: Verùm quatenus correlativè ſive* (*ut loquitur* B. Lutherus) in Prædicamento Relationis *conſideratur, Chriſtumq; amplexuram prævidit eam Deus. ſicut igitur Chriſtus eſt* (προέγνωσμένος) *præcognitus, teſte Petro, Epiſt. 1. v. 20.* ante jacta mundi fundamenta, ut eſſet mediator inter Deum & hominem, quo patri complaceret *Matth. 17. v. 6: ſic nos in fide*

*fide ipsius ad finem usq; vitæ duraturos, quatenus eâ Christum eramus apprehensuri*, prægnitos elegit. *Conf. 2. Thessi. 2. 13.* Augustinus *c. 4. lib. de* Perseverantia Sanctorum: An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse, quibus esset daturus, ut crederent, aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quenquam. Quæ utiq; si præscivit, profectò beneficia sua, quibus dignatur nos liberare, præscivit.

Secunda ansa est, quos præscivit (eosdem) & vocavit, *scilicet per verbum, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti; & sacramenta, quibus fides aut confertur aut saltem confirmatur. Etsi autem vocatio est universalis ex voluntate & consilio Dei, varijs temporibus longissimè disseminata; imprimis triplici vice per orbem terrarum universum, quem sol illuminat, Esa. 19. v. 7. propalata: ceu Adami, Noachi, Apostolorum temporibus Rom. 10. v. 18. Col. 1. v. 23. Marc. 16. v. 16: tamen Apostolus hîc de prædestinatis & prægnitis vocatis agit, docetq;, quis sit ordo Dei, quem in salvandis suis credentibus servat; nimirum, ut per verbum & sacramenta in Christum credant, & perseveranter credentes, intrent in gloriam.*

*Tertia*, quos vocavit (*per verbum & sacramenta*) eos (*fide, quam verbum operatur*) justificavit. *Quo docet easdem esse justificationis & glorificationis, sive salvationis causas: nempe gra-*

*tiam Dei, meritum Christi ac fidem: qua gratuitò datâ illud apprehendimus.*

Quarta, Quos justificavit (fide) eos & glorificavit. *Glorificatio enim est finis justificationis, vocationis & prædestinationis: quæ tametsi variè acceptetur in scriptura, hic tamen glorificationem finalem intelligi, res ipsa clamat, Confer Apoc. 2. v. 10. Matth. 24. v. 13.*

*Atq; ita cernimus singulas catenæ Apostolicæ anfus de Electis agere, nec latius extendi posse, collationis & gradationis ordo permittit. Cernimus item, omnia catenæ hujus membra in præterito perfecto collocari; non sanè frustra: Sed* partim *propter rei certitudinem & perfectionem,* partim *quoq;, quod non tantum prædestinatio & præcognitio sit ab æterno: Vocatio & justificatio fiat in tempore; verum etiam, quod glorificatio non duntaxat in altera vitâ perficiatur, sed in hac quoq; initium sortiatur.*

*Exhis inclarescit, quam sit* Crocianum *argumentum à quæstione alienum: quæ est de renatis, utrum illi gratia Dei excidant interdum, non de electis, quos allatum testimonium confortat. Rursus:* distribuenda conjungit, *concludens illos, qui semel electi sunt, fidem amittere non posse ultrò: quam tamen multos temporaliter amisisse, constat.*

*Opponit nobis adversarius Ambrosium super*

*h. l. ita commentantem. Quos præscivit Deus aptos sibi, hi credentes permanent: quia aliter fieri non potest, nisi quos præscivit Deus, ipsos & justificavit: ac per hoc & magnificavit illos, ut similes fiant filio Dei. Resp.* Ambrosius *hîc Electos prædestinatos intelligit; nimirum, quos juxta propositum vocatos supra asseruit. Eodem sensu* Augustinus *inquit*: Esse quandam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt: quos præscivit & prædestinavit conformes imagini filij Dei.

*Ubi obiter observamus, quosdam nostratium Theologorum istam vocationẽ appellare* internam, *qua quidam certò accepturi salutem, & ad finem perventuri sunt:* alteram *externam quâ multi quidem audiunt, doctrinam amplectuntur & salvificè credunt, sed rursus deficiunt & ad salutem non perveniunt.*

*Videamus jam argumentum* Paulinum: Quos Deus prænovit, vocavit, justificavit & glorificavit: eos prædefinivit. Atqui omnes amantes Christum, secundum propositum, in speciali significatione acceptum, quo juxta ordinem Dei ad vitam æternam τίθενται & ordinantur, Act. 13. v. 48. prænovit, justificavit, glorificavit; Ergo eos prædefinivit; *ideoq; salus eorum certa est, nec de salutis & Electionis mutatione unquam soliciti esse debent.*

*Rursus:*

*Rursus: Etsi Christianus in individuo non tam clare ex hoc loco, pro sua in fide perseverantiâ (quod solus Deus noverit, qui sint sui 2. Tim. 2. v. 19.) valeat concludere, potest tamen satis evidenter is, qui Christianus est & pie vivit; inq; varijs casibus, rebus adversis, & tribulationibus exercitatus perduravit, & labores capite Quinto & Octavo descriptos, exantlavit: de se, (servato ordine, secundum electionis & propositi divini descriptionem, & viam ac κεφαλαια) quod sit electus, in hunc modum concludere. Quos Deus per verbum & sacramenta vocat, justificat, glorificat: illos ab æterno prævidit & elegit. Atqui me verè, per verbum & sacramenta vocavit, justificavit, & (inchoativè) glorificavit. Ergo me prævidit & elegit. Minorem homo fidelis sibi, ab amore, quo Christum complectitur, & signaculo spiritus interno, quod ex verbo & sacramentis fluit, confortat, stabilit, confirmat. Atq; ejusmodi syllogismo practico sese homo fidelis & cor Domini vijs insistens fiduciamq; certam de illo nunq. deserendo fovet, vere consolari potest. Si verò dubitat, si peccatorum sequitur ductum: fluctuabit & non nisi inferni minas inde concipiet.*

*Ut autem ordo propositi hujus, & argumenti vis, melius percipiatur: placet in gratiam* Crocij *verba clarissimi quondam Tilemanni* Heshusij, *(quem nobis sæpe objectat) ex Epistola ad Rom.*

*super*

*super hunc locum adscribere, quibus pulchrè omnia complectitur. Primum, inquit, ex immensa misericordia, juxta suum propositum elegit homines in Christo: quos vita æterna donare constituit.* Atq; hos electos præfinivit conformes fore imagini filij Dei, ut ipse sit primogenitus inter multos fratres. Secundo electos & prædestinatos, ut sint conformes Christo, vocat per ministerium verbi & efficacem operationem spiritus. Tertiò vocatos justificat & absolvit à peccato. Quarto, justificatos glorificat, & ad æternam beatitudinem transfert. Calamitates ergo & ærumnæ, quæ nobis sunt cum Christo communes, nullo modo impedire queunt nostram salutem: sed potius argumentum sunt, nos esse in gratia apud Deum, esse justos, & in altera vita immensi gloria cum Christo fruituros esse. *Hactenus Hesshusius.*

*Cum igitur fideles, secundum propositum Dei vocati sint: & ærumnæ Dei providentia prædefinita, nec innumeræ, sed certæ sint: monet Apostolus, ne metuamus defectionem à fide, propter ærumnas; siquidem æternum Dei consilium, quo nos in Christo elegit & prænovit, immotum est. Nec ærumnæ, quæ certo consilio in Ecclesiæ commodum prædefinivit, propositum ejus, salvandi scilicet credentes, mutare vel impedire queunt. Hinc pijs consolatio parata*

est

*est maxima juxtaq; efficacissima. Nulla namq; creatura invertere nostram salutem potest.*

*Negq; tamen hæc ita absolutè urgenda sunt, ut in securitatem prolabamur; nec superbiendum est nobis in nobis, nisi interire & labi velimus: siquidem vel Paulus electus de se testatur, quod reprobus fieri possit viam rectam deserendo. ut autem non fiat suum castiget corpus.*

*Hactenus de primo argumento Electorum, quod in ordine septimum obtinet locum: sequitur* VIII. A protectione divina inviolata. *Deus omnipotens præ nobis est. Ergo nemo contra nos prævalebit, Matth. 16. v. 18. Rom. 8. v. 31. Amplificat Apostolus argumentum collatione majorum.* Si Deus proprio suo filio, uniceque dilecto non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit: sanè cum eodem omnia, hoc est, se ipsum, nos amantem, gloriam cælestem & vitam æternam donabit. Atqui prius est. Ergo & posterius. *Illustrat & dulcorat insuper inductione tutelæ, defensionis & auxilij divini adversus omnes hostes, idq; ut omnes tentatorum Electorum objectiones diluat & exstinguat.*

Inquiat *enim aliquis*; Diabolus teaccusat, & lex crimina intentat. Ergo non poteris salvari. *Respondet Apostolus N.C. quoniam tota Trinitas nos justificat. Pater enim filiū proposuit ἱλαστήριον & propitiatorium in ipsius sanguine, quo nos redemit; Spiritus*

*Spiritus Sanctus salutem nobis applicat, intercedit pro nobis, & subvenit nobis.*

Dicat, *lex* & peccata condemnant te, infinita pericula te quotidiè cingunt. Ergo incertus eris, vel etiam desperare possis de tua salute. *Respondet Apostolus iterum negando antecedens, ut neget consequens. Quamvis enim lex & peccata damnassent, tamen illos, qui sunt in Christo Jesu damnare nequeunt. Rom. 8. v. 1. Quare? Christus merito suo infinito, & plusquam æquivalente λύτρῳ pro nobis satisfecit, legem implendo, & pro peccatis nostris moriendo: utq; nos justificaret, consolaretur, justitiamq; suam acquisitam nobis applicaret, resurrexit: utq; esset salus ista non temporanea, sed aterna, nec ullus contra nos hostis posset insurgere; ac denicq; pater in æternum nos diligeret, placatus merito filij, pro nobis in dextera Dei omnipotenti & majestatis intercedit, nosq; defendit & portat.*

*IV.*

*Rom. 8. v. 35 37. 38. 39.* Quis separabit nos à charitate Christi? Nũ angustia? Num afflictio? Nũ persecutio? Num fames? Num nuditas? Num periculum? Num gladius? Verum in his omnibus superamus per eum, qui dilexit nos. v. 38. Nam mihi persuasum habeo, quod neque mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neque instantia, neque futura v. 39. neque altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura

tura alia poterit nos ſeparare â dilectione Dei quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

*Argumentum ergo III.* pro perſeverantia Electorum, *quod eſt in ordine IX. petit Apoſtolus* â conſtanti charitate divina, in nos promanante & radiante, cujus fundamentum eſt Chriſtus. Nemo, ſive ſit angelus ſive alia creatura: ſive afflictiones ac perſecutiones, ſive ulla pericula: ſive vita, & quæ in vita ſunt; ſive mors & ſtatus mortuorum: ſive altitudo & omnia quæ ſunt elata in cœlo: ſive profunditas, & quæ infernus aut terra in nos concitare poſſet: à Charitate Dei, quâ nos in Chriſto & per Chriſtum Dominum noſtrum, Regem & ſalvatorem, complectitur, ſeparare poteſt. Ergo non timebimus electionis mutationem, aut interitum noſtrum. Antecedens *munit & amplificat* Apoſtolus. *Munit*, à glorificatione Chriſti, per quem confortamur, & cujus vi & defenſione ſuperamus, non noſtris viribus: ſic enim periremus. *Amplificat* vero στωαθροισμῷ afflictionum & creaturarum, jam nominatarum omnium, quæ Chriſtiano incommodare & curſum ejus impedire poſſent.

*Ex quibus fluit reſponſio ad objectionem* Crocianam. *Nam in iſto loco de prædeſtinatis & electis ſanctis diſſeritur, qui certò ad finem uſq; perſeverant & credunt: & nihilominus ad tempus, non qui-*

*quidem Electione, quæ certa ex præcognitione divina & immota est: Sed tamen ex fide sua omni excidere & deturbari possunt.*

*Excipit* adversarius *ultimò locum*, quam maximè ad rem facere. Nam inquit, si nihil potest efficere, ut quos Deus in Christo diligere cepit, amare desinat, utique nemo gratia ejus excidit. Resp. est fall. ignorationis Elenchi. *Longè enim aliud est quærere de prædestinatis vocatis & justificatis: Sive de illis, qui secundum propositum, quod certò secuturi prævisi sunt, vocantur: aliud de illis, qui in genere in Christo diliguntur, vocantur, & ad tempus credunt. Omnes enim credentes in Christum diliguntur in Christo, certè eo tempore, quo credunt.* Illi *salvantur*, hi *ut* ἀποστατῆσαι, *damnantur.*

V.

Dona illa & vocatio illa Dei ejusmodi sunt, ut eorum ipsum pœnitere non possit. *Syllogismus Crocianus hic est:* Quicunque sequuti sunt vocationem ἀμεταμέλητον, id est, cujus non pœnitet Deum; ij nō possunt omnū fidei armaturam abijcere. *Resp. 1.* Haymo, *citante* Pareo, in comment. *sup. h. l. intelligit verba de electis, in quibus dona & vocatio suum finem obtinent. In præcedentibus enim de Electis egerat Apostolus. 2. simplex autem verborum sententia est: quæ Deus semel liberali manu dedit, ea nunquam repetit: &*

*vocatio ipsius constans est & immutabilis. Cum igitur Deus semel vocaverit populum judaicum, ex eoq; collegerit Ecclesiam, promiseritq; semper se eum sua gratia amplecturum; certum est ipsum consilium non esse mutaturum; ideoq; nec in ira penitus abjecturum gentem universam, ut nemo amplius ex ea salvari queat. Inde nõ stabilitur absoluta & fatalis ex gratia Dei excidendi negatio; cum in hoc ipso capite 11. de Romanis scribatur, quod rursus excidere possint v. 22. 23. Itaq; Deum suorum donorum non pœnitebit, sive omnes acceptent ea & credant, sive multi spernant & abijciant.*

*Neq; enim propterea, si homines excidunt, vocatio & dona Dei reliqua divina mutabuntur, eorumvè pœnitebit Deum; cum certum sit, hominum incredulitatem Dei fidem neutiquam infirmare posse Rom. 3. v. 3. 2. Tim. 2. v. 13. Frustra proinde Pareus in comment. cap. 11. ad Rom. Dub. XIX. Col. 1170. nobis argumenta de immutabilitate voluntatis divinæ (quam nos constantius quam ipsimet adversarij, defendimus) opponit. Quare ipsi propria sua verba reponimus Col. 1171. dicenti:* Cum Deus ingratos publicè vel privatim punit privatione verbi sui, cæcitate & abjectione, quod fecit Judæis & plurimis Ecclesijs in oriente & austro: id non fecit aliqua ductus pœnitudine DONORUM, quæ prius dederat, aut mutatione consilij & voluntatis: Sed juxta

æter-

æternum & immutabile consilium suum, quo præcognitum, definitum atque statutum habet, quo ubiq; privatos vel totos cœtus infidelitate, securitate aut petulantia ultronea abijcientes dona & vocationem divinam ijsdem justo judicio privare: quod dum facit neq; injustus est, neq; inconstans.

Hæc Pareus, qui cum Dubio XX. *Col. 1172. dixisset, Judæorum gentem certò diligi propter patres, hoc est, propter fœderis gratiam, apud patres olim depositam, eoq; aliquando convertendam esse: quia dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα. malè subijcit, ajens: At nihil conficeret (Apostolus)* si non intelligeret esse immutabilia sicut quibus semel conferantur, ijs nunq; auferantur, sed Dei virtute, quia divina sunt, conserventur. *Inde infert; si* Apostolus degente judaica non credente tam firmiter concludat: quanto firmius singuli, qui in Christum credunt, concludent, dona & vocationem divinam, sibi divinitus datam, apud Deum fore ἀμεταμέλητον, ut nunquam ijs excidant.

*Resp. enim, quod probet Apostolus semper nonnullos ex gente Judaica convertendos; Vel saltem ante finem mundi incredibilem Judæorum conversionem futuram.* Illud, *quod nimirum Deus patribus, se semper Ecclesiam ex eorum gente & poste-*

*ritate collecturum, promisit, & Electos in ea prævidit: ideoq; istum populum multis beneficijs & ornamentis cum ipso Christo ex illo nato, honoravit. Confer Rom. 3. v. 2. c. 9. v. 4. Gen. 17. v. 7. Exod. 6. v. 7. c. 11. v. 15. 17. 18.*

Hoc, *videlicet de* multitudine Judæorum insigni, ultimis temporibus convertenda, probabiliter *ex cap. 11. v. 23. & seqq. ad Romanos colligitur.* Si illi *(Judæi)* non permanserint in incredulitate, inserentur. Potest enim Deus denuò inserere illos. Quam possibilitatem inserendi dissimilium comparatione, qua Judæi oleæ, gentes oleastro conferuntur, probat & illustrat. Neq; tamen esse nudam posibilitatem evincit versus 24. 25. Si tu ex naturali exectus es oleastro, & præter naturam insertus es in veram oleam, quanto magis hi, qui naturales sunt, inserentur propriæ oleæ? v. 25. Non enim volo vos ignorare, fratres, mysterium hoc *(ne sitis apud vos elati animo)* quod excæcatio ex parte Israëli accidit, donec plenitudo gentium advenerit. *Hic* primo *notamus in versu .25.* partiaulam ☞: *quæ ostendit versu 24. non nudam describi potentiam inserendi Judæos: Sed ejusmodi, quæ aliquando implenda veniat.*

II. Si Judæis tantisper excæcatio evenit, usque dum plenitudo gentium adveniret, ut tandem inserantur & ipsi: certò illa insitio aliquando

quando futura est. At prius est v. 25. 26: cæcitas *inquit Apostolus*, ex parte Israeli accidit, donec plenitudo gentium advenerit, & sic totus Israel salvabitur. *Cui accedit, quod istam conversionem* mysterium *appellet, ad quam usq; oberrabunt excæcati.*

II. Probat â vaticinio Esaiæ c. 59. v. 20. c. 27. v. 9. veniet ex Sion liberator, & avertet iniquitates â Jacob: & hoc â me illi testimonium, cum abstulero peccata illorum. Per Sionem *intelligit Judæos, qui tempore V. T. in Sione ad cultum conveniebant.* Per Jacobum, *posteritatem ex Jacobo eriundam. Loqui enim ipsum de Israële secundum carnem, arguere oppositio videtur v. 25. 26: ubi Judæos à gentibus voce Israëlis distinguit: quæ oppositio v. 27. 28. 29. continuatur.*

*Excipiat quis*, annon ista loca etiam de universa N. T. Ecclesia sint accipienda. *Resp. omninò. Nam Israel est olea vera & naturalis, cui nos per fidem inserimur, est semen Abrahæ, in quo benedicimur: idq; 1. principaliter in capite, Christo, 2. in promissis membrorum ejus & bonis, Matth. 15. v. 27. Rom. 11. v. 24. 25. & Act. 13. v. 46.*

IV. A similitudine *v.* 30. 31. Quemadmodum enim & vos *(gentes)* quondam non credidistis Deo, nunc autem misericordiam estis consecuti ijs non credentibus: Sic & isti *(Judæi)* nunc non crediderunt, in vos (abundante) misericordia,

ricordia, ut & ipsi *misericordiam consequantur. Hic benè notandæ sunt 1. particulæ*, quondam, nunc, ut, etiam: *& vis redditionis in hac comparatione. Arguit enim quemadmodum* QUONDAM *gentes non credentes*, NUNC *credunt: Sic Judæi* NUNC *non credunt, credentibus gentilibus, ut* etiam *ipsi misericordiam consequantur. Cum verò semper tàm Apostolorum temporibus, quam postea, aliquot Judæi sint conversi & salvati Rom. 11. v. 5. & tamen non credere dicantur, necessario aliqua illorum magna conversio sperandæ erit: quâ nondum visa & audita, utique futura erit.*

V. A prædictione *Oseæ 3. v. 4. 5.* Dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod & sine Theraphin. Et post hæc revertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum & David, Regem suum: & pavebunt ad Dominum & ad bonum ejus in novissimo dierum. *Licet phrasis (in novissimo dierum) de toto tempore accipi soleat, à quo Christus exhibitus fuit: Apostolorum tamen temporibus tanta conversio facta non legitur, quanta hic prædicitur. Neq; etiam Petrus in Epistola 1. c. 1. v. 1. omnium locorum, in quæ Judæi dispersi erant, meminit, sed quorumdam duntaxat. Multo minus omnes aut multi, sed pau-*

ci

*citantium, teste Paulo Rom. 11. v. 5. 22. & seqq. fidem reportarunt. Alia loca brevitatis studio prætereo*

*Cum verò contra istam conversionem odium Judæorum immane & insanabile posset objici, Apostolus, præter allata argumenta, eam probat a promissionibus, patribus factis: & denique inde, quod Deum suorum donorum non pœniteat. Ex illa igitur promissione inferre, nequis,* Croci, *credentes & Electos fidem excutere & elabi non posse.* Aliud *nanq; est probare, semper aliquot homines ex posteritate patriarcharum, propter promissiones amplissimas, ad fidem convertendos:* aliud *item, sanctos ex illis credentes fidem mutare & deserere non posse.* Illud *non hoc, docet Apostolus.*

*Unde nec consectarium* Parei *sequitur:* Si tota gens non excidat, etiam singulos credentes certo de se concludere posse, sibi fidem & gratiam, *deserentibus verbum nunquam ablatum iri. Nam 1. longè differunt promissiones de gente tota vel Ecclesia in genere considerata: &, si secundum individua spectentur. Quod* Pareus *non attendens* turpem imparium fall. *committit. 2. Deus à credentibus, in peccata horrenda ruentibus, sua dona, amore & misericordia immutabili concessa, non aufert rursus: Sed homo peccans abijcit illa, contemnit, & cœlestibus terrena præfert.*

*Frustrà instat* Pareus *ibidem:* Si de gratia

Dei communi & quidem aliena, rectè pronunciat Apostolus, esse ἀμεταμέλητον, quantò magis de gratia propria idem fideles statuent. Fideles enim Electi sunt, & Electionis minimè dubium in se habent documentum: quandoquidem fides vera dicitur Electorum, quia Electionis est certum effectum & argumentum. Quod confirmare ex 1. Thes. 1. v. 4. instituit. *Resp. 1. Disparitatem fidei credentium, in specie consideratorum, & totius Ecclesiæ ac gentium, sufficienter demonstravimus. 2. Fides quidem homini credenti dicitur nota Electionis; non tamen quoquo modo se habens, sed quomodo Apostolus eam depingit 1. Thess. 1. v. 4. 5. 6: nimirum* si vestiatur indesinenter bonis operibus & labore charitatis & spe tolerantiæ Domini nostri Jesu Christi. *Fuit enim Thessalonicensium fides, cum donis Spiritus Sancti, & πληροφορίᾳ, multaq; certitudine & usu conjuncta* vers. 5: qua imitatores erant Christi, recipientes sermonem cum gaudio Spiritus Sancti, ut alijs exemplo essent. v. 6. 7. & avidè Christi adventum exspectabant v. 10. Summa: Loquitur Apostolus de fide illorum, qui ordini, cui Electi insistere in salute sibi applicanda debent, insistunt.

*Regerit distinguendo* inter vocationem externam & internam. *Largitur* Apostatas quidem omnes ex vocatione externa excidere, sed ex interna

interna neminem. De illa dicatur, multi sunt vocati, pauci electi. Hæc sit ἀμεταμέλητος Deo, quoniam ex prædestinatione fluat Rom. 8. v. 29. *Resp. 1. Nos supra demonstravimus omnem vocationem divinam esse efficacem ex consilio & voluntate Dei, fiatq; inefficax vitio hominum, verbum abijcientium. 2. vocatio externa Calvinistica (qua Deus sè serio simulet velle reproborum salutem, quibus tamen dona divina nolit dare, sed ab æterno reprobârit) est illusio & cibus Tantalo appositus, qui à capturi ore refugit, nec illi dari debet: Aut promissio Simeonis & Levi Sichemo data Gen. 34. v. 16. eum occidere cupientium. Interna illa fatalis in bonum conversio & raptus: quo potentissimè impius in pium transmutatur, est absoluti decreti primogenita filia, omnes incredulos abarcentis. Adeoq; isthæc distinctio ex Deo misericordi immisericordem, ex bono impium, ex justo tyrannum, ex sincera veritate hypocrisin facit. 3. Licet detur vocatio, in qua stant alij ad finem, & prædestinati sunt, alij excidunt vocatione & fide, & ruunt in interitum: tamen non est hæc ab illa planè diversa vocatio: Sed una & eadem, ratione rei, objecti, finis, formæ, efficientis & c: tantùm ratione subjectarum personarum, varians.*

VI.

1. Cor. 1. v. 8. 9. Qui etiam confirmabit nos usque in finem inculpatos in diem Domini no-

stri Jesu Christi. Fidelis est Deus, per quem vocati estis in communionem filij ipsius Jesu Christi Domini nostri. Pag. 125. inquit Crocius: Etiam inde aliqua impossibilitas defectionis concluditur. Qui conservantur usque ad finem inculpati in diem Domini nostri Jesu Christi: ij non possunt prorsus deficere. Atqui fideles confirmantur in diem &c: Ergo prorsus deficere non possunt. Majorem stabilit: Si qui confirmante nos Domino, usque ad finem deficere possunt, aut infirmantur â potentiore, quam Deus est, qui nullus est. Non ab æquè potenti. Neque enim is etiam est. Non ab impotentiore. Absurdum enim est omnipotentem pati ac superari ab impotentiore. Non igitur infirmantur fideles. Non igitur deficere possunt.

*Resp. 1. N. propositionem, si omnem non modò actum, verùm etiam potentiam (quod ipsum velle certum est, cum supra pag. 32. dicta de perseverantia cum aliqua necessitate accipienda monuerit) excidendi tollat. Nam etsi quidem multi actu non excidunt, possunt tamen; cum Deus non absoluta, sed ordinata potestate, per verbum suos trahat ac moveat fideles.*

*Neg. 2.* confirmatio Majorem *stabilire, eivè robur addere novit, ut quæ planè puerilis est. Nam 1. quanquã nemo Deo major aut par, nos â Deo confirmante per media divinitus posita, potest abducere:*

*cere: Tamen caro allectans & ipse homo, sese à Deo avertens, & confirmationem divinam negligens; non rarò ab ipso abducitur.* Deinde, *si perrexerit* Crocius *urgere suum disjunctum: sic & ego inferam.* Si quis Christo volenti colligere Hierosolymitanos, resistat, & nolit sequi: Item, si quis Spiritui Sancto vocanti nos, resistere velit, ipso aut major erit, aut æquè potens: aut minor ipso. Non priora duo. *Nulli enim sunt. Habent quippe pater & filius eandem potestatem, ex quorum omnipotente manu nemo nos eripere quibit Joh. 10. v. 29.* Non minor. *Quia absurdum foret, hominem resistere Christo; nolit colligi, & velit resistere. Utrunq; tamen spiritus de infidelibus & desertoribus verbi testatur. Repete hûc, si placet, superiora. Ergo aut* Crocius *fallet aut scriptura.* Non hæc. Ergo *ille.*

*Tertiò,* Nec Minor, *universaliter accepta, consistit. Non enim omnes credentes usq; ad diem Jesu Christi confirmantur (quorum multi deficiunt) sua culpa, confirmationem divinam respuentes: Verum illi, qui patienter & constanter perseverant. Apostolus enim contra tristia exempla sanctorum, qui lapsi fuerant, consolatur Corinthios; illorum perseverantiam non niti propria dignitate & virtute, sed Dei, gratia sua nos confirmantis & ad finem usq; sustentantis. Porrò: sanctos à certis notis describit, quibus non labefactantur, sed piè confirmantur.* salvandos enim illos esse ait, qui expectant re-

vela-

velationem Domini nostri Jesu Christi. Contra: *alij omnes, qui ductum carnis sequuntur: Studium precum & pietatis reliquaq; fidei exercitia deserunt; næ fide elabuntur & iram mortis æternæ in sese derivant. Quare Apostolus hic, quid Deus facturus sit, quæq; ejus officia sint, ostendit: quid autem homines faciant, & quomodo multi gratiâ abutantur, omittit.*

*VII.*

*Eph. 1. v. 13. 14.* In quo, postquam credidistis, obsignati estis spiritu illo promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ, dum in libertatem vindicemur, ad laudem gloriæ ipsius. *Resp. 1. Spiritus Sanctus spiritus promissionis dicitur, quia Evangelio additur, & ob promissionem nobis donatur. Eam in credentibus, tanquam proprium eorum pignus obsignat, cordibus penitus infigit ac fortiter confirmat: sicuti sigilla, ipsas literas & homines, quibus exhibentur, certos reddunt. Metaphora enim sumta videtur, ab inscriptione Evangelij in cordibus credentium, Es. 8. v. 16. Liga testimonium; signa legem in discipulis meis. vide 2. Cor. 3. v. 2. & seqq. Est igitur salus ex parte Dei firma & immota, qui gratiam suam non aufert à nobis: Sed in nobis credentibus conservat, ut hæreditatem accipiamus. Quæ est maxima piorum consolatio. 2. Non autem negat, sed alibi fortiter docet Apostolus, quod homines quandoq;*

*à Deo deficiant; aut resistant; rumpant fœdus; discerpant sigillum, & hostes Dei fiant, Eph. 4. v 30.* Ne contristetis Spiritum Sanctum, per quem obsignati estis in diem Domini nostri Jesu Christi. *Ergo in obsignatos cadit etiam amarulentia, excandescentia, maledicentia* (βλασφημία) *aliaq; peccata horrenda, quæ Apostolus ibidem prohibet.*

*Reclamat* Crocius p. 126. Spiritum Sanctum posse contristari, sed non excuti & exstingui. Porrò: ex tristitia Spiritus Sancti non illico sequatur perpetuum divortium. *Resp. 1. quæstio est, utrum Spiritus Sancti gratiosa inhabitatio & fides planè tolli possit: quod defendimus.* Crocius *ex tristitia Spiritus Sancti non sequi* perpetuum *divortium, regerit. Agnoscimus ergo grato animo, ipsum divortium quoddam videre & concedere. Licet autem tristatio illa in multis non sit perpetua, eoq; nec perpetuum sequatur divortium, tamen non rarò fit perpetuum. 2. opera carnis, quæ hîc nobis vitanda proponuntur, (quibus contristatio spiritus accensetur) fidem in renatis manere non sinunt: nisi quis opera non renatorum pessima cum fide consistere autumabit. Pulchrè* Ambrosius *super h. l. scribit:* Redempti autem hæredes Dei designati sunt, si in regeneratione perdurent, ut fides prima veniam, sancta verò conversatio perdurans cum fide coronam mereatur.

Quæ

Quæ deinceps de Bellarminiana *dubitatione profert, nos non feriunt, qui ex hoc loco, & hac ipſa ſpiritus obſignatione in hæreditatem, argumentum firmiſſimum contra Dubitationis figmentum, haurimus. Quin* & Auguſtini verba l. 13. de Trinit. c. 1. probamus: Fidem ipſam videt quisque eſſe in corde ſuo, ſi credit, vel non eſſe ſi non credit. Et Serm. 6. de Verbis Apoſtoli. Si quis ſpiritum Chriſti non habet, non eſt ejus. Ecce adjuvante ipſius miſericordia ſpiritum Chriſti habemus, ex ipſa delectatione juſtitiæ, integra fide, Catholica fide cognoſcimus.

*Inſtat poſtea* Crocius *p. 127. ad noſtram reſponſionem, (quod, qui pignus habent hæreditatis, ſine dubio conſequantur ipſam hæreditatem; modo pignus diligenter conſervent: quo amiſſo nihil profuturum ſit, aliquando habuiſſe: inſtat, ajo, hoc ipſum quæri; eo ipſo principij eſſe petitionem. Tandem excipit, Apoſtolum non ſcribere, aliquem qui pignus habuerit, illud perdidiſſe. Reſp. 1. Qui monetur, ne opera, fidem excutientia, carnalia, & ſpiritum pignoris gratiæ & gloriæ contriſtantia committat: is certè ea committere poteſt. Aliàs adhortatio & metus eſſet ex pelvi & ſine careret. Atq; Epheſij converſi id monentur. Ergo. 2. Actu pignus amitti, & non ſervari, perſpicuè confirmat hujus loci cum Heb. 6. verſ. 5. c. 10. verſ. 26. 1. Corinth. 6. 9. 10. collatio.*

*Epheſ.*

## VIII.

*Ephes. 4. v. 30.* Ne tristitia afficiatis spiritum illum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis. *Resp. ex descriptione subjectorum & objectorum, quæ isthanc contristationem committunt, apparet, Apostolum loqui de peccatis, quæ cum fide non habitant, sed carnis & veteris hominis sunt opera; ut vers. 24. & seqq: ubi hortatur renatos, inquiens:* Quapropter deponite mendacium, loquamini veritatem quisque proximo suo. *Huc pertinent iracundia, furta v. 25. 26. contristatio spiritus v. 30. amarulentia, excandescentia, ira & malitia omnis v. 31. Ejusdem sententiæ fuit Ambrosius super h. l. scribens:* Ut novi hominis conversatio maneat, hortatur, ne rursum ad præterita vitia & peccata redeatur: & nihil proderit novum dici, quando vetus homo malis operibus approbatur. *Et rursus:* Quid prodest (servo Domini mundam vitam habere & os sordidum, cum dicat Dominus, quod unus quisque verbis suis aut justificabitur aut condemnabitur. *Iterum: Cum* eum (*Spiritum Sanctum*) contristatum dicit nostri causa, hoc significat, quia deserit nos eo, quod læserimus eũ, cõtemnendo monita ejus. contristatio itaque ejus indignitas nostra est, quæ filios Dei nos prohibet appellari. Ipse enim est Spiritus Sanctus, qui sanctificat filios Dei, mãnens in nobis. *Hactenus*

Am-

Ambrosius. *Accedit, paria omnino esse: spiritus contristatur peccatis credentium: & Spiritus Sanctus fugatur. Nam contristatio est causa fugæ. Posita a. & concessa causa cur effectum negas? Tandem contristare Spiritum Sanctum, scriptura alibi explicat* per deficere à Deo, *Heb. 12. v. 15. Esse autem locum parallelum ostendunt, quæ utrinq; numerantur, vitia. Item* aversari *Hebr. 10. vers. 28.* exacerbare *Hebr 3. vers 8. 9. Quæ exacerbatio per afflictionem describitur Esa. 63. vers. 10.* Ipsi ad iracundiam provocarunt & afflixerunt, מרו ועצבו את־רוח קדשו ויהפך *exacerbarunt* & dolore affecerunt Spiritum Sanctum ejus: *(mutatus)* conversus est eis in inimicum & ipse debellavit eos.

*Malè proinde excipis*, Croci, p. 128. fideles quidem nonnunquam peccare contra conscientiam, & sic Spiritum S. contristare; quod deploret Apostolus Rom. 7. 27, inquiens: Miser ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis? Sed tamen obsignati sint in diem redemptionis, nec ante per defectionem resignari legantur. Hoc, inquam male: at pejus Davidis & Petri exemplis illustras. *Nam si David fuit Spiritu Sancto obsignatus, homicidio & adulterio commisso, & occultante illud: fuitne ad vitam vel mortē obsignatus? Certè tunc tēporis fuit vir mortis &*, (Bezâ ac Britannis Calvinistis testibus) *si mortuus fuisset,*

esset, damnandus: nec vitam æternam in se habuit manentem. Verbum igitur Dei tunc Davidem non ad vitam obsignabat, sed potius ad mortem æternam obstringebat. 2. Æquè malè regnantia peccata capite 6. Rom. descripta, & concupiscentijs dominantia Gen. 4. v. 7. cum peccatis, & quotidianis sanctorum infirmitatibus, commisces; cum hæc peccata â persona renata, illa ab hoste Dei & non-renato perpetrentur.

IX

1. Thes. 5. v. 23. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos, & integer vester spiritus & anima & corpus inculpatè in adventum Domini nostri Jesu Christi serventur. Fidelis est, qui vocavit vos, qui etiam efficiet. *Resp. 1. Frustrà.* Nam Deus, qui vocavit nos, etsi ipse facit, non tamen absolutè & immediatè, sed mediatè, per verbum ordinemq; certum facit: quem qui spernit, non habebit Deum, qui in eo salutem perficiat: spernunt à. multi. Hujus interpretationis veritatem alia axiomata & monita, quæ hunc locum antecedunt, confirmant. Nam etsi Deus perficit salutem, poterunt renati illi nihilominus malum pro bono reddere v. 15. spiritum exstinguere; prophetias annihilare v. 19. 20. Quare sicut homo sibi vim inferre potest, licet ipsi Deus subsidia contra mala, & sustentationem vitæ sufficientem sponderit; idq; mediatè, non absolutè & vi quadam: Sic etiam vi-

*tam spiritualem Deus in nobis servabit, verùm nec absolutè, nec per vim & necessitatem fatalem, sed media divinitus ordinata: quæ renatus vel abijcere, vel recipere potest. 2. Animadvertendum est, ab Apostolo nobis votum describi, non rem absolutè necessariam.*

*Quid ad hæc* Crocius? *Geminam excogitat instantiam.* Prima est, hoc votum, annexam habere promissionem, fide Dei confirmatam. *Resp. Habet quidem, sed non immutabilis necessitatis; Verùm quæ certis conditionibus & ordine determinatur, quem homo sæpè violat.*

Altera; Amat Deus fidelis hominem fidelem; ita tamen, ut ei fidem & largiatur & tueatur. *Quo fidem largiente & tuente, quis eam potest frangere & fallere? Resp. Hæc sapiunt* Fatum Calvinisticum *plusquam Stoicum. Nullus enim fuit aut est sanctorum, cui Deus fidem ita absolutè defenderit, ut non quiverit eam aut frangere aut fallere. Et sanè ut verbo dicam: annon sibi è regione adversantur: Servare fidem, & naufragium fidei facere? Stare & sese à Deo avertere? Deum per raptum & vim divinam in illis fidem cohibere, & adhortari hominem, ne peccet? Deficere à fide 1. Tim. 4. 1. à Deo vivente Heb. 3. v. 25. à gratia excidere: & retinere ac servare eam?*

X.

*1. Pet. 1. v. 3. 4. 5. 23.* Benedictus esto Deus &

& pater Domini nostri Jesu Christi, qui multa sua misericordia regenuit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis: id est, ad hæreditatem, quæ nec corrumpi potest, nec contaminari, nec marcescere, Vobis in cœlo servatam. Qui virtutis Dei præsidio custodimini per fidem, ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo. Ex mundo corde alij alios diligere intensè: Progeniti non ex semine corruptibili, id est, per verbum Dei vivi & permanentis in æternum. Pag. 130. Crocius sic infert. Qui virtutis Dei præsidio custodiuntur per fidem ad salutem: ij credentes prorsus à fide deficere nequeunt. Atqui renati ita custodiuntur. Ergo.

Resp. Ad propositionem *limitando eam*. Qui absoluta Dei voluntate & potestate conservantur: vel etiam tali, qua homines non possunt concuti & commoveri: illi non possunt à fide deficere. *Iam si subsumas*, Minor *apertâ nutabit falsitate. Stant enim fideles potentiâ, quæ nec absoluta ex parte Dei est, nec inviolabilis, nec immutabilis hominibus. 2. Etsi quidem Dei verbum ex sese incorruptibile est, non tamen omne id, quod ex verbo nascitur, incorruptibilitate gaudet; idq; culpâ hominum; quâ id, quod suâ naturâ incorruptibilem produceret effectum & hominem, per accidens producit corruptibilem. 3. Sed nec ullibi*

*nec ullibi promisit & constituit Deus, ut purum & immaculatum effectum, dum quidem in hac vitâ & terra est, divinum proferret semẽ: Sed corruptibilem, fragilem, facileq; mutabilem. 4. unde multò minus verum est; qui per spem vitam ad hæreditatem regenerantur, non posse rursus deficere à fide. Nã præterquã quod τὸ ἐν ἀρχῇ χαμβάνει Crocius: quot exempla lapsorum, qui verè regenerati fuerunt, proferuntur? spectantur?*

*Regerit* Crocius p. 130. si fieri potest, ut fidelis Dei præsidium deserat, potest homo efficere, ut Deus non servet, quod promisit. *Resp. N. C. Qualis enim est promissio divina, talis quoq; sit promissionis impletio necesse est. Cum a. promissio non sit absoluta, nec promissionis impletio absolutè necessaria & fatalis erit. Atq; id Crocius ignorare nõ debet. Nam quot promissiones sanctis à Deo datæ leguntur, quæ nunquam in effectum sunt deductæ? Deus (E.g.) populo Israëlis liberato in terram promissam translationem pollicetur Exod. 3. 4. 6. & sequentibus capitibus: quæ nunquam, propter ipsius incredulitatem in exitum perducta fuit. Num. 13. v. 32. cap. 14. v. 22. 23. Heb. 3. v. 16. Promiserat Deus populo omnium gentium Cananæarum delectionem, terræ illarum possessionem; quarum nihilominus multæ, ob ejus inobedientiam intactæ relictæ sunt Jud. 2. Alia exempla jam mitto. 2.* Neque tamen propterea in arundine proprij arbitrij

bitrij recumbemus, manu Dei desertâ, si affirmabimus, sanctos jugum Spiritus Sancti abijcere ac fidem deserere posse. *Absit enim, ut quis cum* Crocio *ceu Pelagianum condemnet, quod est Christianum & à Spiritu S. in codice sacro revelatum! Tu autem videris, ne* Manichæismum *incurras, quo suos perfectos ita conditos ajebant, quales tu sanctos fingis reconditos; ut non possint excidere à gratia & horrenda peccata perpetrare. Itaq; concludimus adhortatione Paulina Hebr. 3. vers. 14* Participes namq; facti sumus Christi, si sanè initium substantiæ usque ad finem firmam tenueri*mus. Hi judæi fidem consecuti erant salvificam, & talem, per quam in requiem introire poterant. Vide & capitis 4. v. 3. c. 6. v. 6. Et, nihilominus excidere, & substantiam fidei suæ ad finem non servare quiverunt.*

*Conatur verò* Crocius suam *opinionem tueri, dicens:* Si Deus pro me, quid faciet mihi homo? Quid Satan? peccatum quid? Imo quid faciam mihi ipse ego. *Resp. Verumenimverò plus existis verbis adversarius elicet, quam largiri queunt. Nam licet de Electis & certo præcognitis, quod finaliter perseveraturi sint, Apostolo sit sermo; non tamen ita Deus illos conservat, ut à temporali fidei privatione, carnis operibus irretiti, immunes & securi sint. Quinimò, Satan, peccatum, & ipse homo, sibi non raro in tantùm incommodant, ut non am-*

*plius sit filius gratiæ & spiritus, sed iræ; non Dei, sed Satanæ (cujus opera patrat) possessio; non possint hæreditatem Dei immarcessibilem & incorruptibilem, quamdiu tales manent, possidere; nec vitam æternam in se manentem habeant.*

*Non contrariatur nobis* Augustinus lib. de Dono Perseverantia (*quem allegat*) *cap. 6. scribens* Tutiores vivimus, si totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte relinquimus. *Nam 1. nos totum salutis nostræ negotium Deo, & non nobis damus. 2. Ipse* Augustinus *nobiscum confitetur, tantum abesse, ut inficietur, credentem posse apostasian fidei* ὁλοτελῆ *committere. Adeoq; hæc ipsius verba fatalem Perseverantiam longè hinc eliminant Lib. de Grat. c. 8.* Mirandum *est, ajens,* quod filijs suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus FIDEM, SPEM, DILECTIONEM dedit, non dat perseverantiam, cum filijs alienis tanta scelera dimittat, atq; impertita gratiâ suâ faciat filios suos.

*XI.*

*1. Joh. 2. v. 19.* E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum: Sed egressi sunt ex nobis, ut manifesti fierent, non omnes esse ex nobis. *Resp. 1. Committit* adversarius crimen subjectarum personarum. *Nam isti AntiChristi, qui exierant*

exierant ex Apostolis, fuerunt pseudo-Apostoli, quos toties Paulus refutaverat, præcipuè verò in Epistola ad Galatas. Hi exierant non ex nobis, inquit Johannes, hoc est, ex numero Apostolorum, verùm ex locis & ex Hierosolyma, ubi erat Ecclesia. Testatur hoc vel primum illud N. T. concilium Hierosolymitanum Actor. 15. v. 24. Audivimus, scribens, quod quidam è nobis egressi, turbarunt vos verbis, labefactantes animas vestras. Fuerunt igitur pseudoapostoli hæretici, alij: quales erant Marcion, Cerinthus, Ebion, qui partim divinitatem filij Dei, partim humanitatem impugnabant; pars ipsum quoq; Christi officium vel abnegabant, vel consequenter impugnabant, aliosvè articulos fidei enervabant & evertebant: Illos omnes hic Apostolus Anti Christos appellat; & meritò. Sive enim personæ Christi naturas, sive ipsum tolleret, sive officium Christi, tam sacerdotale, quàm propheticum & Regium infestarent: semper sese AntiChristos declarabant; cum JESUS CHRISTUS illa omnia includat, nec absq; ullo illorum credentes salvari queant. Hi porrò AntiChristo isti insigni & magno sternebant & parabant viam 2. Thess. 2. v. 7, idq; variè.

Et licet ex Apostolis, id est, medio eorum locorum, medioq; cœtu, quem Apostoli per verbum genuerant, exijssent, non ex Apostolis tamen erant. Unus quidem Judas à Christo defecit, sed scelere

*proditionis* ac *malæ conversationis, ut* Tertullianus *loquitur: nullus per hæresin & malam doctrinam. Nam nemo immediatè vocatus in hæresin incidit, aut in doctrinâ errat. Si cui tamen fortassis contingat, non loquenti ex Deo, statim â Spiritu S. in viam reducitur. Exemplo sit* Aaron *Exod. 32. v. 2.* Nathan. *2. Sam. 7. v. 3.* Petrus *Act. 10. v. 9. & seqq.* Apostoli *omnes Act. 1. v. 6. Si igitur nemo immediatè vocatus in doctrina (Nam in vita eosdem vel gravissimè labi interdum, Aaronis, Davidis, Petri, aliorumq; exempla clamant.) errat, nec Apostoli errarunt. Atq; istud privilegij Christus ipsis contulit Joh. 16. v. 13.* spiritus, *inquiens,* sanctus inducet (ὁδηγήσει) *vos in omnem veritatem. Exinde scripturæ & doctrinæ Apostolicæ certitudo elucet & pendet, teste* Petro *2. Epist. c. 1. v. 20.* Omnis prophetica scriptura non est privatæ interpretationis. *v. 21.* Non enim voluntate hominis allata est quondam prophetia, sed à Spiritu Sancto inpulsi, locuti sunt sancti Dei homines. 2. Tim. 3. v. 16. omnis scriptura est divinitus inspirata. *Propterea prophetæ locuturi semper præmittunt vel addunt verba:* Hæc dicit Dominus; visio, quam vidit Esaias. Sic quoq; cæteri ubique.

*Sequitur apud* Johannem: Nam si fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum. Attendi Croci, *de quibus loquatur Apostolus.* Si fuissent

ex

ex nobis, inquit. *Quibus verò. Non intelligit docentes in Ecclesia quosvis, apud Apostolos & in cœtu Christianorum, quorum multi defecerunt: quod postmodum patebit. verùm ex* NOBIS (APOSTOLIS) si fuissent, utique nobiscum mansissent: *idq; quod erant Spiritu Sancto confirmati & in omnem veritatem ducebantur Joh. 16. v. 13. & miraculosis donis ditabantur cœlitus Act. 2. Apostolis accensendus est* Paulus, *qui ad suam doctrinam & Evangelium prædicandum, non ab hominibus, sed ab ipso Dei filio fuit vocatus Gal. 1. v. 2. Actor. 9. v. 3. & seqq. & in tertio cœlo id edoctus Gal 1. v. 2. 1. Cor. 11. v. 23. 2. Cor. 12. v. 2. Annumerandus & Barnabas illis est; item alij qui divinitus regebantur, ut Evangelistæ, Marcus & Lucas.*

*Speciale ergo & proprium hoc fuit Apostolorum & immediatè vocatorum privilegium, ad alios Christianos cum Calvinianis minimè extendendum. Differentia illa non obscurè ex eâdem Epistola Johannis colligitur. Nam 1. de ipsis Pseudoapostolis scribit:* si fuissent ex nobis, (& numero nostro) utique mansissent nobiscum: *Apostoli vero, cum semper ijdem maneant, certè labi nequeunt. 2. De reliquis Christianis ait idem cap. 1. v. 7.* Si verò in luce ambularemus sicut ipse in luce est, societatem inter nos habemus mutuam. v. 8. si verò dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos fallemus. c. 2. v. 3. Per hoc

scimus, quod cognovimus eum, si mandata ipsius observamus. vers. 24. si in vobis permanserit, quod ab initio audivistis, & vos in filio & patre manebitis.

*Eadem est sententia patrum. Augustinus lib.* de Dono Perseverantiæ *c. 9. Licet de prædestinatis interpretetur, ita tamen interpretatur, ut non nostram sententiam, sed adversariam confundat scribens:* Ex duobus pijs, cum huic detur donum perseverantiæ in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt Dei judicia. Illud tamen fidelibus debet esse certissimũ, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis ut unus prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, mansissent utiq; nobiscum. Nam utrique à Deo creati sunt, utriq; ex Adamo nati, utrique de terra facti erant, & ab eo, qui dixit, omnem flatum ego feci, unius ejusdemque naturæ animas acceperant. Non postremò utrique vocati fuerunt, & vocationem secuti, utrique ex impijs justificati & per Lavacrum regenerationis utriq; renovati? Sed si hæc audiret ille, qui sciebat proculdubio, quod dicebat, respondere posset ac dicere: Vera sunt hæc, secundum hæc omnia, ex nobis erant, veruntamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis. Quænam est hæc tandem *discretio? respondet paulò post.* Non erant ex

ex eis qui nati erant secundum propositum vocati, non erant in Christo electi, ante constitutionem mundi, non erant prædestinati secundum propositum ejus. *Et paucis interjectis concludit*: Nam si ex illis fuissent, sine dubitatione cum illis mansissent. *Idem l de Grat. c. 8. scribit*: si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, intelligi de prædestinatis præscitis, qui licet interdum devient & exorbitent, à via justa, tamen commoniti revertantur, & usque in finem perducant, quod in bono ceperunt. *ubi notes obiter* Augustinum *filios Dei in duplici ponere differentiâ. Alij nanq; sint & dicantur filij propter præsentem, quam verè possident, justitiam fidei: alij autem filij, secundum præscientiam divinam, appellentur: quos, quod hæreditatem & promissionem reipsa non adeunt duntaxat, sed stantes consequuntur, filios promissionis vocat.*

*XII.*

*1. Joh. 2. v. 25.* Hæc est illa promissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam. *Argumentum* Crocianum *ex hoc loco est*: Quicunq; manent in Ecclesia, promissionem habentes vitæ æternæ: ij non possunt deficere. Atqui renati manent in Ecclesia, promissionem habentes vitæ æternæ. Ergo renati non possunt deficere. *Resp. N. C. P.* Nam *Johanni est sermo de illis, qui non abeunt, non quidvis perpetrant; sed*

qui

*qui manent in promiſſione. v. 24.* ſi in vobis permanſerit, quod ab initiò audiviſtis, & vos in filio & in patre manebitis. *De recedentibus 4. dicit;* Qui non diligit fratrem ſuum manet in morte. c. 3. v. 15. omnis, qui non facit juſtitiam, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum v. 14. *Deinde nec* Minor de omnibus credentibus, nec ſemper vera eſt. Non *de omnibus;* quod multi deſciſcant à fide & promiſſionibus; frangantur rurſus & temporanei evadant. *Non ſemper* quod hiſtoriæ & exempla lib. 3. recitanda docebunt.

## XIII.

*1. Joh. 2. v. 27.* ſed unctio, quam vos accepiſtis, manet in vobis. *Reſp. unctio eſt ipſe ſpiritus Sanctus, illiusq; gratioſa inhabitatio & dona: quo ſpiritu Chriſtus immenſè & ultra conſortes eſt unctus; & ita ut ex ipſius plenitudine nos omnes acceperimus. Accipimus autem & ungimur tum per verbum, tùm in baptiſmate quod eſt lavacrum regenerationis Tit. 3. v. 5. lavacrum aquæ in verbo, Eph. 5. v. 26. Joh. 3. v. 5. In quibus iſta unctio manet, illi in Domino manent: qui verò abluunt & ſordibus ſe illinunt, illi excidunt. Negq; enim peccata contra conſcientiam commiſſa, ſtudiumvè peccandi cum fide conſiſtit, monente Apoſt. Gal. 5. v. 16.* Ambulate ſpiritu & deſideria carnis non perficietis. *Itaq; 2. poſtquam Apoſtolus credentes laudâ-*

*laudârat, quod unctio in illis esset, essent & ipsi in spiritu: monet nihilominus ut in unctione & spiritu maneant v. 27. inquiens:* Manete in ea v. 28. Et nunc filioli manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non pudefiamus coram eo in adventu ejus v. 29. Qui facit justitiam ex ipso natus est. *Ex his liquet, multos, qui verè & salvificè crediderunt & uncti fuerunt, jam igne infernali ungi. Quare qui in unctione manent, tanquam verè uncti Domini & Christiani, transferuntur ad Christum nostrum unctum sacerdotem, regem & prophetam, qui fundit super nos spiritum suum Act. 2. v. 32. Joh. 1. v. 16.*

## XIV.

1. Joh. 3. 6. Quisquis in eo manet non peccat v. 9. Quisquis est ex Deo, peccato non dat operam, quoniam semen ipsius in eo manet: nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est. c. 5. v. 18. scimus quod quisquis natus est ex Deo, non peccat: sed qui natus ex Deo conservat se ipsum, & improbus ille non attingit eum. *Ex istis locis* Crocius *p. 132. ita tonat.* Qui non perpetuò studet peccare, impiorum studia sectatur: Sed semen Dei in eo manet: is non potest fidem prorsus deserere. Atqui fideles non student perpetuò peccare, nec impiorum studia sectantur, sed semen Dei in eis manet, ita ut conservent se ipsos, nec à malo attingantur. Ergo fideles non possunt fidem deserere. Resp.

*Resp. 1. Ipse adversarius ultrò fatetur hunc locum esse valde difficilem: & varios admittere explicatus.* Ambrosius *allusivè ad statum gloriæ transfert.* Bernhardus *autem per semen Dei, gratiam prædestinationis accipit. Quod cum non malè asseras fieri,* Croci, *velim demonstres, ubi Spiritus Sanctus in toto codice sacro semen Dei pro prædestinatione sive gratia prædestinationis accipiat? semen enim Dei in scripturâ Metaphoricè verbum Dei notat, ut Luc. 8. v. 5. Matth. 13. v. 3. 1. Pet. 1. v. 23:* Renati non ex semine corruptibili, per verbum Dei vivum, quod manet in æternum. *Imò ipse Johannes semen isthoc nihil aliud esse ait, quam verbum. Nam ut hìc scribit:* Quisquis est ex Deo non peccat, quoniam semen ipsius in eo manet: *sic cap. 2. v. 14. interpretatur, inquiens: Verbum Dei in vobis manet. Iidem quoq; effectus utriq; tribuuntur, ut: vincere illum malum, & non peccare. Quæ victoria à peccatis, est conservatio sui, capite 5. v. 4. docente Johanne.* omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. Et hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra. Verum Crocio id non negante p. 133. ubi semen verbi appellat: non opus est ulteriori probatione. 3. Pergit & ait Augustinum lib. 2. de Peccat. Meritis & Remiss. c. 7. referre ad peccata venialia: idque coactè facere. Eundem Augustinum Tract. 5. in Joh. atque Hieronymum Lib. 2. adversus

versus Pelagianos *docere, Johannem de peccatis Lethalibus (quam verè tribuat, ipse viderit. Nam utrinq; de renatis explicant, qui charitatem sequuntur, eoq; peccare non student) loqui. Crocius* cõtroversiam decisurus & instituto suo accommodaturus: *Quamcunq; inquit,* interpretationem eligamus, obtinebitur propositum, aut saltem non incommodabitur. *At parum prudens judicium! Nam si peccata venialia tantum intelligi statues; cædes, adulteria, homicidia, incestæ consuetudines, abnegationes Christi, erunt peccata venialia. In qua opinione hærere Crocium ex conclusionibus VII. VIII. IX. cap. 3. patescit. At contra* Bucanus *in Instit. Loc. 16. p. 169. scribit:* Peccatum regnans est, cum homo non-renatus servit, & quasi frenum laxat peccato, & toto corde totaque προαιρέσει fertur & ruit ad peccandum. Pareus in c. 6. Rom. Col. 567. 568. Regnans est omne peccatum in non-renatis, aut in renatis, error contra articulos fidei aut conscientiam, excludens ex corde omnem actualem fiduciam remissionis peccatorum & obnoxium faciens peccantem exitio æterno nisi fiat remissio. *Post pauca:* uno verbo, *inquit,* est obedire, cupiditatibus carnis. *Qui contradictionem in adjecto committit, si cum regeneratione peccatum regnans & omnis actualis fiduciæ Dei & remissionis peccatorum privationem*

*stare*

*stare posse arbitratur. Cui proinde Bucanus & alij rectè contradixerunt.*

4. *Nunc ad syllogismi Crociani structuram accedentes, dicimus* 1. propositionem *respectu electorum laborare. Nam licet illi non perpetuo & usq; ad finem peccare studeant, sed lapsi convertantur; tamen aliquando deficere palam est.* 2. Minor *est particularis,* tam *ratione subjectarum personarum, quam ratione adjuncti temporis. Quare* 3. *subjectum cum* reduplicatione *acceptandum erit; nimirũ,* Quisquis ex Deo natus est, quãdiu natus est ex illo, non peccat. *Nisi hanc limitationem admiseris, sequitur Davidẽ, per multos menses, in peccatorũ gravissimorum studio perdurantem & peccatis tantũ operam dantem; non studuisse peccare, nec peccasse. Quod absonum! Nam vir mortis fuit, nec vitam æternam in se manentem habuit: quæ est in nullo, qui fratrem aut occidit aut odit, occasionemvè, ut occidat, quærit. Quapropter dextrè & graviter* Hieronymus *in princip. lib.* 2. *contra* Jovinianum *sententiam pronunciat:* Quid dicemus, num contraria sibi Apostolus loquitur? Minimè. In eodem quippe loco, cur hæc dixerit, statim edisserit: propterea, inquit, scribo vobis, filioli, ut omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, ut non peccetis, & tandiu sciatis, vos in regeneratione Domini permanere, quandiu non peccaveritis. Imò qui in generatione Domini

mini perseverant, peccare non possunt. Quæ enim communio luci cum tenebris. Marloratus ex Calvino *super 1. Joh. 3. v. 6;* Dicuntur (*fideles*) non peccare: quia etsi carnis infirmitate labuntur, peccato tamen non consentiunt: quin potius gemendo luctantur, ut verè testari cùm Paulo queant, se malum facere, quod nolunt Rom. 7. v. 29. *Et paucis interjectis refert idem ex* Thomâ Naogeorgo: quandiu per fidem (*inquiens*) quis in eo manserit, tamdiu eo tenebitur & operam dabit studio: Si verò ab eo desciverit, fideiq; renũciaverit; diversum iter ingredietur & sectabitur. Qui tn. idẽ. *Marloratus sui oblitꝰ capites infra planè diversam ac falsam explicationem cudit.*

*Pergit & oggannit* Crocius *p. 133. hanc dicti Apostolici limitationem sapere* Pelagianismum, qui inter Deum & hominis arbitrium salutis operas bipartitur. Deinde nos principium petere, regerit; *addita, sed perperam contra nos, ratione.* Hominis enim est, *inquiens,* semen gratiæ recipere, sed fovere illud, non est hominis. *Resp. 1.* Rectè hæc Bertio & Arminianis, *non nobis, opponuntur. 2. Etsi hominis est non nisi semen recipere, Deiꝰ seminare quo homo regeneratur, & fovere in illo: tamen & idem homo vires naturales habet semen rejiciendi, ac fovente Deum spernendi, & semen enatum exstinguendi. Videat igitur ne vitaturus* Pelagianam *Charybdin, in* Manichæam *Scyllam incidat. Rectè enim Theophylactus*

*ſuper cap. 10. Joh:* Utraris autem & hoc de Judâ exemplo contra Manichæos. Etenim quùm ille ſanctus eſſet, & ovis Dei & vertibilis voluntate, ſua ſponte excidit. Non igitur Naturæ ſunt malæ, (aut bonæ) ſed voluntate & conſtituuntur & ſolvuntur.

Regerit ibidem, quæri fierinè poſſit, ut verè credens tam ſecurus ſit ſalutis ſuæ, ut ſemen verbi incorruptibile, ſemel animi arvo receptum, prorſus ſuffocet; ideoque fructum omninò perditum eat? Quod quidem largitur quemvis poſſe, ſi ſit abſque gratiæ perpetuo fomento: quod promittatur Eſ. 42. Matth. 12. v. 20.

*Reſp. 1. alludere videtur ad Epiſtolæ Judæ verba, quæ v. 4. leguntur:* ut cum ſanctis decertetis pro fide, quæ ſemel data eſt; *ſed fruſtra. Nam Judas non ait, fidem* ſemel *tantum dari: Sed hortatur, ut eam ſemel datam conſervent. Neq; particula* (ἅπαξ ſemel) *diverſum cogit: qua hortatur, ut vitetur lapſus triſtis ex fide ſemel data, quæ per juſtam iram Dei poſſit non reddi Apoc. 2 v. 5. c. 3. v. 3. aut ſaltem cum labore & lacrymis reparari neceſſe ſit Gal 4. v. 19. Alij* τὸ ἅπαξ *per* verè, *explicant. Quomodo ſumitur Pro. 28. v. 18. Judæ v. 5. Heb. 6. v. 4. 2. præterquam, quod fides ſalvifica amiſſa, inſtauretur, ex toto Judæ ſcopo inclareſcit, de verbo fidem dante & accendente, hic eſſe ſermonem.*

nem. Quod Piscator *nobiscum fatetur, de doctrina fidei explicans.* Et Erasmus, qui vertit: Obsecrans, ut vestris laboribus adjumento sitis fidei, quæ semel data est sanctis. *Et Rectè. Nam in Græco est vox* παραδοθεισῃ traditam, *propositam fidem notans: quæ non est proprietas salvificæ conveniens. Confer. 1. cor. 11. v 23. 2. Thess 2. v. 15.*

*Deinde: quod de verbo incorruptibili incorruptibilẽ fructũ generãte differit, dextrè accipiendum est. Nam verbum quidem in sese incorruptibile est, atq; in credentibus, qua talibus, incorruptum & vivum fructum producit: Tamen si projcias, conculces, torqueas* (στρεβλοῖς) *corrumpas; fructum incorruptum nunquam feret. Quemadmodum enim Christus, qui ipsa vita est, merito suo omnes vivificãs: actu tamẽ applicatæ fidei, neminẽ nisi credentẽ, vivificat, vitãq; confert. Sic verbum, sua quidem natura, est potentia Dei ad salutem omni credenti; fert incorruptam vitam: Verum non distorquentibus & malè utentibus, sed piè ex eo viventibus.*

*Similitudo de arundine quassata ex Matth. c. 12 v. 20. & Psaia 42 hausta, supra sat enucleata, est hic aliena: Sicut & illud quod de differentia inter statum Naturæ & gratiæ differit p. 135. nobis argumentum, cum Arminio, non facit invictum, sed supra, quo loco habendum sit, plenissimè edocti sumus.*

# LIBRI PRIMI CAPITIS SEXTI Examen.

*Hactenus loca scripturæ, quæ* Crocius *lib. 1. cap. 4. nudè proposita, ac 5. in syllogismum redacta, libri secundi capitibus quatuor prioribus distorquet, suæ luci restituimus, atq; à corruptelis liberavimus: sequitur jam, ut quæ in libro 1 adhuc restant, capita, aggrediamur & examinemus.*

*Capiti igitur 5. Libri 1. hanc annectit Cautelam; quod nimirum testimonia,* quæ de sanctorum Perseverantia, in arenam produxit, si de qualibet persona *(credentium)* sigillatim loquantur, sint ad omnes ejusdem census *(personas)* extendenda: & quæ de omnibus agunt universè, ad quanque singulam sint contrahenda & explicanda. *Quam cautelam ista coarctamus limitatione; id scilicet faciendum esse, quatenus subjecta materia & natura oraculorum Spiritus Sancti fert, secus dissensuri. Neq; enim, quæ in genere de militante Ecclesia proferuntur, omnibus credentibus & membris in ea, semper, piè & justè, in individuo, attribui queunt: sed quatenus quisq; secundum* tenorem & regulam scripturæ incedit, Gal. 6. v. 16. *Neq; quæ universali Ecclesiæ aptantur privilegia, cuilibet individuo, in militante, semper conveniunt. Similiter nec absolutas promissiones cum conditionatis*

*natis miscere fas est, aliaq;, id genus committenda quæ suis locis tacta sunt.*

# LIBRI PRIMI CAPITIS Septimi examen.

POst *scripturarum testimonia (quæ vidimus, &, quo loco sint habenda, & quem usum præstent, indicavimus)* Crocius *jam ratiunculas in scenam profert, ac p. 67. sequenti syllogismo includit.* Quicunque 1. certa fiducia in misericordiam Dei non modo præsentem, sed & semper futuram inclinati. 2. Exspectant salutem revelandam tempore præstituto. 3. A Deo perenni & nunquam perituro amore amantur. 4. In inviolabili fœdere eidem junguntur in vitæ sanctimoniam. 5. Tentationum impetus deprecantes, indubiè exaudiuntur. 6. Intercessione Christi, nunquam defutura fulciuntur. 7. Spiritu Sancto in redemptionem obsignantur. 8. A παροικίαις, id est, temporaneis, per fidem radicatam discriminantur. 9. Non peccant in mortem & citra pœnitudinem. 10. Nec lapsi rebaptizari debent, aut desperationi sunt confines: 11 omnem fidei armaturam, nec abijciunt, nec cœlestibus bonis se unquam spoliant.

*Resp. 1. Propositio non est semper vera de Electis, nedum de universis renatis. Nam, quod* Primum

mum & secundum membrum concernit: quis Electos alioqui Dei servos, ut Davidem pessima perpetrantem, sperasse in Dominum patienter audiret? Aut quasi spe in Dominum speravit? Num Petrus, præ timore Dominum abnegans & abjurans, in ipsum speravit? Quæ spes Dei cum ipsius abnegationibus & pejerationibus consistit? Multò minus omnes renati semper sperant & exspectant salutare Domini, ut cum verbum relinquunt; imò cum maledictionibus ad finem persequuntur. quales sunt pessimi isti renati, qui in Spiritum Sanctum peccant Hebr. 6. vers. 4. 5. Hi enim gratiam & præsentem & suo tempore revelandam exspectarânt.

Ad membrum Tertium & Quartum repono: Amorem Dei vel esse generalem, vel Electionis, vel fœderalem. Illo dilexit totum genus humanum, ut daret filium suum unigenitum Joh. 16. v. 16. Isto prænovit & dilexit non nisi ad finem in Christum credituros, eoq; in ipso elegit. Non credituros non dilexit, nec in illis complacuit, sed ob incredulitatem morti addixit. Hoc, amore scil. & gratia fœderali, quos dilexit, non omnes salvantur. Quod unius aut alterius fœderis inductione illustrabo. Gratia & misericordia fœderali fœderis Mosaici & Abrahamitici omnes Judæos in V. T. diligebat, Exo. 3. v. 6. 15. c. 6. v. 7. c. 24. v. 7. 8. Gen 17. v. 7. 8: quorum tamen plerosq; ut inobedientes & desciscentes, in deserto prostravit 1 Cor. 10. v. 5. Heb. 3. v. 17. Verùm nec illis

*illi omnes, quos fœdus Davidicum & Christi in N. T. spectat, salvantur. Quod rationibus firmis, contra Crocium hactenus demonstratum fuit.*

*In V. requiro, ut sancti indesinenter precentur, ac votis & telis gemituum ardentium fulminent; secus non exaudientur, Jac. 1. v. 5. c. 6. v. 16. Luc. 18. v. 1. At verò multi non tantùm* ἀγρυπνοῦσι, *verùm etiam Electi multo tempore segnes cernuntur, ardoremq; orandi omnem postponunt, abjiciunt.*

Membrum *VI.* (*quo dicit eos, qui intercessione Christi nunquam defectura fulciuntur, nõ deficere*) *quâ firmũ sit, vel lapsus* Petrinus *nobis refert. Petrus n. abnegãdo & pejerando fidẽ amisit. Quare intercessio Christi non impedit, quo minus fides amittatur.*

VII. & IX. membrorum *infirmitas ex superioribus patet.*

*VIII. agit de credentibus & in fide perseverantibus, hoc est, de Electis: qui licet perseveraturi prænoscantur finaliter: Ut tamen temporaliter quandoq; fidei naufragium committant, liquet.*

Decimum memb. *præter* ἀδολέσχειαν *principium petit. Ubi enim, Croci, scripturarum? qua pagina? & quo capite docetur, quod credentes, si, rebaptizari non debent, propterea non possint studere peccato? Baptismus enim semel datus*

*est æternum fœdus, quo sese Deus fore, non duntaxat Deum & patrem carnalis seminis Abrahamitici, sed omnis illius seminis, tam spiritualis quam secundum carnem, etiamsi de externis sit, promisit Gen. 17. Matth. 22. Act. 2. Unde si homo baptizatus, inde excidat per fidem pœnitentiæ illi rursus inseri quibit; ut rebaptizatione nulla sit opus. Verùm quo fine hoc posueris membrum, necesse est te plenius explices.*

*Majore itaq; nondum probata, incumbit* Crocio *onus, ut eam firmioribus & invictioribus roboret argumentorum vinculis.*

*Contemplemur & percurramus etiam breviter* Crocianam Assumptionem.

Cujus membrum 1. est. Atqui sancti, id est, credentes certa fiducia in misericordiam Dei, non modò præsentem, sed & semper futuram inclinati; ad Hebr. 11. v. 1. Est enim fides illud, quo subsistunt, quæ sperantur, & quæ demonstrat, quæ non cernuntur. Resp. *Fides salvifica est quidem rerum sperandarum hypostasis, eoque non hypocritica; Hypostasis enim hîc dubitationi & hypocrisi; & demonstratio opinioni opponitur internæ: Neutra ἀδυναμία apostasiæ. Quod immotè verùm esse, ex capite præcedenti decimo apparet: quo docet Author illam hîc loci intelligi fidem, ex qua justus vivit. Quos homines, fide salvifica justos, sic animum suum probare ait, ut se non subducant in perditionem, sed*

*sed in acquisitionem animæ suæ credere pergant. Probat ab illorum constantia, quâ superioribus temporibus multa pro veritate erant passi, v. 32. 33. Quos tamen fideles athletas rursus deficere posse, disertè confitetur ibidem, adhortans illos:* Ne abjeceritis igitur vestram fiduciam, quæ magnam habet præmij retributionem v. 35. *Et rursus* v. 38. Si se (justus ex fide vivens) subduxerit, non probabit eum animus meus.

*Deinde capitis 5. Rom. v. 1. & 2. objicit,* justificati igitur ex fide pacem habemus erga Deũ per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem & accessum obtinuimus fide in hanc gratiam, in qua stamus & gloriamur sub spe gloriæ Dei. *Resp. Quid inde? stant in spe. Ergone sancti possunt elabi fide? perirè? Plus sanè elicis hinc, Croci, quam res ipsa permittit. Præterquam enim, quod de omnibus credentibus pronunciet Apostolus Hebr. 13. v. 9. Doctrinis variis & peregrinis ne circumferamini*, bonum enim est gratia stabiliri cor. Et 1. cor. 10. v. 12. Qui stat videat ne cadat; *contrarium supra ostendimus. Non enim τὸ stare & gloriari opponitur apostasiæ, quæ impossibilis sit, verùm dubitationi, teste vel ipso* Marlorato *super h. l. & Chrysostomo.*

II. Membrum; Sancti exspectant salutem præstituto tempore revelandam *1. Pet. 1 v. 5.*

Quæ non excidit Rom. 5. v. 5. *Resp. olida & supra remota crambe reponitur.*

III. Sancti a Deo perenni & nunquam desituro amore amantur. Conatur evincere ex Epist. ad Rom. c. 5. v. 5. Spes non pudefacit, eò quod charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Illam gratiam ex Jeremiæ c. 31. v. 3. amplificat, scribentis: Dilectione perpetua diligo te, idcirco extendo erga te benignitatem. *Resp. frustra conatur. Nam firmitatem nostræ spei Apostolus inde demonstrat, quod salus non ex viribus nostris pendet, quomodo incertissima foret: Sed ex virtute & amore Dei nos diligentis, quo nos suo spiritu fovet, sustentat, ac spem roborat. Pollicetur ergo Deus se amorem suum erga nos non abrupturum, sed in aternum servaturum: ut de suâ gratia & favore nihil dubitare cogamur. Cum tamen gratia & dilectio absoluta non sit; multi homines eam contemnentes & deserentes, rursus contemnuntur, deseruntur.*

IV. Inviolabili fœdere Deo conjunguntur Jer. 32. 40. *Responsionem in* resolutione *hujus loci, supra datam, inde hauriri petimus.*

V. Tentationum impetus deprecantes indubiè exaudiuntur Luc. 11. v. 4. Christus enim id precari docuit, Ibid. v. 2. Et quod in ipsius nomine sint precaturi, se facturum promisit, Joh. 14. v.

14. v. 14. Et faciet, quia fidus est 1. Cor. 10. v. 13. *Resp. Quicquid sancti* CREDENTES *Matth.* 21. v. 22. & in oratione perseverantes *Luc.* 18. v. 1. *precantur: in illis omnibus exaudiuntur. Qui verò dubitant, vel à fide desciscunt, minime, Jac.* 1. v. 6 *Cum igitur multi in oratione non perseverent, sed labantur ac Christum abnegent, aliaq; regnantia peccata committant; ing; nomine Christi (Quod nequeunt. Peccata enim talia ac tanta ac preces piæ non in una sede morantur) orare desinant; quomodo ut renati in fide starent?*

VI. Sancti intercessione Christi nunquam defecturâ fulciuntur Joh. 17. v. 20. Heb. 7. v. 7. 8. 9. Resp. Ad prius *dictum responsum est suprà. Ad posterius autem, regero; Licet Christus intercesserit pro omnibus in mundo hominibus, non tamen omnes servari. Hæc enim intercessio Christi satisfactionem, non salutis applicationem, nisi conditionaliter, concernit. Conditio enim spectatur in illo, quod* obedientibus tantum in applicatione *sit salutis causa factus: non a. inobedientibus & recedentibus à verbo, pro quibus æquè rogavit.*

*VII.* Sancti in redemptionem obsignantur, Eph. 4. v. 30. *Resp. 1. De obsignatione ipsa suprà fuit actum. 2. obsignantur autem sancti non in ipso redemptionis momento, quo mortuus est Christus. Tunc enim multi nondum erant nati: Sed in actu justificationis, qua Spiritu Sancto donantur, ut*

per-

*perdurent in ea, usq; ad ἀπολύτρωσιν & diem redemptionis & dissolutionis, quâ ex impio hoc seculo liberantur. Qui finis, conditionalis cum sit, irritari ab obsignato potest.*

VIII. A πεπιστεύκασι fide radicata discriminantur Luc. 8. v. 13. 15. *Matth. 13. v. 21. 23 : Resp. Infra videbis πεπιστεύκοτας fide salvifica fuisse donatos. Adeoq; est contradictio in adjecto, ad tempus credere, & non salvificè credere.*

IX. Sancti non peccant in mortem citra pœnitudinem 1. Joh. 3. v. 9. Quisquis ex Deo natus est non peccat, quoniam semen Dei manet &c. *Resp. Est inanis Coccysmus supra eliminatus.*

X. Nec lapsi rebaptizari debent, nec desperant. Illud, inquis Croci, est hæreticum, At hoc paradoxum. *Resp. De illo paulò ante respondimus.* Hoc *a. non scripturæ, sed Crocij cerebro paradoxum est. Ergo concludimus, sanctos sive credentes omnem fidei armaturam non abijcere : nec cœlestibus bonis se unquam spoliare, ipsi adhuc demonstrandum esse.*

## LIBRI PRIMI CAPITIS Octavi Examen.

ACcingit se Crocius *in hoc capite rursus ad prælia, & veteris Ecclesiæ consensum explorare*

*rare & contestari desudat: quod nimirum sancti fidem suam nunquam abijciant. Ubi prælibandæ est nobis* adversarij *vera & genuina confessio, quæ plerosq; Patres, inprimis Græcos à se dissentire scribit. Verba ipsius hæc sunt p. 70. 71:* Ex Græcanicis perpauci sunt, qui non alicubi cespitarint, Aristotelicæ doctrinæ humani arbitrij libertatem plus satis extollentis, quam par est, tenaciores. *Hæc Crocius. At verò non ex hæretico fermento, Ethnismiq; reliquijs, illis in quibusdam adhærescentis, verùm ex scriptura, canone veritatis, suam sententiam asserere comprobantur.*

*Pergit* Crocius *p. 70. aiens:* Rectè tamen sensit Chrysostomus in Tom. 1. hom. 1: Quippe fidei hoc proprium est, inquit, quantumvis contratia promissis facta contingant, nunquam penitus decidit, aut omninò turbatur. *Resp. 1.* Chrysostomus *non est sibi contrarius, ut infra videbimus. 2. Itaq; nec hæc verba nobis adversa sunt, quibus* Pater ille, *quid fidei proprium sit edisserit, ac quæ spiritus virtus: non autem negat hominem abijcere eam posse. Fides enim servata omnia vincit, nec decidit: decidit tamen abjecta.*

*Producit eundem in Matth. Hom. 26. & Theophyl. qui id in capite 22. in Lucam explicârit. Ubi* Croci? *Verba enim nulla adscribis. Ad rem. Habet quidem* Theophylactus *ista verba:* Quamvis brevi tempore concutiendus sis: sed habes re-

con-

condita semina fidei, etiamsi folia abjecerit spiritus invadentis, radix tamen vivet & non deficiet fides tua. Sed. *Resp. Illud non deficere, & illa recondita semina fidei, non sunt argumento,* Petrum *fidem tunc retinuisse, sed finaliter non defecisse.* Ait enim semina fidei, id est, verbum Christi ad conversionem hortantis, in ipso mansurum, ut radix vivere pergat. *Et paulò post subjecit:* Ego non omninò te relinquam, ut deficiat in universum *(finaliter)* fides tua. Quamvis autem ego rogarim pro te: attamen tu non recideris, sed conversus, hoc est, pœnitentiam agens & lacrymas profundens, & à negatione resiliens, esto etiam alijs pœnitentiæ exemplar, ne desperent. *Etsi autem incommodius loquitur, tamen clarius sese explicat alibi; velut in cap. 10. Joh:* Dicendum, *inquiens,* quod rapere quidem nullus de manu patris, DECIPERE autem multi. Nam ut quidem vi & tyrannide nullus potest avellere à Deo, deceptione autem quotidie supplantamur: *Rursus ibidem:* Quod si quis ex ordine ovium exciderit, & non secutus fuerit pastorem, statim perit. Utaris autem & hoc de Juda exemplo contra Manichæos. Etenim quum ille sanctus esset, & OVIS DEI, & vertibilis sua voluntate, sua sponte excidit.

Tertiò; *laudat* Chrysostom. *in cap. 5. ad Rom. v. 2. Hom. 9. inquientem:* Benè autem dicit

in

in qua stamus. Neque finem habet isthæc gratia, neque terminum novit, sed ad majora progreditur; id quod apud homines non contingit. Exempli gratia. Principatum quis adeptus est, aut gloriam, aut potentatum: verum in eo, quod adeptus est, non poterit perpetuò consistere, sed citò excidit, & licet nemo sit hominum, qui honoris illum gradu dejiciat, mors certè, quam primum venerit totum auferet. Divina vero talia non sunt. Ex ipsis enim nos, neq; quisq. hominum, nec tempus, nec rerum infortunium, neque ipse diabolus, nec mors ipsa adventu suo ejicere poterit. Itaque si futuris fidem non habes, præsentibus saltem, quæ jam accepisti, permotus, illis quoque fidem adhibe. Propterea siquidem dixit in spe gloriæ Dei, ut dicas, quamnam oporteat fidelem habere mentem. Non enim de ijs solum, quæ data jam sunt, sed & de futuris, non secus atque datis, persuasum esse oportet. Gloriatur quippe, qui gloriatur in illis, quæ jam exhibita sunt. Quandoquidem igitur & futurorum spes tam certa est & clara, quam eorum, quæ data jam sunt, de illis quoque non veretur simili ratione dicere, gloriamur: propterea & gloriam ipsa futura bona vocat. Quod illi enim ad gloriam Dei profutura sunt, certum est quod nobis omninò eventura sunt, licet non propter (per) nos, attamen propter

pter (per) ipsum. *Resp.* *Probatio isthæc aliena a est, quæ docet, de fide & gloria speq; vitæ æternæ nobis non esse, ex parte Dei promittentis, dubitandum: quod ambabus ulnis, quod ajunt, largimur. Minimè vero inficiatur & reclamat* Chrysostomus, *sanctos fidem & Spiritum Sanctum excutere non posse. Quod clara loca ex ipso probant.*

Quarto *eundem citat* Homil. 25. *in Gen.* ἡ πίστις ἡ εἰς θεὸν καθάπερ ἀγκύρα ἀσφαλὴς. Fides in Deum est veluti anchora secura. Ex quo Crocius ita colligit. Quod de fide dicunt sancti Patres, idem de credente verum est. Qualis enim est forma, tale est formatum. Forma est æterna. Ergo & formatum est æternum; credens est perpetuus & securus. *Resp. 1. conclusio ista est impia & toti scripturæ contraria, quæ salutem cum timore & tremore operari jubet Phil. 2. v. 12 Et licet* mādet gloriari in fide & spe *Rom. 5. v. 2: non tamen gloriabimur securi Rom. 11. v. 18.* Crocianæ *igitur securitati (Qui enim deficere amplius nequit, securus esse poterit) Apostolicam in spiritu vigilantiam & timorem, quo de fide servanda & electione firma facienda Christianum monet, opponimus. 2.* Minor est distinguenda: quæ licet vera sit de consilio & fine, quem Deus intendit; ut scilicet radicati anchora fidei & fide nostra in Deo certi & tuti simus: tamen fallit respectu hominum, anchoram fidei cum Christo abijcientium, ipsam frangen-

*gentium, aut funem fidei, qua anchora spei pendet, incidentium: Idcirco cupio discere ex* Crocio, *unde noverit fidem esse æternam? Certè Apostolus à re dissentiens scribit* 1. *Cor. 13. v. ult.* Nunc manet fides, spes, charitas, tria hæc: Sed major horum charitas, *ut quæ in æternum manet. Quod & cernere quiveras ex Heb. c. 11. v. 1.* Est autem fides earum rerum, quæ sperantur, substantia, argumentum eorum, quæ non videntur. *Igitur nunc ex fide vivimus, non autem amplius in patriam perventi.* Fide *inquam*; *qua jam Deus credentes justificat & salvat*, non omni *tamen planè abjecta. Absit enim, ut omnem fidem & fiduciam æternæ dilectionis, securitatis & felicitatis in Deo, propter Regem & sacerdotem nostrum æternum, beatis in alterâ vita futuram abnegemus.* Deinde; *fidem quoq; in hac vita in hominibus renatis omnibus esse æternam, & nunquam deficere,* Crocius *nondum probavit.* Accedit *denique, quod* Crocius *hic fidem & spem confundat. Hanc enim scriptura anchoræ tutæ comparare solet, non illam.*

*A Patribus Græcis ad Latinos transiturus* Crocius, *rursus de Patrum inæqualitate (quæ tamen hic nulla est,) conqueritur, inquiens:* Non mirum est, nec esse debet, sanctos patres ante motam à Pelagianis controversiam, de liberi arbitrij viribus aliquanto securius esse locutos. Cui *Resp.* 1. *De liberi arbitrij viribus quidem incommodè illos*

*locutos damus, non autem item in hac quæstione. 2. Reliqui patres adhuc fortius convellunt absolutè necessariam perseverantiam sanctorum, quam priores, uti suo videbis tempore.*

*Sistit autem nobis ex Latinis* I. Ambrosium *in 2. cor. 3 dicentem:* Fides æterna res est, à Spiritu Sancto scribitur, ut maneat. *Resp. Facit differentiam inter inscriptionem in tabulis lapideis & corde factam. Vetera in tabulis lapideis scripta, abolita dicit, nova autem scribi in corde, ut maneant. Qui tamen finis ab hominibus in ipsis irritari & cessare potest. Nec prætereundum est,* Ambrosium *de fide præcipuè, ut promissa vitæ æternæ designat, loqui; itemq;, ut est doctrina.* Quoniam quæ promissa sunt, ait, æterna sunt: idcirco Dei spiritu scripta dicuntur, qui semper est. *Temporalia a.* atramento, quod obsolescit & perdit memoriam. Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Nunc legem veterem pulsat, quæ primum data in lapideis tabulis, abolita est, fractis tabulis, in monte à Moyse. Nova autem lex in animo scribitur, hoc est, in corde non per calamum, sed per spiritum. Quia fides enim æterna res est, ab Spiritu Sancto scribitur, ut maneat. Vetera autem præcepta deficiente mundo cessabunt.

*Alijs in locis* Ambrosius *renatos disertè labi posse tradit. Sic n. ait in comment. in cap 3. ad Galat.*

let. *super hæc verba Pauli*; Incipientes spiritu nunc autem carne consummamini. Hoc dicit: Quia cum ab inferioribus ad summa fidei ascensus sit, hi contra de summis ad ima delapsi sunt. Per fidem enim spirituales effecti, conversi ad legem perdiderunt gratiam spiritus, quam fuerant consecuti. consummatio enim perditionem significat. Idē in adhortatione de pœnitentia *agenda*: Si iste voluntate sua, *inquit*, currat ad baptismum, sive in periculo constitutus baptizetur & exeat, ad Dominum vadit, ad requiem vadit. Baptizatus homo, si postea desertor, violatorq; sacramenti fuerit, peccat, & Deum repellit à se. Confer eundem in cap. 4. Eph. ubi adhuc clarius loquitur. *Quapropter cum supra fidem dixit esse æternam, impropriè locutus sit necesse est.*

*Laudat iterum* Ambrosium *Lib. 1.* de vocat. Gentium, *qui pro sua sententia ista proferat loca*: *Phil 1. v. 6. c. 2. v. 13. 1. Thess 3. 11. 12. 13. 1. cor. 14. 5. 6. 7. Rom. 8. 36. ubi dicat*: charitas Christi facit eos, quos diligit, inseparabiles. *Et 1. Cor. 15. 16. 17. 1. Thess. 13. 16. 17. 2 Thess. 2. v. 3. 2. 1. Pet. 5. 10. 1. Joh. 4 v. 4. c. 5. 4. Resp.* Ambrosius (*sive* Prosper, *sive* Eucherius *sive quisquis demum illorum librorum author sit*) *duntaxat salutem non esse ex nobis probat, in fine libri scribens*: Multa sunt alia in canonicarum serie scripturarū, quæ vitandæ prolixitatis studio præterimus, quoniā quæ assumpsimus,

nec pauca sunt, nec obscura, nec levia, quibus planissimè declaratur, omnia, quæ ad promerendam vitam æternam pertinent, SINE GRATIA Dei nec inchoari, nec augeri posse, nec perfici. *Porrò, quod ex Epistola ad Romanos c. 8. gratiam inseparabilem facit, nihil nos læserit; cum Apostolus, non de renatis, sed de electis disserat.*

*Progreditur tandem* ad Augustinum, *cujus lib. 5. contra* Julianum *cap. 3. (4. Errore fortassis Typographi) profert:* Ex numero Electorum & prædestinatorum, etiam qui pessimam duxerunt vitam per Dei benignitatem, adducuntur ad pœnitentiam, per cujus patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti, ut ostendatur & in ipsis & alijs cohæredibus eorum, ex quam profundo malo possit Deus liberare. *Resp.* Augustinus *hominibus ipsis merita operum denegat. Quod verba illis proxima, quæ* Crocius *laudavit, testantur:* Et ne forte, ait, ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi, secutus est & adjunxit: si gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia. *Deinde* Pater *ille, nullo verbo apostasian fieri posse inficiatur, sed demonstrat tantùm, electos, etiamsi antea pessimè vixerint, certò tandem vocari, & salvari. Quod non est controversum.*

Secundus Augustini *locus ex lib.* de Fide ad Petrum *c. 25. profertur, dicentis:* Firmissimè tene, pe-

perire non posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad regnum cœlorum: nec quenquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam ulla posse ratione salvari. *Resp. Rectissimè contra illos hæc disseruntur, qui prædestinationem esse mutabilem docent, & dubiam electorum damnatorumvè inducunt vitam vel interitum: Minimè contra nos.*

Tertius *est l. de* corrept. *& Gratiâ c.* 12. *quo scribit:* Primo homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò sanctis regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur, scilicet tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine isto perseverantes esse non possent? Verùm etiam, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Non solum n. dixit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos & posui vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis ei non solum justitiam, verùm etiam in illo perseverantiam se dedisse monstravit. Christo enim sic eos ponente, ut eant & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere, forsitan non manebit?

bit? sine pœnitentia sunt enim dona & vocatio Dei, scilicet vocatio eorũ, qui secundum propositum vocati sunt. Pro his ergo interpellante Christo, ne deficiat fides eorum, sine dubio non deficiet usq; in finem, nec nisi manentem vitæ hujus invenit finem. *Resp. Electos omnes ad finem perseverare, licet non semper stent, jam pridem haud inviti dedimus: quin & per verbum Dei ac donã Spiritus Sancti illos perseverare, in confesso est. Adeoq; hæc contra illos, qui mutabilitatem divinæ electioni infarciunt, ut rectè urgeri possunt: Sic apostasia sanctorum ab Augustino non negatur, sed fortiter astruitur*

Quartus *ibidem legitur.* Ipse ergo nos faciet perseverare in bono, qui faciet bonos. Qui autem cadunt & pereunt in prædestinatorum numero non fuerunt. *Resp. disserit contra Pelagianos, qui homini ex sese vires perseverandi tribuebant. Quos refutat & nos cum illo.*

Quintus: subventum igitur est voluntati humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. *Respondimus, quantum sat est, supra.*

Sextus: Infirmos servavit ut ipso donante invictissimẽ, quod bonum est vellent, nec deserere invictissimẽ nollent. Dicente ergo Christo, rogavi pro te, ne deficiat fides tua, intelligamus

ei

ei dictum, qui ædificatur super petram. Atque ita homo Dei, non solum quia misericordiam Dei consequutus est, verum etiam, quia fides ipsa non deficit, qui gloriatur in Domino glorietur. *Resp. Agit de Electis, qui invictissimè ad metam decurrunt & apprehendunt, licet in ipsa via nonnunquam planè capiantur, fidemq; destruant.*

*Beda:* Nullus de his, qui ad vitam prædestinati sunt, perire in æternum potest. *Resp. consentimus. Nihil enim contra nos.*

*Atq; ita cernimus omnia* Augustini *loca de prædestinatis loqui, eosq; finaliter non excidere, confirmare. Quod ipsius verba, in initio capitis 13. prolata, testantur, scribentis:* Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei. *Nihilominus Electos eosdem fide ad tempus elabi, in eodem libro c. 12, ex quo Crocius sua tela contra nos prompsit, clarè confitetur:* Ipse itaque, *ajens*, dat perseverantiam, qui statuere potens est eos, qui stant ut perseverantissimè stent; vel restituere, qui ceciderunt: Dominus enim erigit elisos.

## LIBRI PRIMI CAPITIS noni examen.

*Capite hoc ultimo libri primi p. 77. instituit* Crocius *ex Calvinianarum Ecclesiarum, Academiarum & Scholarum, juxtaq; Lutheranorum*

*Theologorum scriptis & doctrina ἀδιαφθορίαν apostasiæ confirmare: Eoque fine non tantum multas Scholas & Academias, Calvinismo infectas, nominat, verum etiam Theologos vetustiores Calvinianos. Quibus quâ conscientia & pudore* Lutherum *(Christi fortassis Apostolos associaturus Beliali) commisceat, ipse viderit: Item* Brentium, Heshusium, Iacobum Heerbrandum, Selneccerum, *& inprimis* Chemnitium; *quin ipsam quoq; Formulam Concordiæ non sine dolo allegat, facta mentione* Libri de servo Arbitrio, *quo doctrina de libero arbitrio plene explicetur:* allegat, *ajo, ut sub durioribus Lutheri phrasibus suum venenum abscondat. De Calvinianis notum est eos tam horrendam fovere doctrinam. velle autem Lutheranos Theologos, qui istis semper contradixerunt, erroribus, illis associare, ut de consensu inter nos & illos in doctrina (qui nullus est) gloriari, & incautis suos errores instillare tutius possint, non est ferendum.*

*Etsi vero possemus isthæc, quæ sequuntur, sicco prætervire pede: tamen majoris claritatis causa, Theologorum, quos pro sua sententia laudat, videamus verba.*

Primo loco *sistit* Iohannem Brentium *Homil. 81. in cap. 10. Joh. scribentem:* Dicam quod plus est, nullum peccatum est adeo potens, quod queat ovem Christi à pastore suo separare. Hic enim

enim paſtor expiavit omnia peccata, & major eſt gratia Dei, quā Chriſtus impetravit, quā peccatū, quod quondā Deum ab hominib9 alienavit. *Reſp. Quid* Crocio *reponendum ſit, ex* Reſolutione *teſtimonij Johannitici c. o. liquet. Agit n. de prædeſtinatis ſanctis, quorum nullus finaliter perit. Deinde loquitur de raptu violento, quo nulla nos creatura, nec angelus, aut ipſe ſatan, nec peccatum poteſt auferre.* Illa, *quia Chriſti manibus ſubjecta ſunt*, Hoc, *quoniam Chriſtus ſua morte expiavit. Confer antecedentia apud Brentium, & hæc omnia erunt luce clariora.*

*Similiter* Homil. *ſua 56. docet, quæ ſint veræ Prædeſtinationis cauſæ, ac quomodo Chriſtianus ex ſua Electione ſe conſolari verè queat. Docetq́, eam non eſſe mutabilem, ac credentes, qui cum fiducia ſiant, ſalvari. Quod verum eſt.*

Tertius *locus eſt in eodem Evangeliſta fol. 506. quo ait:* Qui ſunt quos dat pater? Non ſunt niſi electi, Nam ex omnibus hominibus elegit Dominus aliquot in Chriſto, antequam jacerentur fundamenta mundi, teſtante Paulo Epheſ. 1. Et elegit Dominus Jacob, Eſau vero odio habuit, priuſquam nati fuiſſent. Itaq; quos ſic Pater ante orbem conditum prædeſtinavit, eos dat filio ſuo Domino noſtro Jeſu Chriſto. *Reſp. Oſtendimus ſupra eos, qui dantur Chriſto, non omnes eodē ſenſu dari. Electi enim ſpecialiter dantur, & certò*

*ſalvantur. Ad redimendum verò omnes homines datur; ad fidem & externum Eccleſiæ cœtum plurimi. Illi quod finaliter non credunt, non omnes ſalvantur.*

Quartò *cap. 18. Joh. citatur, ubi inquit:* Quod Chriſtus non pro mundo, ſed ſolum pro electis credentibus rogat horrendum auditu eſt. Nam & propter hanc cauſam mundus quotidiè in extrema pericula in mortem, infernum, adeoque æternam damnationem ruit: ſoli enim credentes, pro quibus Chriſtus oravit, in Chriſto, per orationem ejus omnia mundi & Satanæ mala vincunt. Mundus autem juſto Dei judicio traditus eſt in reprobam mentem, ac ſuæ libidini & manui derelictus eſt: Proinde, ut ſceleratè & præfractè vivit, ita horribili judicio condemnatur. *Reſp. Rectiſſime! Chriſtus enim ibi pro electis intercedit; idq; ſpecialiter.* Deinde: *Chriſti preces mundo denegatas, non eſſe cauſam ejus interitus, dicit Brentius: nec quaſi ipſius bona & meritum, non etiam mundo impio ſint acquiſita. Hoc enim ubiq; aſſerit: ſed contemptum & propriam ipſius malitiam & incredulitatem.*

*Nec* Selnecceri verba in Recitatione *incommoda ſunt, quæ pro ſe allegat* Crocius; *quibus inquit.* Licet Deus velit omnes converti & ſalvari, & non ſit in culpa, quo minus ſalventur, tamen prædeſtinatio & promiſſio univerſalis determinata

nata est ad credentes verbo, & referenda ad ordinem ab ipso Deo institutum, videlicet, ad omnes pœnitentes & verè credentes in Christum. *Nam 1. hic universalitatem Dei amoris & voluntatis divinæ, ac promissionum agnoscit erga omnes homines. 2. Promissiones verbi includere Christum, & fidem in ipsum, omniaq; ipsius beneficia 3. vitio hominum non credentium ista tamen determinari ad solos credentes. Quod* Crocius *non nisi hypocritico ore, de sua doctrina, in hoc negotio asseverare posset.*

*Non candidè quoq; cùm* Heerbrando *agit scribente:* Quod multi deficiunt, qui fidem habuisse dicuntur, sciendum est, eos temporaneam tantum habuisse fidem absq; vera animi regeneratione. Si enim, inquit Apostolus, fuissent ex nobis utiq; mansissent nobiscum. Et Luc. 8. v. 13. temporaneis multis, sine vera animi regeneratione, contingere gustum & intellectum verbi divini fortiter. *Nam 1. negat prædestinationis mutabilitatem: unde aliquanto durius est locutus. Neque tamen omnibus, qui aliquando crediderunt & rursus desciscunt, regenerationem denegare videtur, sed multis. Atq; sic nihil contra nos, quantum ad rem ipsam. 2. Clarius autem loquitur, & quid sentiat plenissime in* Compendio Theologiæ *explicat. pag. (mihi in edit. GL.) 515.) ubi ad quæstionem (* Desinuntnè electi excidere gratia Dei?)

*respon-*

respondet: utiq;. Hoc enim scriptura sacra testatur, non uno in loco solum, sed plurimis. Idq; testimonijs scripturæ probat. *Pag. 490. inquit:* Diligenter observandum, quod electio non sit ad absolutum aliquod Dei decretum alligata: sed ad ordinariam Dei actionem in verbo institutam.

*Nec* Chemnitius *p. m.* Crocio *assensum præbet, in aureo Libello (cujus titulus est,* Enchiridion.) *Verùm plane dissentit. Hoc enim dicit, credentes vitam æternam possessuros: incredulos damnationi subjacere; de quorum tamen salute ante obitum, non sit desperandum. At ex verbis subsequentibus quid de* Crociana *sententia statuat, liquet, p. 235. inquiens*: Procul dubio itaq; Deus ab æterno certissimè prævidit, præscivit, & adhuc novit, qui ex vocatis sint credituri, qui non; qui ex conversis sint perseveraturi, qui minus. Et p. 229: Ad eundem modũ multi benè ceperant, qui rursum prolapsi deficiunt & gratia excidunt, non quod Deus gratiam & donum perseverandi ipsis deneget, quia ipsimet sponte se à sancto mandato avertunt 2. Pet. 2. spiritum gratiæ contumelia afficiunt Heb. 10. v. 20. Eundem exacerbant Es. 63. v. 10. & contristant Eph. 4. v. 30. Satanæ vero demum domum adornant Luc. 11. v. 25. Confer inprimis *pag. 217. Quin p. 222.* reijcit absolutam & arcanam Calvinianam Electionem.

*Et*

Et vocationem esse universalem *p. 227. docet, inefficacemq; vocationem refellit p. 226. Adeoq; tantus est* Crocio *cum* Chemnitio *consensus, quantus agnis cum lupo.*

*Introducit postea* Heshusij *Tractatam* de Libero arbitrio. *Sed frustra; ut vel inspectio Libelli evincit. In fine cap. 3. verba ejus hæc sunt: Non enim omnes qui verbo illuminantur & primitias fidei degustant, retinent hanc datam salutem: sed multi rursus abjiciunt fidem, excutiunt Spiritum S. & excidunt gratia. &c. Licet verò in seqq. paulò durius loquatur, id non nisi propter Synergistas fit.*

*Non a. fuisse ipsum in* sententia Crociana *certè hæc ipsius verba in Epistolæ ad* Romanos comment. *fol. 99. cap. 8. clarius testantur, scribentis:* Aliud enim est cum quæritur: num credentes in Christum à fide deficere & gratia excidere possint: Et aliud cum quæritur, Num prædestinatus ad vitam æternam perpetuo perire possit: rursus aliud est cum quæritur, Num illi, qui externis sceleribus sese contaminant, verè placeant Deo? Quod primam attinet quæstionem, certum est multos egregia habere fidei initia, verum in ea non persistere usq; ad finem. De electis idem pronunciat fol. 99. inquiens: Hinc autem non est colligendum, quod hi, qui ruunt in peccata contra conscientiam, si fuut in numero Electorum placeant Deo. Similiter de ipsa electio-

ctione ejusq; causis & ordine *ipsum consule sobrie, non prædestinarie docentem ibidem p. 100. 101. 102. 104. & seqq.*

*Denique nec* M. Cyriacus Spangenbergius *absolutæ Electioni aut perseverantiæ assensum præbet, cujus neque paginam, nec locum ullum nominare quivit Crocius.*

*Quid autem sibi vult id? Aut qua fronte scribis*, Croci *p. 83?* Sed omnes in universum Lutheranæ Ecclesiæ, quæ Formam Concordiæ approbarunt, hanc sententiam cum Luthero defendunt. Ita enim Forma Concordiæ docet p. 784. Hoc negocium D. Lutherus in libro suo de servo arbitrio contra Erasmum egregiè & solidè explicavit, atq; sententiam hanc piam & invictam esse demonstravit. Postea in commentario illo præclaro, quem in genesin scripsit (præcipuè in explicatione 26. c.) eandem repetivit & declaravit. *Et quod p. 146. præter veritatem, præterq; conscientiæ dictamen refers* Croci? Non enim possunt (*Arminiani*) non videre præcipuas tam Lutheranas Ecclesias & Academias, quam nostras nostram de æterna Dei prædestinatione, hominis arbitrio, conversione, inq; fide perseverantia doctrinam tradere approbare, tueri: ac non nisi a nuper natis quibusdam Theologis impugnari, qui ex antiquitate in veritatis præjudicium corradunt, quicquid possunt.

Hor-

*Horrendum mendacium! videas etiam atq; etiam Crocii, ne in te quoq; quadret id Ciceronis?* Qui ſemel verecūdiæ fines eſt tranſgreſſus, eum poſtea gnaviter oportet eſſe impudentem. *Quoniā v. ad vetuſtiores noſtras Eccleſias, hodierna contemptā provocas, ex earum Theologorum & confeſſorum libris, contrarium ὀφθαλμοφανερως oſtendemus; & quidem* primò *de* Perſeverantia *Sanctorum.*

*Itaq; merito* Auguſtanam *proferimus* Confeſſionem, *quæ in Artic. XII. antitheſi ſic tonat:* Damnant *(confeſſores)* Anabaptiſtas, qui negant ſemel juſtificatos poſſe amittere Spiritum Sanctum. *Confeſſio variata Tremoniæ 1563 edita ſic habet:* Damnant & Anabaptiſtas, qui negant ſemel juſtificatos, iterum poſſe amittere Spiritum Sanctum. *Eadem variata, (quam Crocius ſe recipere fatetur) hæc habet c. 4.* Cæterum de hac obedientia (inchoata) etiam docemus eos, qui admittunt peccata mortalia, non eſſe juſtos, quia Deus requirit hanc obedientiam, ut reſiſtamus vitioſis affectibus. Qui autem non repugnant, ſed obtemperant eis contra mandatum Dei, & admittunt actiones contra conſcientiam, hi ſunt injuſti, & neq; Spiritum Sanctum, neq; fidem, id eſt, fiduciam miſericordiæ retinent.

4h. Formula cōcordiæ *Edit. Lipſ. 1612. p. 809:* Multi, inquit, quidē verbū Dei initio magno gaudio recipiūt ſed poſtea rurſus deficiunt: Ejus a rei cauſa

non

non hæc est, quasi Deus illos, in quibus bonum illud opus jam incepit, gratiam suam ad perseverandum dare nolit: Hoc enim cum Pauli verbis pugnat: Sed vera causa defectionis ipsorum est, quod sese à Sancto Dei præcepto rursus, & quidem petulanter avertunt: quod S. Sanctum contristant & exasperant: quod coinquinationibus hujus mundi rursus sese implicant, & Satanæ hospitium cordis sui adornant. Horum hominum posteriora deteriora fiunt prioribus.

*Pag. 812.* Dubium quidem non est, quin Deus exactissimè & certissimè ante tempora mundi præviderit, & hodiè etiam nôrit, quinam ex eorum numero, qui vocati sunt in Christum credituri, aut non credituri sint: qui ex conversis in fide perseveraturi sint, qui NON: &, qui in peccata gravia prolapsi, reversuri sint, & qui in sceleribus perituri.

Melanchton *Loco de* Bonis operibus: Quod autem excidant, & effundant fidem & Spiritum Sanctum, & fiant rei iræ Dei & æternarum pœnarum, quicunq; admittunt delicta contra conscientiam, id multæ sententiæ clarè testantur, Galat. 1. 1. Cor. 6. ubi nominatim Paulus hoc concionatur.

*Idem in* comment. 1. cor. 10. *ubi verba illa Apostoli tractat*, Qui existimat se stare, videat ne cadat, *scribit*: Quod autem in aliquibus, qui ini-

initia fidei habuerunt, & poſtea lapſi non redeunt, fides illa priuſquam excutitur, vera ſit, dictum illud Petri teſtatur, 2. Pet. 2.

*Loco* de Fide. Exempla cogitemus Saulis & Davidis, qui & beneficia, quæ recenſui (*illa ſunt creatio, patefactio Dei, miſſio filij, donatio verbi & Evangelij, donatio Spiritus Sancti, promiſſio vitæ æternæ, nutritio & defenſio corporis & animæ, depulſio Diaboli, literarum & vitæ doctrinæ oſtenſio, gubernatio divina in moribus & conſilijs, felicitas conſiliorum &c.*) tenuerunt ante lapſum, & poſtlapſum exuti bonis tantis, pœnas ſenſerunt, quas recitavi.

*Et Lib. 3.* Chron. *p. 56. Edit. Witteberg. anno 1560. ſcribit*: David liberè & volens, non coactus rapuit alterius conjugem, & poterat imperare externis membris, ne alienam attingeret, præſertim cum antea fuiſſet domicilium Spiritus Sancti. Poſſe igitur labi renatos oſtendunt exempla Pharaonis, Davidis, Petri & aliorum innumerabilium, quorum aliqui rurſus ad Deum convertuntur, ut Aaron, David. Reliqui ruunt in æternum exitium, non quod ſint ab alia materia orti, ſed ſuæ voluntatis malitia.

*Ex his duriores phraſes in Hypotheſibus ſive primis editionibus L. C. Philippi; imo etiam, quæ in poſterioribus alicubi occurrunt, explicari poſſunt & debent.*

Reformatio colon. *scripta à* Bucero & Philippo *cap. de Bonis operibus* : Quum peccatur, fiducia in Christum repellitur, gratia atq; vita æterna abijcitur, & actum est de salute hominum, nisi recepta fiducia Christi & depulsa omni aliena fiducia, homo se Deo in obedientiam penitus restituat. *Hæc verba &* Bertius Crocio objecerat ad quæ nihil respondet.

Confessio Saxonica *Articulo* X. de discrimine Peccatorum. Quum dictum sit, in renatis manere peccata, necesse est tradi discrimen. Nam ex dicto Luc. 11. vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi &c. Et ex similibus dictis manifestum est, aliquos renatos contristare & excutere Spiritum Sanctum, rursus abijci à Deo, ac fieri reos iræ Dei & æternarum pœnarum. Et Ezech. 18. scriptum est, Quum recesserit justus à justicia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea: & quum recesserit impius ab iniquitate sua, & fecerit justitiam, vivet in ea. Necesse est igitur, discerni peccata, quæ in sanctis in hac mortali vita manent, nec excutiunt Spiritum S. ab alijs peccatis, propter quæ homo rursus fit reus iræ Dei & æternarum pœnarum. Et Paulus Rom. 6. discernit peccatum regnans & non regnans. Crocius *infræ nihil habet, quod regerat, quam opponendo* confessioni Saxonicæ Helveticam. *Si autem altera*

*ha-*

*harum confessionum alteri est contraria, non erit verum, Lutheranas Ecclesias cum* Crocio & Calvinianis *facere: quod supra ipsum audacter asserere audivimus.*

Secundò: Electionis & Reprobationis articulo, *citius aquam & ignem reconciliabis, quam absolutum decretum Electionis & Reprobationis, & Electionem medijs certis & conditionibus inclusam & ordinatam. Sed audiamus de eo publicam nostrarum Ecclesiarum & statuum confessionem* in Formula concordiæ: *quæ p. 618. fatentur & docent* Electionem ad bonos pertinere, sicq; eorum salutis causa firma. Hæc Dei prædestinatio, inquit, non in arcano Dei consilio est scrutanda, sed in verbo Dei, in quo revelatur, quærenda est. Verbum autem Dei ducit nos ad Christum: is est Liber vitæ, in quo omnes inscripti & electi sunt, qui salutem æternam consequuntur. *Rursus*: Christus omnes peccatores ad se vocat, & promittit illis levationem. Et seriò vult, ut omnes homines ad se veniant; & sibi consuli & subveniri sinant. His se redemptorem in verbo offert. *Iterum*: De nostra igitur electione ad vitam æternam, neq; ex rationis nostræ judicio, neq; ex lege Dei judicandum est: ne vel dissolutæ & epicurææ vitæ nos tradamus, vel in desperationem incidamus. Qui enim rationis suæ judicium in hoc negocio sequuntur, in horum cordibus hæ

pernitioſæ cogitationes (quibus ægerrimè reſiſtere poſſunt) excitantur: Si (inquiunt) me ad æternam ſalutem prædeſtinavit, non potero damnari, quicquid etiam deſignavero. &c. *Pag. 619.* vera igitur ſententia de prædeſtinatione ex Evangelio Chriſti diſcenda eſt; in eo enim perſpicuè docetur, quod Deus omnes ſub in credulitatem concluſerit, ut omnium miſereatur, & quod nolit quenquam perire: Sed potius ut omnes convertantur & in Chriſtum credant.

Qui igitur voluntatem Dei revelatam inquirunt, eoq; ordine progrediuntur, quem D. Paulus in Epiſtola ad Romanos ſecutus eſt, (qui hominem prius deducit ad pœnitientiam, ad agnitionem peccatorum, ad fidem in Chriſtum, ad obedientiam mandatorum Dei, quam de æternæ prædeſtinationis myſterio loquatur) eis doctrina de prædeſtinatione Dei ſalutaris eſt, & maximam conſolationem affert.

Quod verò ſcriptum eſt: multos quidem vocatos, paucos vero electos eſſe: non ita accipiendum eſt, quaſi Deus nolit, ut omnes ſalventur: ſed damnationis impiorum cauſa eſt, quod verbum Dei aut prorſus non audiant, ſed contumaciter contemnant, aures obturent & cor indurent, & hoc modo Spiritui Sancto viam ordinariam præcludant (*quod* Crocius *negat fieri poſſe*) ut opus ſuum in eis efficere nequeat: aut cer-

certè quod verbum auditum flocci pendant, atque abijciant. Quod igitur pereunt, neque DEUS, neq; ipsius Electio, sed malitia eorum in culpa est.

Pag. 621. Reijcit concordia istum errorem: Quod nobis Deus ut omnes salventur: Sed quod quidam, non ratione peccatorum suorum, verum solo Dei consilio, proposito & voluntate ad exitium destinati sint, ut prorsus salutem consequi non possint. *Quem errorem esse Calvinianorum, ipsorumq; adeò* Dordrechtanorum *quis ignorat?*

*Pag. 799.* Æterna vero Electio Dei non tantum prævidet & præscit electorum salutem, sed ex clementissima Dei voluntate & beneplacito in Christo Jesu CAUSA est, quæ nostram salutem, & quæ ad eam pertinēt, procurat, efficit, juvat, promovet. Et quidem in ea divina prædestinatione æterna nostra salus ita fundata est, ut etiam inferorum portæ adversus eam prævalere nequeant.

*Pag. 800.* Et hæc sane æterna electio seu ordinatio Dei ad vitam æternam, non nudè, in arcano illo cœlesti & imperscrutabili Dei consilio consideranda est: quasi ea nihil prætera complectatur, aut ad eam requiratur, aut in ea meditanda expetendum sit, nisi hoc: quod Deus præviderit, quinam & quot homines salutem

sint consecuturi: & qui, atque quam multi in æternum sint perituri: aut quasi Dominus militarem quendã delectum instituerit, atq; dixerit aut statuerit: hic salvandus est, ille vero damnandus: hic ad finem usque in fide constans perseverabit, ille verò non perseveraturus est.

*Pag. 803.* Hæc Omnia secundum scripturam in articulo prædestinationis & æternæ electionis divinæ ad adoptionem in filios, & ad æternam salutem, comprehenduntur: Universa illa (*nimirum* decretum generis humani redimendi per Christum: Christus, ipsius meritum ac beneficia per verbum & sacramenta oblata: fidei donatio & conservatio: sanctificatio, conservatio, & glorificatio) de quibus diximus, sub hoc articulo complecti debemus: nec quicquam horum excludendum aut omittendum est, quando de proposito Dei, prædestinatione, electione & ordinatione ad vitam æternam agitur.

*Quid autem Crocius in Libro* B. Lutheri de Servo Arbitrio *præsidij quærat miror, qui ipsum planè humi sternit. At* Crocius *hîc fide agit Punica & Calvinistica, cum quæ citârit verba, non sine fall. divisionis, citarit. Sic in Formula concordiæ in verbis quæ* Crociana *antecedunt, inquit p. 667.* in his verbis (ex Majori confessione recitatis) D. Lutherus piæ sanctæq; memoriæ libero nostro arbitrio prorsus nihil virium tribuit, quibus se homo ad justitiam præparare aut eã quærere possit, contra vero

vero docet hominem excæcatum & captivum tantummodò voluntati Satanæ parere, & quæ Deo displicent facere. Quare non est in hoc negocio somnianda illa cooperatio voluntatis nostræ in hominis conversione. Etenim necesse est ut homo divinitus trahatur, & ex Deo renascatur: aliàs nulla in cordibus nostris cogitatio est, quæ â seipso ad Evangelium amplectendũ sese convertat. Hoc negocium D. Lutherus in Libro suo de servo arbitrio contra Erasmum, egregiè & solidè explicuit, atq; sententiam hanc piam & invictam esse demonstravit. Postea in commentario illo præclaro, quem in Genesin scripsit (præcipuè in explicatione 26. capitis) eandem repetivit & declaravit. Eo loco etiam alias quasdam peculiares ab Erasmo motas disputationes (ut de absoluta necessitate &c.) attigit: & quomodo (*arrige aures Croci*) ea intelligi & accipi vellet, contra omnes sinistras (de absoluto *decreto electionis & reprobationis: de necessitate*) suspiciones & corruptelas, pia explicatione optimè munivit. Ea hic repetita esse volumus: & ut, diligenter legantur, omnes hortamur.

*Quoniam porrò* Crocius *facit mentionem capitis 26 commentarij* B. Luther in Genesin, *attendat num vel una syllaba, unumq; vocabulum pro se faciat in toto illo capite. Observemus autem nos ipsos*

*isthæc verba Lutheri, quibus contra Crocium, alios q; Prædestinarios divino instinctu, nos præmonet, inquiens:* Libet a. ex hoc loco captare occasionem disputandi de dubitatione, de Deo & voluntate Dei. Audio enim spargi passim sceleratas voces inter nobiles & magnates de Prædestinatione sive præscientia divina. Sic enim loquuntur: Si sum prædestinatus, sive benè sive malè egero, salvabor. Si non sum prædestinatus damnabor, nulla ratione habita operum. Contra has impias voces libenter multis disputarem, si possem per incertam valetudinem. Quia si veræ sunt voces, ut ipsis quidem videtur, tum planè tollitur incarnatio filij Dei, passio, & resurrectio, & quicquid fecit pro salute mundi. Quid proderunt prophetæ ac tota sacra scriptura? Quid sacramenta? Abijciamus ergo & conculcemus ista omnia: *Ibidem*: Ac initio quidem statim Deus voluit occurrere huic curiositati. Sic enim suam voluntatem & consilium proposuit: Ego tibi præscientiam & prædestinationem egregiè manifestabo, sed non ista via rationis & sapientiæ carnalis, sicut tu imaginaris. Sic faciam: Ex Deo non revelato fiam revelatus, & tamen idē Deus manebo. Ego incarnabor & mittam meum filium, hic morietur pro tuis peccatis, & resurget à mortuis. Atq; ita implebo desiderium tuum, ut possis scire, an sis prædestinatus, annon. Ecce

hic

hic eſt filius meus, hunc audi, hunc aſpice jacentẽ in præſepio, in matris gremio, pendentẽ in cruce. Vide quid is faciat, quid loquatur, ibi me certò apprehendes. Qui enim me videt, inquit Chriſtus, videt & patrem ipſum. ſi hunc audieris, & in nomine ejus baptizatus fueris, & diliges verbum ejus: tum certò es prædeſtinatus & certus (*En! quantum* Crociana *perſeverantia & prædeſtinatio abſoluta à Lutheri differt!*) de ſalute tua. Si verò maledicis aut contemnis verbum, tum es damnatus: quia qui non credit, condemnabitur. *Rurſus:* Vos igitur, qui nunc me auditis, meminerittis me docuiſſe, non eſſe inquirendum de prædeſtinatione Dei abſcondita (*abſoluta; quæ merum & ſolum Dei beneplacitum ſit, Acta* Dordrechtana p. 347.): Sed in ea acquieſcendum eſſe, quæ revelatur per vocationem & miniſterium verbi. Ibi enim de ſalute tua potes certus eſſe, & dicere, Ego credo in filium Dei, qui dixit, qui credit in filium, habet vitam æternam. Ergo non eſt in eo damnatio aut ira, ſed beneplacitum Dei patris. Hæc eadem autem alibi quoque in meis libris proteſtatus ſum; & nunc viva voce trado: ideo ſum excuſatus.

*Atq; ibidem* Lutherus *prædixit, multos prodituros, qui ſuis libris abuſuri ſint, & tantum exempla & loca* de Deo abſcondito *jactaturi, miſ-*

*sis de Deo & revelata electione, clarissimis. Quibus sese jam aggregat* Crocius.

*Idem* M. Lutherus *in Enarratione Evangelij in* Festo Matthiæ *super hæc verba* (Gratias ago tibi Pater, Domini cœli & terræ, quod hæc absconderis à sapientibus & revelaris parvulis) Hæc verba, *inquit*, non sic oportet accipere, quasi culpa interitus in Deo esset, & quasi aliquibus Evangelij doctrinam invideret. Est enim hujusmodi Deus, qui vult omnes salvos fieri, proinde filium suum mittit, non uni aut alteri seorsim (*aut absolutè electis*) sed toti mundo Joh. 3. sic Deus dilexit mundum &c. *Et contionem* de filio suo, non in hoc vel illo loco privatim, sed publicè in universo mundo finit annunciari, ut palam cernatur, quod libenter cupiat, ut omnes eum amplectantur, credant, & salventur.

*Hactenus* Lutherus, *cui contradicens* Crocius *p. 109. ex* Musculo *quosdam absolutè reprobari scribit. Item universa synodus* Dordrech. *p. 547. adeoq; ipse* Crocius *p. 349.*

*Negant enim Calviniani Christum pro omnibus mortuũ, omnes efficaciter vocare & velle omnes salvos fieri, ut testatur* Acta *p. 594. 595.* Si Deus serio vult, dicentia, omnes salvos fieri, tum nõ est reprobatio sed reprobatio est. Ergo &c: *Item:* Si Deus vult omnes salvos fieri, tũ omnes efficaciter voca-

ren-

rentur, justificarentur, glorificarentur. *Acta p. 595.* Brittanni *p. 608. Thesis Tertia, inquiunt,* heterodoxa *(est)* Christi mortem impetrasse omnibus hominibus restitutionem in statum gratiæ & salutis. Palatini p. 611. Hassi. *p. 618. 619.* Martinius *p. 643.* Ipse Crocius *p. 656.* Christus de consilio & voluntate sua pariter ac patris sui, morte & passione sua omnes ac singulos credentes eosq; solos actu Deo reconciliavit, & in sinum ejus restituit: impœnitentibus, in incredulitate ad finem pertinaciter commanentibus, aut precium mortis Christi contemptim habentibus, & in Spiritum Sanctum peccantibus, neq; actualem reconciliationem cum Deo, neq; remissionem peccatorum & vitam æternam acquisivit & impetravit. Damnat thesi 7. ut dogma scripturæ cõtrarium: Intentionem Dei filium in mortem tradentis fuisse, absolutè omnibus conferre salutem. 8. Precium redemptionis Christi esse efficax ad reconciliandos Deo actu omnes homines. 9. Deum omnes & singulos homines ex æquo dedisse Christo redimendos & servandos.

Luthero *adjungimus* Philippum Melanch. *qui, licet in* Locis communibus *sive Hypothesibus L.C. aliquanto durius videatur loqui; idq; ipsi in* comitiis Augustanis *de anno 1530. sit à Pontificijs objectum quemadmodum & Luthero: qui de suis prioribus scriptis* in Tomi primi præfatione cum Au-

Augustino fatetur, se ex illorum esse numero, qui scribendo proficiunt ) *tamen in* Articulo XVIII. Augustanæ confessionis omnem necessitatem & XIX. peccati causam à Deo clarissimè, removet.

In confessionis variatæ, ( *quam Crocius se amplecti fatetur, ac proinde suos Augustanæ C. Socios esse clamat* ) *Articulo XX. Tit. de Fide scribitur:* Et sicut universalis est pœnitentiæ prædicatio, ita & promissio gratiæ universalis est, & omnes credere jubet, & accipere beneficium Christi, sicut Christus inquit: Venite ad me omnes, qui onerati estis. Et Paulus ait: Dives est in omnes &c. *Et rursus infrà*: Hæc sententia firmam consolationem perterrefactis conscientijs affert. Et quam necessaria sit Ecclesiæ, peritæ conscientiæ facilè judicare possunt. Et nihil habet absurdi, nihil perplexum, nihil sophisticum. Non est hic opus disputationibus de Prædestinatione & similibus. Nam promissio est universalis, & nihil detrahit operibus, imò excitat ad fidem & verè bona opera.

*Clarissimè* Calvinianos *damnat in L. C de* Prædestinatione *non procul à fine, inquiens:* Removeamus à Paulo Stoicas disputationes (De Deo sedente in cœlis & scribente *fatales leges*, quasi in tabulis Parcarum ) quæ fidem & invocationem evertunt. Quomodo enim potest Saul credere

dere & invocare, cum dubitat promissionem ad se pertinere, aut cum obrepit illa tabula Parcarum? Jam decretum est, te reijciendum esse, non es scriptus in numero electorum. Adversus imaginationes has discamus voluntatem Dei ex Evangelio, agnoscamus promissionem esse universalem, ut fides & invocatio accendi possit.

*Vides igitur*, Croci, Lutheranos *veteres in suis*, tam *publicis scriptis & confessionibus*, *quam* viva voce & praxi ab hodiernis ne latum quidem unguem discedere. Neq; id tantum docere, verum & tua figmenta & paradoxa de fatali & absoluta Perseverantia, *absoluta* electione & Reprobatione, particulari morte & merito *Christi Solos Electos concernente, fortiter elidere & ex Ecclesijs proscribere.*

*Ut tamen quorumvis oculis hæc magis pateſcant*, Calvinianam *doctrinam de* Prædestinatione, libero Arbitrio, ac Perseverantia; deq; universalitate voluntatis Dei, meriti Christi & vocationis, *breviter cum nostra conferemus, & per thesin & antithesin opponemus. Igitur*

I. Protestantium Theologi *& Ecclesia docent, Electionem non nisi bonos concernere, eoq; unam duntaxat esse.* Calviniani *geminam comminiscuntur*: alteram *ad vitam*, alteram *ad mortem*, *quam recentiores Prædestinarij non-Electionem vocitant.*

II. Cal-

II. Calviniani *Electionem absolutam, qua sit merum & absolutum Dei beneplacitum, quo paucos ad vitam æternam prædestinarit, docent, cui Christus, ipsius meritum, & fides in ipsum non includatur, sed excludatur :* Lutherani *in Christo & ipsius fide electionem determinatam credunt.*

III. Protestantes *ex absoluta electione neminem erigi ac de salute certum esse posse, probant; cum fidem & invocationem, teste* Melanchrone, *impendiat, adeoq; totam doctrinam fidei & Christianismi evertat.* Calviniani *confugiunt ad motus internos, qui revera nihil nisi raptus & deceptio, reliquis exclusis salutis testibus, evadunt illis.*

IV. Deus Calvinianus *prius constituit, quos esset electurus, ac postmodum, ut misereri illorum posset, sivit eos labi ac Christum misit. Hæc* multorum *apud Calvinianos est sententia* Protestantium *autem & verus ac sanctus Deus, omnes homines ad vitam æternam creavit, & cum videret lapsuros, omnium est misertus, misso & dato Christo pro omnibus ; ac credituros in illum ad finem elegit.*

V. Deus Calvinianus *reprobos absolute, non ob ullum peccatum, sed quia ipsi ita placuit, reprobavit ab æterno, in suo abscondito & æterno decreto, non tamen absolutè, sed ob peccata & meritum Christi rejectum ( cui tamen, ut pro ipsis non præstito : indeq; fide & Spiritu Sancto ipsis denegato, credere nequeant, ) damnat.* Verus *ille Deus & justus,*

justus, reprobos ob solam incredulitatem, ab æterno reprobavit, & damnavit, ac damnat Johan. 3. v. 18.

VI. Secundum Protestantes meritum Christi est universale, omnes omninò in mundo homines concernens: secundum Calvinianos verò non nisi absolutè electos: quo gratiam Dei abundantissimam & latissimam in arctissimos angiportus constringunt, & angulos coarctant.

VI. Fidem ajunt & bona Christi esse ita propria electorum, ut impijs nullis dari debeant: & tamen Deus Calvinianus illis offert, proponit, jubet uti & credere: secundum Lutheranos Christus fidem vult omnibus dari, omnibus sua bona exhibet, quod omnibus sunt acquisita.

VII. Secundum Protestantes omnes ad vitam æternam & gratiam in Christo acquisitam, seriò vocantur, quod Deus omnes salvari & converti velit. Secundum Calvinianos non omnes vocantur; & reprobi tantum mandato & præceptotenus, vocantur; quod beneficia Christi ad illos non pertineant.

VII. Calviniani duplicem Dei comminiscuntur voluntatem: alteram absconditam, qua paucos velit salvari: alteram revelatam, qua omnium salutem non modò vult, sed etiam se velle jurat.

IX. Indeq; fingunt geminam vocationem: alteram

ram *seriam & efficacem, quâ Electi invictè & efficaciter trahantur*: alteram *inefficacem, qua Deus quidem omnibus verbum præcepto tenus ad salutem proponat ad credendum, nec tamen Spiritum Sanctum, & fidem dare, ut credant, velint, nec credere possint.* Hæc *proinde externa est illusio & simulatio impijs facta*: *illa est violentus & necessarius raptus & tractio.*

X. *Hinc secundum* Calvinianos *nullus conversorum potest excidere gratia Dei: Sed vi & voluntate Dei immutabili in eâ perstant: secundum* Scripturam & Lutheranos *possunt renati excutere Spiritum Sanctum, fidem, & dona spiritus amittere & tandem, nisi convertantur, damnari.*

XI. Calviniani *Pelagianum esse censent, si quis dicat, aut renato innatas vires tribuat, fidem abijciendi & à Deo sese avertendi.* Protestantes *verò ejusmodi homines, qui id negant, castris* Manichæorum, *jovinianistarumq; valde vicinos evincunt.*

XII. Calvinianis *nullum peccatum, nulla cædes, nullum homicidium, adulterium, scortationes, idololatria; nullumq; id genus aliud, si à renato committatur, est regnans peccatum: Sed levitatis, infirmitatis, aut ignorantiæ: adeoq; ista cum fide, gratia Dei & vita possunt consistere peccata*: Protestantes *ex scriptura contrarium testantur.*

*Ex his & similibus videat & contempletur* Cra-

Crocius, *si Christiano candore & veritate uti voleï, quam procul à nobis; imò ab ipsâ veritate divortium fecerit; ac vel redeat ad nos, vel in posterum consensum, qui nullus est, inter se & Augustanæ Confessionis Socios, Theologos & Ecclesias, prætendere, & ad eam provocare desinat.*

Finis Examinis libri primi, & capitum priorum quatuor libri secundi.

## Examen trium posteriorum capitum Libri secundi; & quidem primò capitis. V.

HActenus Librum primum *Crocij, una cum Testimonijs scripturæ, in capitibus quatuor prioribus* Libri Secundi *explicatis, vel potius depravatis, percurrimus, & quid amussi divinarum scripturarum in ijs consonum, quid dissonum sit, aliquanto prolixius ostendimus: Restat nunc primo loco, ut argumentum Crocianum à ratione deductum consideremus, & quo loco habendum sit, indicemus.*

*Petit autem istud* ab absurdo, apostasiæ possibilitatem consequente, *ita argumentans:* Qui semper possunt excidere gratiâ, & fidem suam deserere, ij nunquam possunt esse certi de salute sua. Atqui sancti semper possunt excidere

gratia, & fidem suam deserere. Ergo sancti nunquā possunt esse certi de sua salute. Itaq; (*pergit*) nutabunt semper, semper arundinis instar vacillabunt. Absurda est conclusio. Absurda igitur aliqua ex præmissis. Non propositio Major. &c:

*Resp. 1. Supra indicatum esse, certitudinem salutis sanctorum, non uno tantum discrimine, sed potissimum triplici spectari.* Alia *enim certitudo est absoluta, quæ ex parte angelorum & hominum, quoq; immutabilis est: Hominum puta in fide defunctorum, qui cœlestem accesserunt Hierusalem. Atqui ne* Crocius *fingi à me clamitet, eam certitudinem ipse Augustinus Lib. de* corrept. & Grat. *c. 3. agnoscens, inquit:* Tunc, quod jam est in angelis, etiam in hominibus erit, quando ulla superbia esse non potest. *Tradit &* Apostolus *eandem 1. Cor. 15. v. 52. 53. 54. 1. Thess. 4. v, 17.* Altera est Calvinistica & prædestinaria, *ex absoluto, & mero Dei decreto & beneplacito æterno, ut causa principali electionis absolutæ, fluens; ac deinceps meritum Christi, preces & intercessiones, quibus nemo electus, quin trahatur, resistere queat, cum robore ejusdem ad dexteram Dei sedentis, includens. Quam supra plenius descriptam contemplatamq; jugulavimus.* Tertia *est hominum sanctorum, in Ecclesia militante in terra degentium, qui, etsi nō angelica & glorificatorum gaudent certitudine & libertate: nec stoica & fatali Prædestinaria nituntur:*

*veræ*

vera tamen Christiana muniuntur ex parte sui; regimen & Spiritus Sancti ductum sequuntur: ex parte autem Dei voluntatis planè immutabili, qui fidelis est, & fœdus & vocationem non vult mutare. Qualis autem & quanta & quibus fundamentis superstructa sit, ex superioribus liquet. Si placet his addere quartam, quæ Dei, adeoq; ipse Deus est; sanè ea tum immutabilem divinam voluntatem, misericordiam, bonitatem, scientiam, æternitatem, incomprehensibilitatem, veritatem, sanctitatem &c. tum æterna & immutabilia ipsius decreta, quorum pars certis conditionibus, ordini ac medijs est inclusa, ut illis impletis fiant, secus non item: qualia sunt quæ hominum salutem concernunt. Certitudo autem illorum, respectu Dei, ab ipsius immutabili præcognitione dependet. Pars absolutæ voluntatis, ut non possint non necessario & immutabiliter impleri.

2. Jam, quod Propositionem syllogismi Crociani attinet, si primo aut secundo modo (Nam quarto non velle arbitror) certitudinem sumat, negamus Deum sanctos ejusmodi certitudine velle frui, qua ad securitatem redigantur: bonumq; eorum, qui in cœlesti vivunt patria, cum bono viatorum permisceatur. Qui enim ejusmodi gaudent libertate & certitudine, non amplius cum tremore & timore salutem operantur: quam se nulla ratione amissuros norunt. Atqui vero scriptura

*reclamat, ac sanctis eam denegat Heb. 3. v. 12. 13. Phil. 2. v. 12. Quin frustra, stante ἀδυναμία defectionis, adhortaretur Christus & Paulus sanctos ut starent, ut perseverarent; frustraq; & falso exẽpla sanctorũ à fide sua lapsorum in scriptura describerẽtur ac proponerẽtur. Et hoc dicentes à veteris Ecclesiæ dictamine, ne latum quidem pedem, distamus, sed ex asse consentimus. Sic enim* Augustinus *lib.* de corrept. & Gratia c. 13: Quod autem, ait, etiã perseveraturis sanctis sic ista dicuntur, quasi eos perseveraturos incertum; non aliter hæc accipere debent, quibus expedit non altũ sapere, sed timere. Quis enim ex ista multitudine fidelium quandiu in hac mortalitate vivit, in numero prædestinatorum se esse præsumat? quid id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio. *Et rursus ibidem:* Propter hujus utilitatem secreti, ne forte quis extollatur, sed omnes, etiam qui benè currunt, timeant, dum occultum est, qui perveniant: propter hujus ergo utilitatem secreti credendum est, quosdam de filijs perditionis, non accepto dono perseverandi usque ad finem: in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere, & aliquandiu feliciter & justè vivere, & postea cadere, neq; de hac vita priusquam hoc esset, contingat auferri. Quorum si nemini obtigisset, tandiu haberent homines saluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur,

tur, donec ad Christi gratiam, qua piè vivitur, pervenirent, deinceps jam securi nunquam se ab illo esse casuros. Quæ præsumptio in isto tentationis loco non expedit, ubi tanta est infirmitas, ubi superbiam possit generare securitas. *Iterum, cap. 16.* Quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes salvos velle debemus.

III. Resp. Non ullam monstrari posse consequentiæ rationem; *quod, si* perseverantia suis immotis & indubijs suffulta sit conditionibus, non necessarijs & fatalibus raptibus; ipsa certa non sit. *Sanè Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli prædicarunt, & fide apprehenderunt Deum, in qua conditionatè, sed firmiter tamen, manserunt & perseveravunt. Multò minus quis* Logicè *doctus inficiari quibit: ibi esse veram aliquam certitudinem, ubi est conditionata; cum ab esse tertij adjecti ad esse secundi, indubiè includatur.* Deinde: *propositiones conditionatæ non sunt planè indubiæ & incertæ, sed conditione præstita, immutabiliter veræ & certò implendæ. Neq; n. conditio est impossibilis, sed ductui Spiritus S. obtemperanti possibilis.*

*Neq; probatio* Grocij *ullius est pretii p. 137.* Qualis est causa, talis effectus: & certitudo salutis dependet à certitudine gratiæ & fidei, quarum illa est salutis causa princeps, hæc verò instrumentalis. *Nam subsumo, Gratiã Dei non esse absolutam,*

tam, sed certis mediis & ordini inclusam. Nec fidem esse absolutam, sed quæ impediri ab hominibus possit, qui colligi nolunt, consiliumve Dei spernunt, aut Spiritui Sancto resistunt.

De loco Esa. 54. v. 10. quem Crocius p. 137. pro se allegat, supra egimus. Nec terret argumentum inde hauſtum. Firmum est fœdus Dei. Ergo & fœderis conditiones: benignitas ex parte Dei, fides ex parte hominis. Qui firmum præstat fœdus, idem firmat ejus conditiones, benignitatem & fidem. Dominus miserator noster firmum præstat fœdus. Ergo firmat quoq; ejus conditiones. *Nam* 1. Major *omissa est falsa. Qui n. firmat & icit fœdus cum aliquo, non ilicò omnes conditiones ab altera parte præstat & firmat; idq; ita quidem, ut illa nec repugnare, nec rumpere fœdus possit. Nam ejusmodi fœdus nullum*, aut *politicum, aut Theologicum datur. Neq; etiam fœderis nomine gaudere posset, sed potius coactionis, violentivè raptus cum juramento promissionibusq; conjuncti* Accedit, *licet fœdus nostrum cum Deo sit hujusmodi, ut Deus gratiam nobis acquirat, efficiat, imò obsignet applicetq;: adeoq; solus & totaliter salutem in nobis operetur: non tamen contumacem resistentiam tollit, aut virtutem, ut non possimus resistere, operatur. Vidit hanc veritatem ipse* Musculus *in L. C. Tit. de* Remission. Peccatorum p. 621: quem sic *scribentem* Crocius *audiat, nos non au-*

*auditurus.* Discernendum est inter eam gratiam Dei, quæ multos habet annexas conditiones, qualis est, quod Deus solem finit oriri super bonos & malos, & eam quæ conditionaliter confertur, ad quem modum peccatorum remissio nobis contingit. Posterior hæc, licet in Deo sit constans & firma, nostro tamen vitio irrita redditur, dum conditionibus illis non stamus. *3. cæterùm, si tamen argumentum in dextero proponeretur sensu, totum daremus. Nam ut firmissimum est, fœdus gratiæ divinæ, ita & conditiones fœderis: eoq; ut est benignitas immota & immutabilis ex parte Dei, sic fides ex parte hominis acceptata, firmiter conservetur: quid impediret, quo minus salus esset certa? Tam enim firma est, quam fides, in qua filiali fiducia stare sibi proponit.*

*Quod fidei certitudo, (absoluta perduratio, & tractio semel data, dicere debuisset) sit indubia* Crocius *ib. ex Epistola ad Rom. c. 5. v. 2. ita colligit:* Per quē etiam fide adducti sumus in hanc gratiā in qua stamus & gloriamur sub spe gloriæ Dei. Qui stat in gratiâ immutabili & firma Dei gloria, is excidere gratiâ & deserere fidem nequit. Atqui credentes stant in gratia Dei firma & immutabili. Ergo &c. *Resp. 1. Locum Rom. 5. supra, quantum satis est, enucleavimus. 2. Crociana* propositio *ex illo oraculo non fluit, sed infertur ei. Nam stamus in spe per gratiam Dei, sed ita, ut deserta*

*gratiâ, excidere poſſimus. Rom. 11. v. 22. 1. cor. 10. 12.* Deinde, aliud *eſt gratia Dei firma & immutabilis*, aliud *item conſervari, & neceſſitate immutabili in ea teneri. Sancti ſtant quidem in gratia Dei immutabili, ſed mutabiliter. Quamvis enim illi peccent & labantur, ipſa tamen gratia non mutatur Dei: qui tota die extendit manum ad populum inobedientem: Homines v. contemnunt conſiliũ Dei, cujus nihilominus gratia recipiendi illos in fœdus permanet. Idcirco probandum erit tibi,* Croci, *nos ita in gratia conſervari, ut peccantes & gratiam abijcientes cum maleficis, ſupra recenſitis, non excidamus eâ. Tu quidem dicis, quid Deus velit & faciat ex ſua parte: quid a. faciat & quomodo ſeſe gerat homo, tacitus præteris. Veruntamen, 3. quid documenti affers, ad tuam quæſtionem probandam? Quodnam medium? Probare debebas renatorum fidem perſeverantiamq; eſſe immutabilem: at verò argumentum, pro Dei gratiæ erga nos, in hac vita, immutabilitate, exhibes.*

Dicas, *fidei immutabilitatem ex gratia immutabili promanare; quia qualis eſt cauſa, talis ſit effectus. At reſpondeo, id cum grano ſalis accipias neceſſe eſt. Quanquam enim Dei voluntas, gratia & fides, ex parte & conſilio Dei, eſt univerſalis,* tam *ratione temporis,* quam *hominum, ut exhibere eam & largiri omnibus velit Eſa. 64. v. 16. Rom. 5. v. 18. & ſeqq. Act. 17. v. 31.* tamen ratione applicatio-

cationis, *vitioq; hominum non credentium, hæc omnia fiunt particularia.* Tandem: *nec ubiq; est canon iste Logicus verus, nisi in essentialiter subordinatis ac propriis: in accidentalibus minimè. Velut non sequitur; Deus creans est æternus. Ergo & creatura. Pater est homicida: Ergo & filius. filius est impius: Ergo & parens, aut: Parens est illius impietatis causa.*

*Regerit* Crocius *p. 138. 139.* salutem & perseverantiam, esse Ens quoddam absolutum à se non statui, sed permittere, quod sit conditionatum. Additam tamen esse saluti conditionem immutabilem, qua, cui semel fides vera legatur donata, is nunquam abjecerit eam. *Resp 1. Miror* Crocium *negare se salutem & perseverantiam inducere nobis absolutam.* Qui enim absolutè est electus; pro quo ita satisfecit Christus, ut non possit non credere: ita Christus intercessit, ut ster in æternum: ita suo firmissimo robore sustentat, in fide, ut nunquam elabatur: ejus salus & perseverantia non est conditionibus annexa: verùm absoluta & simpliciter immutabilis. Atqui Calvinianorũ Electorũ salus & perseverantia, testibus Crocianis fulcris talis est, p. 48. Ergo non est conditionibus annexa, verum absoluta & simpliciter immutabilis. *2. Si tamen vocem absolutæ perseverantiæ odisti & fugis, fatalem, aut*

stoicam, juxta Melanchtonem, aut necessariam & immutabilem, vocites.

*Pag. 139. observamus auream* Crocij *confessionem scribentis:* Non quidem in negocio salutis nobis licet esse otiosis, sed acti Dei spiritu ipsi quoq; agimus. *Quæ verò sequuntur obscura & ambigua sunt:* Non tamen ex eo colligendum est, Deum nobis comitatum suum & assistentiam suam, ex hac conditione suspendere, si priorem gratiam apprehendamus. Id nimirum est arbitrio nostro relinquere. *Nam si quis hæc liberi arbitrij viribus adscribere vellet, nosq; gratiam apprehendere robore innato posse pugnaret: ne cum Pelagio & ipsius sequacibus idem traheret jugum. Si verò quis sub* Pelagianismi *prætextu, homini non-renato vires gratiæ divinæ contemnendæ, Spiritui S repugnandi: aut renato abijciendi denegaret: aut quod Spiritui Dei, in ipso operanti & ducenti ipsum, cooperari ex viribus spiritus non posset: is vitaturus Charybdin* Pelagianam, *in* Manichæam, *aut etiam jovinianam incideret scyllam. Cautè igitur hîc navigandum erit nobis, cauteq; duBus spiritus, in omnem veritatem ducentis, sequendus est, ne in alterutrum extremorum præcipitemur. Tamq; detestanda est* Pelagiana *sive totalis sive partialis* Arminianorum *virium innatarum elatio, quæ per externam suasionem excitare posint: Quam cũ* Augustana confessione & Formula concordiæ homi-

*homini in spiritualibus præscindimus & denegamus omnem: Quam voluntatis coactio* Manichæa, aut Prædestinarius *raptus & fatalis immutatio.*

*Non igitur sana sunt, nec τῶν ὑγιαινόντων λόγων ista* Crocij *verba servant p. 140:* Quos Deus gratia sua prævenit, eos omninò aptat ad apprehensionem: & quos comitatur Deus, ij non possunt officium suum negligere, ac deserere Deum. Urget enim eos & juvat favorabilis præsentia, non morali solum suasione, uti sophistæ garriunt, sed efficacissimâ virtute sua voluntatem eorum in bonum flectendo, in ejusdemq; amore sic retinendo, ut nunquam illud exosi penitus respuant fastiditum. *Nam licet verùm sit, Deum in nobis ipsum velle & perficere operari; eoq; ipso per verbum ad gratiæ apprehensionem aptet: non tamen aptat & operatur velle & perficere, ut resistere sive non renatus, sive etiam renatus, ipsi non possit. Operatur enim & aptat per verbi auditum, quod est potentia Dei ad salutem omni non repugnanti, sed credenti; continetur in fide non per enthusiasticum raptum & necessario immutabilem retentionem, sed ductum spiritus, quo duci se patitur, idq; per verbum & sacramenta.* Rursus: *Manifestè sibi contradicit* Crocius, *negans eos, quos* Deus comitatur, posse suum negligere officium. *Et tamen p. 54. de ijsdem scripserat:* Sancti quantum in ipsis est, æternæ damnationi fiunt obnoxij

Pap.

*Pag 55:* Quantum in ipsis est, se gratia Dei excludunt & exturbant, spiritum contristant &c. Manifesta, *inquam, est contradictio, nisi fortassis opera carnis, idololatria, homicidia, scortationes, adulteria, mendacia, & id genus alia scelera, quæ renati non raro committunt, officia sancti spiritus erunt.*

*Pag 140. in fine & p. 141. 142. differit* Crocius *de certitudine salutis; unde nimirum sit. Approbat quoq; syllogismum* Bertij, *cujus* major *constat Dei voluntate, merito Christi, & ejus intercessione pro nobis.* Minor *officij facti conscientia, secundum Evangelium.* Conclusio *verò illatione ex præcedentibus deductâ, & per testificationem Spiritus Sancti confirmatâ, hoc modo:* Quisquis pœnitentia ductus peccatorum suorum, credit in Christum: justificatur à Deo, eritq; vitæ æternæ hæres. Ego *(subsumit)* peccatorum meorum ducor pœnitentia, & credo in Christum. Ego igitur justificor à Deo, eroq; vitæ æternæ hæres. Major *(sic pergit)* respectu Dei legitur Ezech. 33. v. 11. Respectu Christi Heb. 9. v. 13. Minoris subsumptione opus esse appareat. 2. Cor. 13. v. 5. conclusio ex superioribus sequitur, & fidem gignit, quæ etiam postea à Spiritu Sancto obsignatur Ephes. 1. v. 13 Atque idcirco Spiritus S. vocatur arrhabo hæreditatis nostræ. Qui verò ita affecti sunt, inque

eo

eo studio perseverant, eos impossibile est, non salvari.

*Resp.* *Etsi supra de hac re sufficienter disseruimus, tamen, (cum* Crocius *hunc syllogismum suo approbare suffragio non dubitet, ut qui nihil faciat contra veritatem doctrinæ Calvinianæ, sed eam potius corroboret p. 142.) breviter praxin* Crocianam *contemplemur & consideremus Itaq; 1.* Crocius *sese consolaturus, non ad absolutum decretum hîc delabitur: nec ad particulares promissiones & fidem; gratiam Dei, meritum & intercessionem Christi: Verùm omnia pro universalibus habet; & rectè. Verùm accedas te, aut alium Christianum ex tuis auditoribus, eum examinaturus & confirmaturus in fide: Cui si persuasum est ex tuis & aliorum vestratium scriptis, Electionem esse absolutam, absq; intuitu meriti Christi & fidei, tanquam causarum Electionis, factam: meritum Christi esse particulare: intercessionem ac fidem particularem: quî quæso te aut alium consolaberis? confirmabis? ut nosti te sub particulari gratia, merito & intercessione Christi comprehendi?*

*Deinde*: Major, Quicunq; pœnitentia ductus peccatorum suorum, credit in Christum: est justificatus eritq; vitæ hæres: *nobis quidem certa est, non tibi, non alijs. Nam 1. Si illam cum immutabili & necessaria tua perseverantia conjunctam, intelliges: consequens propositionis illius limi-*

tatum

*ramus, dicendo:* Quicunque pœnitentia ductus peccatorum ſuorum, credit in Chriſtum; eſt juſtificatus, eritque, perſeveranter, credens, hæres vitæ æternæ. *Propoſitionis confirmatio ex Ezech. 33. 11. ſumta, verè pijs omnibus ſalutaris & accepta, tibi particularis eſt; ſiquidem gratiam Divinæ voluntatis, non univerſalem & omnes homines attinentem opinaris, ſed tantum credentes electos.*

*Quod cum negat* Crocius *ſe ſentire in* Aſſertione Auguſtanæ confeſſionis *contra Magnum noſtrum* Mentzerum, *præceptorem meum meritiſſimū p. 129. 130 131. 132. ex clauſtris protrahendus erit. Sic enim ſcribit* De Perſeverantia Sanctorum p. 311. lib. 4. c. 11. Nihil dicam abſurdi habet illud, quod non poſſunt alij in fide & charitate perſtare, quam qui revera perſtant ſicuti enim non poſſunt alij renaſci, quam qui renaſcuntur: ita nequeunt alij in nova illa vita permanere, quam qui permanent. Permanent autem omnes in ea, qui eam ſemel vivere ceperunt. Veriſsimum enim eſt eadem mala in electis eſſe ſanabilia, in reprobis non eſſe. Chriſtus enim ſervat & ſanat populum, id eſt, quos pater ei dedit Johan. 17. Eſt enim ſervator corporis ſui, id eſt, electorum, & omnium in ipſum credentium Eph. 5. v. 23. Scribitur quidem 1. Tim. 2. v. 6. quod ſe dederit in redemptionis pretium pro omnibus,

ſed

sed hi sunt illi multi, de quibus Matt. 26. 28. quando Dominus ait, sanguinem suum pro multis effundi in remissionem peccatorum. Hi autem multi sunt omnes electi, & omnes credentes, quibus solis est redemptor. Mala à quibus liberamur, sunt peccata omnis generis, à quibus resipiscere datur. Electis remitti omnia sua, etiam maxima & turpissima peccata, reprobis verò nec minima remitti certissimum est. Illi enim credunt, hi non credunt. In illis autem Christus efficit fidem, qua in ipsum credant, & justitiæ ipsius participes evadant: & obedientiam, qua se legibus ejus submittant, *Es. 53. 11. 12. Phil. 3. 21. Heb. 12. 21.* in his non efficit. Non enim habent partem in Christo. Et supra p. 120. Negamus, *dixit*, Christum pro Judâ orasse. Nam pro ijs rogavit, in quibus fuit glorificatus. Atqui in Juda non est glorificatus. Est enim ab eo proditus & ignominia affectus. *Nō igitur Croci quibis confirmandæ Majoris ergò, uti loco Ezech. 33. v. 11. Et si tu maximè sic te consoleris, tui socij negabunt* Majorem. *Sic enim* Piscator in comment. *super istud caput Ezechielis, Doctrina 3. p. 246. scribit,* dupliciter *excipiendo*: Quæ verba (Ne vivam ego, dictum Jehovæ, si delector morte improbi, sed delector ut convertatur & vivat) vulgò citant ad probandum, Deum simpliciter nolle mortem æternam ullius hominis. At in Hebræo

non

non dicitur, Nolo mortem impij: Sed non delector morte impii. Potest autem aliquis velle etiam id, quo non delectatur: ut ægrotus potest velle potum amarum, quo non delectatur. Potest enim velle non per se, sed propter aliud, nempe ad recuperandam valetudinem. Et sic Deus vult mortem æternam reproborum propter gloriam suam: ad patefaciendam scilicet justam suam iram in peccatis puniendis. Deinde non est sermo de morte æterna, sed temporali & violenta. Tu ipse pag. 174. Piscatori assentiris, Qui de civili justitia justi explicas. Polanus in comment. *p. 613. distinguit inter* voluntatem signi & beneplaciti. Voluntate signi revelata *Evangelij omnibus offerri misericordiam & salutem vult, ut liberentur à morte & vivant.* Voluntate Beneplaciti si accipias, tum respondeo, inquit, locum hunc de solis electis intelligendum.

*Si namq; sic argumenteris:* Si Deus jurat se nolle æternam omnium peccatorum mortem, sed ut convertantur & vivant: sanè de voluntate Dei & salute nostra certi sumus. At prius est. Ergo & posterius. Assumptio tibi, Piscatori, & Polano erit falsa. Quin & propositionem *negabis, dicendo de civiliter justis & temporanea morte esse sermonem.*

*Rursus ex antegressis verbis infero.* Qui non habent partem in merito Christi, & pro quibus Chri-

Christus non est mortuus: ij non sunt redempti, nec pro eis intercessit: ideoq; nec inveniunt consolationem in Christo: Et contrà. Atqui nulli reprobi habent partem in Christo: nec pro omnibus hominibus, sed pro solis electis Christus est mortuus & intercessit. Ergo illi soli sunt redempti, & pro illis solis intercessit; non pro reliquis; adeoque non hi, sed illi soli in eò consolationem inveniunt. *Consolare igitur isto syllogismo afflictas conscientias, confirmaq; & consolida fidem tuam ex eo, si potes.*

Tertio, Minor: Ego peccatorum meorum ducor pœnitentia, & credo in Christum: *Vera, certa ac jucunda illi est, qui promissiones Dei credit esse universales, cum gratia Dei & merito Christi universalibus; ex ijsq; Christum fiduciâ firmâ complectitur: non autem, qui interno duntaxat frui vult testimonio, missis testibus externis. Nam ex particularibus propositionibus & promissionibus, si subsumat Christianus, suam fidem demonstraturi, non veram vivamq; fidem, sed fallacem opinionem subsumet; cum fides & verbum sint relata: taq; ex verbo, non quomodo ab hominibus torquetur, sed ut à Deo datum est, nascatur. Tu igitur, credens particularia ista esse omnia, non ex verbo Dei, sed opinione tua ac persuasione propria de salute tua concludas necesse est; sisq; incertus & fluctues, an etiam tali fide sies, qualem temporanei* p. 285. *ad scripsisti.*

*Certitudinem nostræ salutis iterum demoliri satagit* adversarius *p. 142. inquiens:* Verum omnis hæc certitudo (*quam nos hactenus defendimus*) labascit, simul ac fidelem aliter affici ac deficere posse defenderimus. Ubi enim formido defectionis, ibi nulla est certitudo gratiæ Dei perseverantis. *Resp. 1.* Crociana & Stoica *certitudo Perseverantiæ jam evanuit, causis quibus affigebatur, μεταλλομένοις & evanescentibus, & scripturæ locis suo nitori restitutis. 2. Firmane, an imbecillis sit nostræ perseverantiæ certitudo, licet ex tota hac tractatione percipere. Certè tam firma est & solida, ut credenti ad salutem sufficiat, quæq; roborare, consolari & conservare, non stantem modo, Verùm & lapsum ac tentatum erigere, & plenè abundeq; confirmare possit. Tertio: nec verum est Crocij argumentum, ubi est formido aliqua defectionis, ibi nulla est certitudo gratiæ Dei perseverantis. Nam ex superioribus cuivis patet, aliquam formidinem cum certitudine benè consistere; idq; non tantum in rebus humanis, Ethicis & politicis, sed etiam in divinis. Annon enim gratia divina, universales q; promissiones datæ & juratæ possunt renatum confirmare? Annon sacramenta? Verbum? Spiritus, quo in Christo justificamur, regeneramur, glorificamur, obsignamur, & qui de salute nostra & perseverantia testatur? Spiritum nostrum de υοΐτοις & perseverantiæ fiducia consolatur? Atqui hæc ex*

parte, consilio & intentione Dei *omnia, certa & immutabiliter vera sunt.* Ex parte nostra *requiritur receptio*, ut *Spiritui S non repugnemus operaturo: non contristemus, sed ductui ipsius obsequamur. Sic n. & velle & perficere in nobis operabitur.* Quicunq; igitur fidelis isto utitur ordine & via: atq; ex fide vocationem firmã facit & electionẽ; in ijs perseverat, certoque perseverantiam sibi proponit, adhibito cum precibus verbo & sacramentis: is de sua salute & perseverantia certus est. Qui enim credit salvabitur. *Atq; ista fidei certitudo tanta est, ut in eâ stemus; imo gloriemur in ipsis afflictionibus & morte; & læto simus animo.*

# LIBRI SECUNDI CAPITIS Sexti Examen

NOn potuit *in* libro primo *differi* Crocius, *nec jam diffitetur, sed disertè fatetur p. 143.* Patrum calculo & suffragio nostram confirmari sententiã. Nã ad Arminij *verba contra* Perkinsium *differentis*: (Ad patrum sententias, quod attinet, nostri procul dubio totam pene antiquitatem esse in ista sententia, quod fideles excidere possint & perire) *reponit*: Non equidem diffiteor antiquitatem in hoc capite sibi non semper constare, quod ut ante dixi, admodum mirum non est. Qui tamen ex antiquis patribus post Pelagia-

nam hæresin vixerunt, uti Augustinus, Prosper & alij, illi clarius & solidius tradunt veritatem. *At non* Crocianam *tradere, sed veritatem ipsam cœlestem, apertè jam demonstravimus, infra pluribus demonstraturi.*

Porro: *ad Loca ex patrum scriptis producta, cum* Arminius *in genere respondisset* (ea aut de ipsa fide in abstracto disserere, quomodo inconcussa sit & immutabilis, aut de fidelibus prædestinatis, quibus Deus statuerit dare perseverantiam, qui (*prædestinati justi*) semper distinguendi sint, secundum Patrum, & præcipuè Augustini sententiã ab ijs, qui fideles sint & justi secundum præsentem justitiam:) *excipit Crocius 1. Pag. 144. ajens:* si fides est inconcussa & immutabilis, quomodo credens concutietur? quomodo mutabitur? Nempe formatũ mutatur & nõ forma. *Resp. Forma* vel *abstractivè*, vel *concretivè cum suo subjecto, cui inest, & quod informat, consideratur. Forma fidei* abstractè & definitivè *sumta, semper una est & eadem: nulli subjecto, quod ab ea informetur, hactenus inest.* Si concretivè sumas, *quomodo credentibus inest, & sese in ijs exerit: tum rursus in sese (qua est fiducia firma in Christo, à Spiritu Sancto accensa, alta, fota) credentem indesinenter confirmat, illiusq; proprium est stare inconcussam & immutabilem, usq; ad vitæ finem nec ullis adversitatibus & illecebris vinci: contra:*

*suf-*

*suffundi confusione, & vinci alienissimum est ab eâ, nec res ulla magis ei adversa. Nihilominus* eventualiter, & petulantia subjecti, *à malis & vitiosis suis qualitatibus dominantibus victi, & ipsa vincitur, atq; abjicitur fides, quæ hominis fidelis forma est. Adeoq; si fidelis iste credere desinat, forma illa hominis fidelis destruitur; ita, ut ex fideli* evadat *infidelis, ex vivo membro Christi, membrum mortuum, iræ & damnationi, nisi rursus vera fide vivificetur, obnoxium.*

*Deinde, ait,* loquuntur sanè Patres de fidelibus prædestinatis, nos quoq; de ijs disputamus, & quidem solis. Alios enim salvificâ fide præditos non agnoscimus. *Resp. Contrarium jam multoties evicimus, ut quicquam addere non sit opus. 2. In Petri exemplo, qui fidem non excusserit, errant &* Arminius & Crocius. *3. Quæ præterea p. 145. profert, passim discussa & enervata sunt. 4. Patrum,* Augustini & Prosperi, *loca Crocianis contraria,* quædam *protulimus*: quædam *suo reservamus loco.*

## LIBRI SECUNDI CAPITIS Septimi Examen.

GLoriatur *Crocius de nostro cum* Calvinianis *in articulis,* de æterna Dei prædestinatione, hominis arbitrio, conversione, inq; fide perse-

verantiâ, *consensu contra* Arminianos. *At neutrum est. Neq; enim cum* Crocio & Calvinianis, *neq; cum* Bertio & Arminianis *fraternitas & consensus necessitudo nobis intercedit.* Ab illis *quantum & quare dissideamus sub calcem prioris libri innotuit. Sic cum* Arminianis *Prædestinationem mutabilem esse, absit sentiamus: Nec* Semi Pelagianas aut Pontificias *arbitrij nostri vires agnoscimus: nostrasq; vires ad conversionem nihil posse, novimus; imò hominem in statu peccati consideratum, esse Deo & in spiritualibus mortuum, scriptura nos docet. Nec denique renatum suis, sed viribus Spiritus Sancti, per verbum ducentis & bonum perficientis in nobis, stare, operari bonum, & perseverare, pie & cum sacris literis statuimus. Doctrinam autem eorum de sanctorum Apostasiæ possibilitate; deq; universali Christi merito, scripturæ conformem esse, nemo pius inficiari debet. Agnoscimus quoq; cum illis Electionem & Reprobationem non absolutam, sed ordinatam.*

*Pag. 147. 148. 149. digladiatur* Crocius *cum* Bertio de confessione Belgicâ & Augustanâ *(variatâ utrâq;.) Quæ nihil ad nos.*

*Pag. 150. ait* Crocius, *nos, quatenus absolutè & in nobis consideramur, sæpissimè fidem deserere & perire posse: Sed quatenus ut federati Dei, promissione Spiritus Sancti, quo à lapsibus erigimur, gaudeamus. Resp. i.* Crocio *probandū erat, sic à Deo gu-*

*gubernari sanctos, ne peccata regnantia possint velle, nec fidem deserere; nec unquam ulli deserant. 2. Quæstio est de verè renato sancto, num possit excidere: non de illo in sese, quomodo est filius iræ & sine Christo; tantum abest, ut excidat Christo & fide.*

*Ad verba catechetæ* Calviniani (nullam videlicet creaturam nos separare à dilectione Dei posse) cum Bertius regessisset, peccatum non esse creaturam; quærit Crocius p. 151. Utrum creaturæ cum suis naturalibus imperfectionibus & moralibus, an sine istis intelligantur? Sine istis petire nobis consolationem. Si cum illis, tum, inquit, nostra sententia confirmatur, nec Deus tamē peccati autor constituetur. *Resp. 1: Quid hoc ad propositum? Apostolus pronunciat, nullam creaturā nos (finaliter) a Christo avertere posse: nec ipsum peccatum, (si quantitatem illius, non secundum concupiscentiæ dominium consideremus) contra nos prævalere: idq; ut solatij, meriti & gratiæ divinæ inexhaustam magnitudinem & firmitatem demonstraret. 2. ut verissimum est, quemadmodum bonæ creaturæ nos seducere nolunt, sic malæ non possint: ita subjectum, de quo Apostolus istam felicitatem pronunciat, considerandum venit. Loquitur enim de illis, qui certo præcogniti & prædestinati sunt, Christumq; secundum Dei præceptum amant & ipsi super omnia adhærent; quorum licet* alij *satis diu,*

alij *ad finem vitæ in afflictionibus, calamitatibus & persecutionibus perdurent, in fide tamen semper perseverant.*

*Pag. 153. satagit demonstrare*, quod, quantum ad Deum, donis Dei & gratia excidere non possimus. *ex Epist. ad Gal. 2. v. 20.* Ζῶ δὲ οὐκ ἔτι ἐγὼ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός. *Et Jer. 17. v. 5. 7.* Benedictus vir ille, qui fiduciam habet in Domino, & cujus fiducia est Dominus. Quem autem benignitate Dei (*sic concludit*) benedictione sua ditavit, *quî per incredulitatem ab illa desciscat?* *Resp. 1. Egregia probatio! Demonstrandum enim erat*, Crocii, *illum, qui vivit in Christo, non posse excidere fide: tu autem probas eum non spiritualiter per se vivere, sed Christum in illo; quodq; felix sit, qui fiduciam collocat in Domino. 2. Ne urgeas ditationem divinam; qua certè multi homines semet spoliant.*

*Pag 154.* Crocius ex catecheta Prædestinatio *hoc proponit argumentum.* Qui vivum est Ecclesiæ membrum, & perpetuò mansurum: is non potest deficere penitus à fide. Atqui omnis sanctus seu justificatus est vivum Ecclesiæ membrum & perpetuò mansurum. Ergo nullus sanctus seu justificatus penitus à fide deficere potest.

*Resp. 1. Præterquam, quod in* propositione vox penitus, *sit ambigua, posse sanctos à fide deficere*

tere, *jam toties ostensum est, ut repetere pigeat.* 2. *Neq; te juvat distinctio inter actum & potentiam, qua dicis non* tam *absolutè de potentia defectionis, quam quisq; in se habet,* quàm *de actu esse controversiam. Ut enim* Crocius *negat sanctos in Deo confideratos, posse excidere: Sic de utroq; controvertitur: cum sanctus omnis, quandiu in terris vivit: & possit à fide deficere, & actu quandoq; multi deficiant. Nullum n. robur suæ causæ invenire quivit* Crocius, *quà eam defenderet & propugnaret.* 3. *Minor (quod nulla viva Ecclesiæ membra abscindantur & mortua fiant, sed viva perpetuò omnia sint mansura) est falsa & principium petit.*

4. *Neq; illa tandem* Crociana propositio *mole sua stat.* Qui sentit, (*quod utiq; omnis verè Christianus sentit*) se perpetuo mansurum Ecclesiæ membrum: is non sentit se defecturum, aut sic deficere posse, ut aliquando penitus deficiat, hoc est, sine fide pœnitentiæ penitus decedat & pereat; aliâs fide suâ ille falsum sentiret. Atqui omnis sanctus sentit, se ex fide sua mansurum perpetuò Ecclesiæ membrum. Ergo &c. *Nam utrunque scriptura docet: quod nempe sancti credant in Christum, credantq; perseverantiam in fide æternamq; vitam: & tamen vereantur ne excidant & reprobi fiant,* teste Paulo. *Quod ne accidat, jubentur vigilare, stare, orare, salutem cum timore*

*& tremore operari; ita decertare, ne fiant ἀδόκιμοι, sed coronam deportent; perseverent ad finem.*

*Hactenus* Libro 1. & Secundo *argumẽta piæ* Perseverantiæ *jucũda & consolatoria, ponderavimus; Crociana verò omnia, ad scripturã, veritatis normã infallibilem, exegimus & enervavimus. Quæ, cũ, ipso* Crocio *teste p. 155. præcipua Perseverantiæ* Prædestinatiæ *immutabiliterq; necessariæ cõplectantur testimonia: nec rationes* Crocij, *patrũ authoritates, Ecclesiarum & Academiarum consensus fatalem illam stabilitatem testentur: nulla aut loca scripturæ, aut alias rationes, ulterius inquiremus. Istis proindè armis absolutam perseverantiam non defendentibus, sed misericordiam, Φιλανθρωπιαν aeternam ac bonitatem Dei mirificè commendantibus, stabilitatemq; divini amoris nobis dulcorantibus: ad nostram ædificationem & consolationem pie & gnaviter utemur. Fiat, Fiat!*

Perseverantiæ Christianæ libri secundi finis.

## PERSEVERANTIÆ SANCTORUM Christianæ liber tertius

### CAP. I.

IN hoc Libro *fundamenta nostræ sententiæ orthodoxæ & Christianæ subvetere & demoliri conatur* Cro-

Crocius: *quæ proinde dextrè proponemus, & ab ipsius objectionibus vindicabimus.*

*Brevissimè autem & ἐπιτικῶς doctrinam piam, de hoc argumento præmittemus; quam nonnihil lucis propositæ disputationi afferre & conciliare posse speramus. Itaq;*

1. Deus ab æterno decrevit creare mundum, & in eo formare hominem ad imaginem, similitudinis suæ; quod in & cum temporis initio executus est Gen. 1. & 2.

2. Imago, ad quam homo creatus est, non essentialis appellatur, quæ ipse filius Dei est *Heb.* 1. v. 1: Sed similitudinis. Quo docemur, ita ipsum esse conditum, ut plerorumq; attributorum divinorum similitudo, imago, & veritatis umbra in eo luceret & refulgeret.

3. Scriptura inprimis justitiæ & sanctitatis veritatis divinæ meminit Ephes. 4. v. 24. in quibus fuit homo creatus, ibidem, & col. 3. v. 10: ut in ijs maneret, tanquam in sua vera gloria *Rom.* 3. *vers.* 23.

4. Radiabat quoq; *inter dona* illius interna, immortalitas, *Sapient* 3. *v.* 23. ac sapientia divina & admirabilis *Gen.* 2. *v.* 20. 25. inter externa *verò* dominatus *in omnes creaturas sublunares*, tàm *earum, quæ in mari, quàm quæ in terris vivunt. Gen.* 1. & 2. *cap. excellebat.*

5. *Ut autem illam imaginem & dona omnia* ser-

*ſervaret & perpetuò ſibi retineret homo, Deus ipſum* munivit intus & foris.

6. Intus ipſa imago ſimilitudinis, & mens, ratione luminis, intellectu, & claritate ineffabili, *(quæ legem univerſam includit Rom. 1. v. 20. c. 2. v. 14. 15. Quod quoq; hiſtoria Moſaica in Geneſi & Exodo de ſingulis Decalogi præceptis ipſa comprobat praxi)* lucebat, tanquam fons omniū bonorum lympidiſſimus; quæ ipſum in juſtitia & donis ſibi concreatis ſtare inſtigabat.

7. *Præviſo autem, hominem, in ſua juſtitia & ſanctitate concreata, non manſurum, pœnasq; inobedientiæ poſitas incurſurum; idq; â Satanâ miſerè deceptum: Deus illius miſertus, filium ſuum unigenitū mittere decrevit, qui aſſumpta verâ humana carne, eſſet inter Deum offenſum & hominem offendentem ac peccantem mediator, victimaq; factus, ſuâ vita ſancta ac paſſione & morte, hoc eſt ſua ſancta obedientiâ, à conceptione usq; ad reſurrectionem peractâ, illum, à Deo per peccata averſum & diviſum, ipſi reconciliaret 2. Corinth. 5. verſ. 15. 18. 19.*

8. Nullum enim aliud ſupererat remedium, quo Deus ſubveniret homini lapſo, niſi unigenitus ille filius patris pro nobis traderetur Joh. *3. verſ. 16. Gen. 3. verſ. 15. Eſa. 43. verſ. 24. 25. Rom. 8. v. 32. Illo verò pro nobis; ſatisfaciente & juſtificante nos,* mirabili contemperamento inter Dei juſtitiam & veritatem Gen. 2. verſ. 17. c. 3. v. 11. &

& miſericordiam v. 15. Joh. 3. verſ. 16. facto, attributorum horum reſpectu, eſt ſatisfactum Deo, & nobis juſtitia reddita & reſtituta.

9. *Ex his apparet*, nos non niſi in Chriſto (in quo patri, tanquam propitiatorio & victimâ; imò ut unigenito filio, pro nobis dato, complacuit) quiviſſe in gratiam recipi: *nec ſine illo, tanquam alterâ electionis medio & cauſa meritoria, juſtificari; & ad vitam æternam præfiniri & elegi.*

10. *Porro*: Gratiam in Chriſti merito fundatam, totamq; ipſius erga Deum obedientiam, *qua pro nobis legem & implevit & ſatisfecit ei*: Deus in toto terrarum orbe, omni creaturæ rationali, *annunciari & prædicari juſſit*: *eo fine*, ut omnes crederent & ſalvarentur. *Marc. 16. & 16. Si a. nollent converti & credere, damnarentur, ibidem & Joh 3. v. 18.*

11. *Igitur* quicunque credunt Evangelio, juſtificantur Rom. 3. & 4: & quicunq; juſtificati, ad finē in juſtitia Chriſti, illis imputata fide, ſtant & perſeverant: hoc eſt, qui ad finem pergunt credere, ſalvantur. Qui vero non pergunt credere, abſcinduntur Johan. 15. verſ. 6. Mar. 16. verſ. 16.

12. *Monet enim codex ſacer vocatos in geminâ conſiderari differentia: quorum* alij *quidem verè, ſerio, & eadem verbi virtute, vocantur, & non veniunt; aut venientes ad finem usq; non perſeve-*

*rant*

*rant Luc. 8.* Alij *autem vocatorum, quod eos Deus perseveraturos præscivit, vocati electi appellantur.*

13. *Fluit & inclarescit inde: quod, sicut Deus Christum pro omnibus hominibus in mundo dedit, qui pro omnibus & singulis est mortuus & patri cœlesti reconciliavit illos; sic voluerit omnes actu credentes salvari voluntate sua* antecedente, *qua omnium est misertus, omnibusq; Christum misit, & salutem per ministros verbi & Apostolos annunciari & offerri curavit: adeoq; nihil ad salutem mundi interniserit. At* voluntate consequente *omnes impœnitentes & incredulos, ob incredulitatem suam (ut proximum damnationis terminum quâ omnium peccatorum remissionem recusaverunt & Christum cum toto suo merito & fide abjecerunt & contempserunt, damnat, Johan. 3. vers. 18. 36. Marc. 16. vers. 16.*

14. *Ergo unum* & idem est verbum Dei, quod omnibus prædicatur, eidemque divina, sed ordinata, potentiâ ad credendum præditum. *Ex illo ut credentes per Spiritum S. fidem concipiunt & renascuntur 1. Pet. 1. v. 3. & 23. Sic incredulis* ista omnia debuerunt dari. Est enim verbum fidei, *quo Deus fidem non absolutè & per raptus violentos,* sed per ordinariam divinam motionem & operationem dat & creat. Fallunt *proinde & falluntur, qui docent* incredulos non efficaciter vocari

cari; eoq; duplex quaſi verbum (alterum caſ-ſum & inane, alterum violenter efficax) *nobis cu-dunt: At ſi ita eſt, Chriſtus bonum ſemen non ſemi-naret Matth. 13. verſ. 13: Quod tamen diabolum ſeminare certum eſt, verſ. 28. 39. Nam filius Dei ſe-minavit, ſemper bonum ſemen, verſ. 37 41 Luc. 8. verſ 5: quod eſt vivum, efficax Heb 4. v. 12. 13. po-tentiaq; divina ad convertendum præditum, Rom. 1. 16: culpa v. impediti finis eſt ægri & Satanæ Luc. 8. verſ. 12*

15. *Pateſcit ex his etiam; quod* quicunq; ſal-vantur, nec fortuitò, nec abſoluta Dei voluntate ſalvantur: Sed certis mediis, certaq; ordinatio-ne, in Electione, ſecundum propoſitum facta, adſalutem & vitam æternam ordinentur. *Quæ hæc eſt*: Omnes homines, quotquot Deus ab æ-terno prænovit ad finem crediturōs, elegit. o-mnes verò electos certò vocavit, ne quis time-ret, ſe à Deo præteritum, aut oblivioni datum: nevè electos ex ſeſe currere arbitraretur: eosvè extra cœtum vocatorum quæreret. *Porro*: omnes electos vocatos juſtificavit fide, per verbum ſive auditum ſive per preces Eccleſiæ & ſacramenta, juxta promiſsiones Abrahæ factas, datâ. Quos juſtificavit, eos deinceps alia Spiritus Sancti dona, obſignatio & fructus ipſius jucundi & pij ſequuntur. Denique omnes juſtificatos electos glorificavit: Ergo nemini Electorum,

&c

& perseveranter credentium de sua glorificatione & salute dubitare licebit.

16. *Blasphemum & à divino codice dissonum censemus* id Prædestinariorum Nassovico-Wetteravicorum *in synodo* Dordrechtanâ *corollarium*: Infantium nec electio est, nec reprobatio. *At qui credit salvatur, increduli damnantur.* Infantes *autem* vincunt mundum *1. Joh. 2. v. 14. cap. 5. 4.* placent *Deo Marc. 10. v. 16.* Absque fide autem impossibile est placere Deo *Heb. 11. vers. 6. Imò credere diserte perhibentur Matth. 18. v. 6. Deinde:* nulli salvantur præter Electos. *Ergo si infantium non est electio, nec salus erit: sed nec quisquam præter incredulos damnabitur Joh. 3. 18. Marc. 16. Ergo infantes damnabuntur; cum*, te asserente, *non credant aut credere possint. Aut ubi tandem erunt futuri? En! quàm pulchri fructus denegatæ infantibus fidei; absolutæq; electionis & Reprobationis! sed ad rem.*

17. *Reliqui, qui verè quidem, non tantum vocati erant, verùm & justificati verâ & salutari in Christum fiducia, tandem rursus desciscunt & intercidunt: suntq; velut palmites in vite sua non manentes, sed extidentes, &* olim quidem membra, in Christi corpore sana, jam verò pütrescentia.

18. Veræ proindè causæ electionis (quemadmodum & justificationis peccatoris coram Deo)

Deo) sunt tres: Gratia Dei, meritum Christi, fides.

19. Gratia Dei est principalis & summa Electionis causa: *quæ licet reliquarum salutis causarum sit causa, tamen sine reliquis, homines saluti addicendos, perficere non quivit*: Siquidem Christus, in sua passione & morte, est causa salutis meritoria, sine quo electio nulla fingi quibat & cogitari. Fides denique est causa salutis instrumentalis, *qua Christus vera fiduciâ, à nobis recipitur, oculis cordis aspicitur; utq; verum propitiatoriũ, & verus ille serpens Joh 3. v. 14. Rom. 3. v. 25. applicatur.* Illa igitur deficiente, qui fideles ad finem usque crediturí, eligi quivissent?

20. *Idcirco*; licet gratia Dei quidẽ prior ordine sit merito Christi & fide: non tamen electio hominis fieri & absolvi, secundum propositum Dei, quibat, unâ vel altera harum electionis causarum remotâ: eoq; nec sola & mera Dei gratia est illi mysterio & plenitudini causa adæquata, nisi electionẽm sine Christo & fide, sed absolutẽ, factam, præter veritatem, commentus fueris.

21. Nec n. meritum Christi excludendum erit; cum nec justificatio, nec glorificatio; imò nec vocatio sine illo fieri possent: Sed illud prærequirerent. *Hoc considerans Apostolus clarè testatur, nos*

*in Christo, hoc est, in sanctissimo ipsius merito pro nobis præfito, esse electos.*

22. *Denig*: nec fides à causis electionis removeri & excludi debet & potest. Quoniam justificatio, quæ fit ex fide, in ordine salutis & electionis causarum, perspicuè collocatur. *Quod supra probatum dedimus.*

23. Est autem fides decreti electionis causa, non totalis, sed partialis, & ut instrumentum; quatenus scilicet Deus præordinavit, ut per fidem electi salvarentur: quam qui erant reprobaturi, eos non elegit.

24. *Quin fides Electionis, pro diverso respectu, & causa est & effectum.* Illa, *quod electionem hominis salvandi, citra fidem, non perfecerit & absolverit Deus: Sed in & per fidem Jesu Christi.* Hoc; *quod ad fidem, non tantum in ipsa electione respectus sit factus: Sed etiam in ejusdem executione, secundum ordinem & propositum divinum salutis administrandæ, sancitum & ordinatum sit; ut in tempore per verbum & sacramenta, fides in nobis generaretur; per eam justificaremur & glorificaremur.*

25. *Exinde sequitur, fidem in electionis mysterio,* non in prædicamento qualitatis, sed relationis considerata, illo *enim modo, ut opus & dignitas quædam in nobis hærens spectata esset. Quæ*

*nulla*

*nulla ſunt.* Hoc *verò, refertur ad Chriſtum, quem eâ homo apprehenſurus præſcitus eſt; & ſic electus.*

*26. Errant ergo & non ſanè loquuntur, qui* nos ob vel propter fidem, vel ad fidem electos dicunt. *Sic enim propter noſtra opera eſſemus electi aut dignitatem: eſſetq; aliqua ad fidem & gratiam electio: quæ itidem nulla eſt. Quare cum ſcriptura nos* per fidem & in fide *electos confitemur.*

*27. Ruunt etiam inde argumenta & tela* Calvinianorum, *quæ contra fidem, quod, cum ab æterno non extiterit, electionis cauſa non ſit, dirigunt. valerent n. ea, ſi fides ſalvifica in electione, prout actu jam eſt in homine, non quatenus in præcognitione divina exiſtit, conſiderata eſſet.*

*28. Falſa & illorum eſt ſententia, qui meritum Chriſti & fidem electionis abſolutæ eſſe effectus clamitant. Ut enim fides dupliciter conſideratur, ſic & meritum Chriſti.* Quod ut in electionis ordine & decreto, ut cauſa, *eſt ſpectatum: Sic in executione ejus ab ipſa dependet electione; ut in plenitudine temporis, lapſis exhiberetur.*

*29.* Ut igitur ex ordinatis electionis cauſis ordinata promanat perſeverantia: Sic ex abſoluta electione abſoluta perſeverantia; aut ſaltem fatalis & neceſſaria; quam ſcriptura ignorat.

*30. Conſtat etiam ex dictis*, quod, quicunq; abſolutam improborum incredulorum excogitant reprobationem, ſint totius propoſiti & gratiæ

tiæ divinæ hostes, totamq; scripturam evertant; sint veritatis Dei, in promissionibus ipsius, abnegatores: dubitationis patroni.

31. Enervant enim propterea omnia sacramenta, & verbi effecta divina: sunt injurij in Dei essentiam & attributa: coarctant articulum justificationis; & de nullius, adeoq; nec de sua ipsius fidei certitudine illis constat, aut licet πληροφορεῖσθαι.

32. *His ita de Electionis ordine & causis: deq; sanctorum Perseverantia & apostasia, prælibatis: reliquum est, ut ad nostra arma & oracula proferenda accingamur.*

## Cap. II.

# DE POSTULATIS BERTII.

*Missis igitur & satis explicatis, quæ* Crocius *Lib. 3. c. 1. p. 157. 158. 159. 160. de quæstionis statu disserit, antequam ad rem ipsam devolvamur,* Postulata Bertij *brevissimè percurremus.*

Primum postulatum *est hoc p. 161.* Nullam esse electionem absolutam. *Cui contradicens* Crocius *p. 162. scribit:* Esse autem absolutum aliquod decretum Dei, Tractatu secundo, cap. 3. à nobis ostensum est. *Quæ verba nobis contra Calvinianos, passim negantes, se id docere, notanda veniunt.*

Secun-

*Secundum*: regeneratos habere in se carnem & spiritum, principia opposita: Sed carnem à natura corrupta, spiritum à gratia adventitiâ. *Quod* Crocius *rectè concedit.*

*Tertium*: Dona spiritus dari ad luctam & ad victoriam, sed ad luctam prius, quam ad victoriam. *Quod itidem concedit* Crocius; *indeq; colligit*, ea nunquam dari ad apostasiam, sed eam impedire. *Respondemus nos, absurdum & blasphemum fore, si quis dona Dei ad apostasian dari assereret. Dedit n. Deus verbum & filium suum, ut salvaremur, non ut, deserto verbo, periremus. Quare verbum Dei* per se *est potentia Dei ad salutem omni credenti; & non, nisi* per accidens, vitioque audientium, *odor mortis ad mortem 2. Cor. 2. v 16. Ideoq; Deus sibi non est contrarius, nec finem verbi genuinum in salvandis credentibus, quem intendit, infringit. Damus & hoc, quod dona Dei salutem non impediant*, sed mediatè & ordinariâ viâ *operentur & promoveant. Impedit Deus apostasian supernè, & quatenus ipsi competit: homo tamen non obedire Deo, sese avertere, & impedire salutem, ipsemet* à se & per se *potest; & impedit sæpe. Viderit a.* Crocius, *quid illis responsurus sit, qui Deum serpentem ad hominem seducendum, arboremq; scientiæ ad lapsum ipsius creavisse sentiunt? Annon ista Dei dona, ex illorum opinione, salutem hominis impediverunt? vide* Pisc. in Amicæ Duplicat.

*part. 2. p. 469.* Martyr. *in L. C. fol. 462.* Zanch. *l. 5. de N. D. c. 2. p. 736. item alios.*

*Quartum:* Dona Spiritus S. posse augeri & multiplicari. *Et hoc rectè largitur* Crocius.

*Quintum:* peccata posse incrementum capere. *Concedit Crocius cum adjectione,* ne videlicet in immensum, in verè renatis, peccata posse adolescere quis opinetur; Ac ne quis (*sic pergit*) id. Apoc. 20. *11.* qui nocet, noceat adhuc, & qui sordidus est, sordescat adhuc; & illud *Matth. xiii. 12.* Quisquis non habet, etiam quod habet, tolletur ab eo; de electis verè q; ad Deum conversis interpretetur pro more adversariorum. *Resp. 1. Quæ sunt graviora peccata, quā adulteria, homicidia, idololatria, incestæ consuetudines, abjurationes & abnegationes Christi iteratæ: quæ tamen sancti commisisse dicuntur? 2. Annon ista, quæ Apoc. 22. & Matth. 13. de peccatoribus describuntur, in Electos temporaliter; in renatos utroq; modo sæpe cadunt? Mirum, ni* David, *commisso adulterio sordescens, magis sorduit homicida callidus & deliberati consilij factus, & postmodum multo adhuc tempore impœnitens dissimulator! Nuncquid non* Salomò *primum voluptuarius, in idololatriam indies majorem, aliaq; crimina incidit?* Summatim *loquendo: Multi, qui renati fuerunt ac postea labuntur, indies magis ac magis sordescunt, à quibus non conversis, tandem*

non

*non duntaxat Spiritus Sancti, sed ipsa quoq; naturalia dona auferuntur, ipsis in barathrum infernale præcipitatis.*

*Sextum:* fortiorem esse Spiritus Sancti gratiam, quam sit caro. *Et hoc prolixe largitur Crocius. Addimus discrimen esse, inter absolutam Dei gratiam, ac conditionatam, certisq; medijs ordinatam, illa infinitæ & absolutæ virtutis cum sit à nemine impediri quibit. Hæc in ministerio verbi spectata, est etiã potentia Dei, verè omnipotens & divina: Sed tamen, ordinata cũ sit, & medijs certisq; conditionibus offeratur; fit potentia Dei non repugnantibus & contemnentibus, sed credentibus, Ro. 1. vers. 16. Indeq; se non violenter superari à contumacibus sinit.*

*Septimum:* Regeneratos agere ex utroque principio. *Concedit Crocius.*

*Octavum:* dona ista spiritus, ejusque instrumenta sufficere quidem ad victoriam, si quis ijs utatur; Si quis verò ea negligat, aut spernat, non sequi eventum, illis donis respondentem. *Et hoc dexterè acceptum, largitur Crocius, addita duplici cautela. Quarum* prior *est, si caveatur,* justos dona illa spiritus non mutuò accipere ac despuere. *Resp. Petit principium; quia supra sat repulsum est.*

Altera; eorum liberum usum & abusum ex arbitrij libertate æqualiter dependere. *Resp. Abusus*

*usus dependet quidem ex arbitrij corrupti libertate, justitiæ liberi. At verus usus, non nisi ex gratiâ Spiritus Sancti, in homine renato velle & perficere operantis.*

Bertius ex Calvinista, *jam in* Papistam *mutatus sive transsubstantiatus, cum dixisset,* hominem talibus ac tot armis ditatum, nisi ea abijceret, eorum ope victoriam posse obtinere: *colligit hinc* Crocius *p. 164.* regenitum, quod illis sit stipatus donis, nunquam esse defecturum. Quod nemo sit tam excors, ut debilis esse velit. *Resp. 1. Dictis scripturæ & exemplis idoneis sanctorum, in toto Tractatu, diversum testamur. 2. Ne in naturalibus quidem & rebus humanis objecta ratio semper militat. Nam videmus tot esse homines* partim *claros,* partim *obscuros, qui veneris cupiditate illecti, aut Baccho, aut socordia, alijsq; voluptatibus & flagitijs dementati & abrepti, vitijs insistunt, & virtutis iter angustum & durum relinquunt: quibus aliàs nec ingenium, nec adhortationes, & præcepta scientiarum virtutumq; præmia incognita sunt. Quod vel* Medea *de se testatur, ajens:* Video meliora, proboque, Deteriora sequor. *Adeoq; multi virtuosi & clari degenerant; idq; non in uno, sed omnium ordinum & dignitatum hominibus. Et, si homo renatus, tot spiritus donis stipatus, ea non potest abijcere: Cur toties propter abjectionem eorum contemtumve arguitur*

*tur? cur pœna denunciatur? Unde sunt tot querelæ? Valet itaq; & hic distinctio, quod homines renati dona Spiritus Sancti abijciant, non qua bona sunt & ad vitam tendunt: Sed qua judicij infirmitate laborantes, Satanæ carnisq; ductum sequentes, malũ sub ratione boni eligunt, & huic illud præferunt.*

*Neq; citra distinctionem, vera est* Crociana *instantia;* Si in naturalibus nemo robur ex libera hominis voluntate æstimat, nec in ijs, quæ naturæ fastigium longè supergrediuntur, vires nostras ex arbitrio nostro censebimus. *Nam licet arbitrij libertas verè, in spiritualibus, nihil boni (quod piè contra Bertium tuetur) producere possit, tamen abijcere bonum, idololatriam committere, aliaq; nefanda perpetrare, ipsi ex sese facilimum est. Quid? Annon, secundum* Philosophum, actiones hominum morales, ab arbitrij libertate & voluntate dependent? *vires possident? Annon vir bonus ex libertate arbitrij & rectò judicio hoc pra illo, vitam præ morte, virtutem præ vitijs eligendi potestatem habet? Ex libertate arbitrij negocium aut suscipit, aut suspendit? Annon idem, ex arbitrio suo & judicio naturali in bono proposito perseverat? vel a justitia suà ad impietatẽ defectit? Sicut igitur vir Ethicè bonus, vel perseverare in bono suo & justitia, vel ab eâ deficere, pro arbitrio potest, malo sub ratione boni electo. Sic homo renatus, què ex sese nihil potest & mortuus est; actus tamen à*

*Spiritu S. Rom 8. v. 14. ipsius ductum sequi, & perseverare in bono potest: aut ductui, carnis obtemperare spiritum contristare & exacerbare, fidemq; & omnia spiritus interiora dona conculcare & repellere valet. In naturalibus valet libertas & vires naturæ: in spiritualibus ductus Spiritus. Utq; in naturalibus vires nostræ non impediunt aut minuunt Dei providentiam: aut contra; Deo agente, nos necessariò agimus: Sic in divinis & spiritualibus Spiritus S. salutem totam solus operatur, sed non in resistentibus: agit spiritus, & homo renatus, ab ipso actus, etiam agit. Rursus: hîc suas vires sequens, spiritus ductu neglecto, peccat. Quod fit & fieri potest; cum Spiritus S. non absolutis viribus, sed ordinatis agat. Qui secus docent, præscindunt homini renato suam rationem. Quid n. Decalogus? Quid præcepta morum, si homo renatus per absolutum Dei raptum & gubernationem, ad ea servanda trahitur? Non ex ductu spiritus ordinato, mentem ordinantis & ducentis renatam, ut in præceptis divinis ambulet? Et sane si tam potenter renati ad opera bona impelluntur, ut non possint secundum carnem vivere: tum non nisi instrumenta sunt operum suorum: non arbores fructus bonos facientes. Quare istud argumentum est homine Theologo erudito indignum.*

*Denig; distinctio* Bertij *inter apostasian* universalem & particularem *p. 164. à* Crocio *cum limita-*

mitatione approbata; nostro scopo minimè quadrat. Qui n. particulariter à fidi cavite, dubieq; deficit, retentâ fiducia in Deum & filiali timore, is fidē retinet, ac filius Dei manet. Ergo non nisi infirmitatis labem commisit. Si quis tamen universalem apostasiam ita explicet: ut, qui eâ deficit, non tantum desiderium Dei ac Christi redemptoris abijciat: Sed etiam odisse Evangelium & persequi cum blasphemijs non desistat: quales sunt illi, qui ex Christianis Turcæ & infideles evadunt: item, qui in suis peccatis moriuntur, toleramus eā. Illi n. finaliter peccant, & omne desideriū & amorē Evangelij prostituunt perduntq;: quo respectu non cadunt electi. Si autem particularis apostasia eorum dicatur esse, qui ante mortem convertuntur, licet in pessimis sceleribus vixerint; nec externè Christum & ipsius verbum oderunt & persequuntur; ut homines securi & multi impœnitentes; dicimus particulariter multos deficere, qui ne umbram ullam, aut vestigium fidei salvificæ ullum retinent.

Atqui, (ne quis excipiat); ex isto generali & externo Dei amore legisq; cognitione fluxit judicium Davidis, quo hominem qui unicam ovem pauperi rapuerat, virum mortis pronunciavit. Quod cum esset legi conforme Nathan approbavit.

Verùm cum Bertius in ista acceptione non sumat, ut ex hac distinctionis utriusq; descriptione, cognoscetur, eam hic reijcimus. Particularis (apostasia

*stasia inquit*) est circa unum aliquod vel plura non maxima peccata, tum venialia, tum mortalia, sed ista infrequentius, fitque ex ignorantia, levitate, malitia, qualis est in nuda ebrietate, stupro, adulterio, vel in ejusmodi pluribus conjunctis. At Berti & Croci, *quæ sunt majora peccata quàm quæ hîc recensuistis? Quid est secundum carnem vivere, si non hoc est? Omnium absurdissimum est & à se maximè dissonum, renatos, (quod asseritis,) mortalia sive regnantia peccata committentes, retinere fidem.* Universalis est, quando Deus & Christus ejus, omniaque divina, vel debito animo contemnuntur, vel prior illorum beneficiorum oblatorum contemptus ex ignorantia profectus, per subsequentem impœnitentiam & malitiam approbatur & confirmatur. Particularis apostasiæ affectiones *recensetis: nondum* excuti eâ planè in regenitis Spiritum S. sed in tantum duntaxat contristari, quantum est illud peccatum in se. Istiusmodi fuit defectio Davidis, qui vincendum se carni præbens, adulterio & fœdo homicidio polluit, & tamen potuit credere, nasciturum ex suo semine Messiam. Talis quoque abnegatio fuit S. Petri. Crocius *concedit eam. Nos reponimus 1. non ex nostro cerebro & corrupto judicio, sed ex lege & verbo Dei peccata esse æstimanda. Quod cum adversarij non fecerint, uterq; errat. Contradictio namq; est 1. Da-*

vid,

vid ita defecit, ut carni se vincendum præbuerit: &, David in tantum duntaxat Spiritum S tristavit, ut manserit regenitus. 2. Tristavit Spiritum Sanctum, & mansit regenitus. 3. Fuit victus carne; adulterioq; & homicidio callido deliberatoq; se polluit: &, mansit regenitus, credidit 4 Homicidæ & adulteri possunt in Deum salvifice credere. Contrarium sanè nos & supra ostendimus, & jam pluribus ostendemus. 2. Ajas, credidit tamen David tunc temporis nasciturum ex suo semine Messiam. Resp. 1. Non habebat vitam æternam tunc in se manentem: fuit vir mortis; fecit malum in oculis Domini. Ergo aut non habuit fidem; aut fides salvifica cum studio peccati & pessimis flagitijs commorari potest: quod supra ipsemet negavit Crocius. 2 Quapropter David non fide salvificâ, sed historica & assensus firma Messiam ex suo semine nasciturum tunc credidit: (Si modò credidit, & non velut Saulem, se abijciendum veritus est.) Historicam enim retinere quivit, quæ in multis non renatis invenitur, ex eaq; magna efficiunt, & quandoq; miracula patrant Matth. 7. vers. 22. scripturamq; in multis locis & articulis doctissimè interpretantur.

2. Dari ab ea restitutionem ex gratia Dei in Christo, per seriam pœnitentiam & semina sive principia adhuc reliqua. Exemplo sint David, Petrus, alij. *Concedit Crocius contra Tertullianum l. de*

l de Pudicit. c. 19. Resp. 1. esse mortalia vel (rectius) regnantia peccata rectè defendit Tertullianus. Quod a lapsis veniam denegat, in eo à veritate discedit: quæ omnibus verè pœnitentibus promittitur. 2. Semen Dei manere in illis, qui tam atrociter peccant, (nisi quantum ad historiam & verbi, quod semen fidei est, recordationem) Scripturæ adversatur. Imò aperta est contradictio: Semen fidei & principia illius manere in lapso: & sese vera & seria ad Deum pœnitentiâ convertere. Qui enim per pœnitentiam, fidem salvificam & contritionem includentem, ad Deum convertit se: is fidem non amplius habet & possidet, sed recipit.

3. Facile ab ea gradum fieri ad universalem apostasian. Imò inquam fecit universalem & totalem fidei jacturam; tantum abest ut sit in ea.

4. Pastores in casibus conscientiæ, quantiscunque non constat de alienâ resipiscentia; non posse absolutè cuiquam remissionem peccatorum particularium nomine Dei promittere: sed debere id tantum facere conditionaliter S. Petri exemplo. Act. 8. Atq; hoc Crocius rectè largitur. Monemus tamen exemplum Petrinum Act. 8. v. 22. esse alienum. Simoni enim Mago non remittit peccata, sed viam veram resipiscendi monstrat. Ubi particulæ, εἰ ἄρα, aut ad castigationes temporales, quæ conversum, peccatis remissis, quandoq; manent, referuntur: aut certè non dubitatio-

*tionem, sed Hebraismum redolent & asseverationem, qua de peccatorum remissione, non ambigitur, sed conversus indubiè confirmatur. Quare* 2. Nathanis *exemplum huc magis facit, qui Davidem secundum ipsius pœnitentiæ & fidei confessionem absolvit, 2. Sam. 12. v. 13. Quod etiamnum omnes sinceri apud nos concionatores, observant: ut si verâ sit confessio confitentis, peccat verè sibi in cœlo condonata norit: Sin fefellerit & mentitus sit; postmodum verò conversus fuerit: sese ista absolutione in fide nihilominus consoletur: Sin minus, damnationis pœnas & iram sibi in diem iræ cumulet.*

Quænam (*pergitur p. 167.*) est affectio universalis apostasiæ? unica, sed valde horribilis, non dari ab ea regressum aut restitutionem Heb. 6. 4. cap. 10. vers. 26. Deut. 29. 18. 1. Joh. 5. 16. *Et hanc admittit* Crocius. *Addimus: hanc apostasian esse quidem universalem respectu gratiæ & temporis. Aliam tamen universalem apostasian respectu subjectæ fidei, nos sæpius jam probasse.*

*Hactenus de priori distinctione* Bertij: *sequitur* posterior; *quæ hæc est.* Apostasia vel est totius gentis vel personæ alicujus singularis. Apostasia gentis fit, quum populus aliquis gratiosè vocatus ad communionem fœderis, obedientiam fœdere exactam, quam præstare debuit ex officio, potuitque ex gratia, non præstat, aut aliquan-

quandiu præstitam, postea deserit. Talis fuit defectio populi Judaici, sæpius quidem sæpiusque iterata, sed tandem planè commissa. De quo Jerem. 2. 21. Paulus ad Roman. 11. 20. Hoseas cap. 4.

*Resp. Hanc distinctionem in verbo Dei fundatam, cum negare non posset* Crocius, χρησφύγετον *quærit*, inter fœderis communionem externam & internam, *quo hanc ab illa discernere laborat.* Ad illam, *inquit*, multi gratiosè vocantur, & ab eâdem iterum deficiunt, qui tamen ad hanc nunquam vocantur, neque ab hac deficere possunt. Se non de illâ, in qua Jsraelitæ desertores fuerint, contendere, sed de hâc. *Resp. 1. Scripturam* Crocij *distinctionem* communionis externæ & internæ fœderalis *non agnoscere. Nam 1. Quicunq; ad fœdus gratiæ Abrahamiticum, Davidicum & N. T. (quæ huc spectant) vocantur: non ad externam duntaxat, sed quoq; ad internam vocantur communionem. Lympidissima enim sunt verba fœderis Gen. 17. v. 7.* Et statuam pactum (*fœdus*) meum inter me & te, & inter semen tuũ post te in generationibus suis fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus & seminis tui post te. Actor. 2. v. 39. Vobis enim facta est promissio & filijs vestris, & omnibus, qui LONGE sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster. *Ex his locis ita concludo.* 1. Qui ita sunt vocati in fœ-

fœdus ut baptizati accipiant remissionem peccatorum: illi non ad externam sed etiã internam fœderis vocãtur cõmunionẽ. Atqui Judæi & eorũ liberi & omnes qui longè sunt ita vocati sunt in fœdus, ut baptizati accipiãt remissionẽ &c. Ergo non ad externam duntaxat, sed etiã ad internam fœderis communionem vocantur. II. Qui 1. in fœdus Dei æternum vocantur; atq; 2. ita, ut Deus sit eorum Deus, hoc est, gratiosus liberator, redemptor, justificator, & bonorum æternorum & temporalium largitor: ij non tantum ad externã, sed internã quoq; cõmunionẽ vocantur. Atqui semen Abrahamiticum omne 1. in fœdus Dei æternum gratiosum vocatur. Quod liquet ex his verbis: Statuam fœdus meum inter me & te, ac semen tuum post te in generationibus tuis in fœdus seculi (עולם): ut sim tibi Deus (לאלהים) in Deum, h.e, gratiosum conservatorẽ. Quandiu igitur Deus est Deus Abrahami & seminis Abrahamitici, hoc fœdus tenaciter & summè custodiẽs: tandiu fœdus ipsum durat. Atqui Deus est Deus Abrahami & seminis illius, *fœdus hoc tenaciter, & summè custodiens in æternum Gen. 17. v. 7. Matt. 22 v 32. Exod. 3. v. 6. inprimis Luc. 20. v. 37. 38. & passim. Ergo. III.* Qui æqualiter ad fœdus servandum monentur: ij ad fœdus æquali vocatione vocantur, & ad illos omnes spectat. Atqui non duntaxat Abrahamus, sed omne illius

semen æqualiter ad fœdus servandum monetur. Ergo omne id ad fœdus æqualiter vocatur, & fœdus ad id spectat. IV. Qui ob fœdus violatum, exciduntur & puniuntur: ad illos fœdus spectavit omnes. Atqui multi ex eo exciduntur, & puniuntur æterna excisione & deletione. Ergo fœdus ad illos spectavit omnes.

*Ne excipias*, Croci, ad Minorem ex fœdere externo tantum excidisse & excisos esse transgressores. *Nam, præterquam quod τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνεις, istam absurditatem incurras fœdam necesse est, ut statuas, illos ex fœdere, in interitum & malum suum fabrefacto, excidisse: quodq; ipsis nihilo magis profuerit, imò plus obfuerit, quam si sine fœdere fuissent dato; idq; non sua, sed Dei culpâ. Quin longè suavius & lympidius fluunt Israëlis fontes, ex quibus V. ita inferimus.* Ad quos spectat promissio fœderis, ad illos quoq; gratia & beneficia fœderis spectant; illiq; applicare debent sibi. Atqui ad Judæos & omne illorũ semen & omnes qui LONGE sunt, spectat promissio fœderis. Ergo ad illos, quoq; gratia & beneficia fœderis spectant, illiq; applicare debent sibi. Major *certa est; cùm omne fœdus divinũ de certâ gratia & beneficijs hominibus exhibendis ictum sit, quæ in illo exprimũtur. Confer & Act. 2 v 38. Ubi quoq; Minor legitur. VI Quicũq; renascitur est in cõmunione fœderis internâ Gen. 17. v. 7: quod* Calviniani *non inficiãtur.*

At-

Atqui omnis circumciſus in V. & baptizatus in N. T. renaſcitur. Aſſumtio *Johan. 3. v. 5. Gen. 17. v. 7. 10. 1. Pet. 3. v. 21. probatur. Quæ ulterius confirmatur inde, quod* Apoſtoli omnes gentes docere & baptizare ſub: nter *Marc. 16. v. 16.* Baptizare, *in quâ*, in remiſſionē peccatorū *Marc. 1. v. 4. Act. 19. 4.* ut regeneretur *Joh. 3 5.* ſalvētur & habeat ἐπερώτημα pignus & ſponſionem bonæ conſcientiæ *1. Pet. 3. v. 21.* In ſumma. *Quotquot baptizantur, eo baptizantur fine, ut fœdus divinum, Abrahæ & ipſius poſteritati factum, ſibi applicent. Nunquid autem fœdus, quod per veram pœnitentiam & regenerationem ſibi quis applicat, externum duntaxat eſt?* VII. A contrario ſenſu. *Si illi rejiciuntur à fœdere* & illius beneficijs, tanquam violatores ipſius, qui in V. T. non circumcidebantur, & in N. non baptizantur: Ergo qui tunc circumciſi fuerunt, & nunc baptizantur, ſunt in fœdere & illius beneficijs. VIII. Omnis diſtinctio Deum facicns hypocritam & tyrannum: eſt abijcienda. Hæc de receptione aliorum *in fœdus externum*, aliorum *in fœdus internum, talis eſt.* Ergo. Minorem confirmo. Pollicetur enim Deus Calviniſticus omnibus vitam æternam; vocat omnes verbo ad fidem, proponit omnibus fœdus gratiæ; *punit infideles ob incredulitatem eorum & damnat Joh. 3. v 18. Marc. 16. v. 16: & tamen dare fidem & vires credendi recuſavit,*

*savit, odit illos ab æterno: neq; enim bona illa* ad reprobos pertinent, nec illis in Christo pars est, asserente Crocio. *Estne ergo Deus* Crocianus *truculentior, petulantior & immanior quovis Nerone? Tiberio? Basilide Moscovita? imò ipso Diabolo infinities pejor? Denique IX. pessima est contradictio: Deum omnes externè velle credant, velle impiorum salutem æternam, nolle, ut pereant; vocare illos ad fœdus suum, in quo æterna continentur bona: & tamen eosdem ab æterno absolutè reprobasse.* Qui enim absolutè à vita æterna est reprobatus ab æterno: ille ab ea, propter peccata in tempore patrata, non reprobatur & damnatur. *Accedit*, quod omnis reprobatio fiat ob aliquod malum, quod rei inest, & quo à bono deflexit. *confer loca scripturæ Rom. 1. v. 28. 1. Cor. 9. v. 27. 2. Cor. 13. 5. & 7. 2. Tim. 3. 8. Tit. 1: 16. Heb. 6. 8.* Sic & in V. T. quoties verbum מאס *per* ἀδοκιμάζειν redditur. *Consentit vel ipse Rennech. in Præfation. Catenæ suæ ad lectorem lit. e. 5: verbum n. hoc (inquit, maas) proprie & Etymologice significat aliquid summo fastidio habere, & cum fastidio, tanquã rem fœdã & abominandã reiicere. Tale quid dicit esse peccatum. ubi sibi contradicit, cum antea scripserit impios absolutè, non ob peccatum reprobari: hic imprudens idem asserat. Si igitur Deus hominem absolutè ab æterno reprobavit; absolutè quoq; in eo aliquid malum fuit. Quid? Imo ipsa*

*vox* (absoluta reprobatio,) *contradictoria reperitur: cum* nulla justa reprobatio *sit* absoluta: Sed semper ob vitium & rem non probam *aut probatam inferatur. At tale quid in homine absolutè consideràto, in quo omnia fuerunt valdè bona creata Gen. 1. & c. 2. v. 1. nihil reperire licet. Sic* Judas *(E.G.)* est à vita æterna reprobatus & abjectus; ex tua sententia absolutè. Rursus: Judas est à vita æterna & Apostolatu rejectus per defectionem, Act. 1. v. 25. est reprobatus & periit, quod esset filius perditionis *Joh. 17. v. 12. Sed & inde claret, quod reprobatio æterna nihil sit aliud, quam prædamnatio, & prævisa ad tormenta & cruciatus adjudicatio & destinatio, & quidem ob mala in tempore commissa; secus pessima erit tyrannis.*

*Sequuntur affectiones apostasiæ gentis.* Prima est, ista committitur non unius alicujus, vel paucorum, sed omnium ordinum defectione Jer. 2. concedit Crocius. *Respondemus autem nos, defectionem gentis nonnunquam esse totalem, & interdum partialem. Quin & publica habetur, si vel ministerium publicum loci aut urbis & gentis sit corruptum. Loca non desunt in regionibus dynastarum, qui à nobis ad Papatum, vel Calvinismum nuper defecerunt:* Item; *in Regno Israelitico sub Jeroboamo, prioribus temporibus. Proprie vero, ubi omnium ordinũ, vel etiam hominũ defectio animadvertitur, contingit universalis apostasia. Nõ n. semper, sed raro est tanta, ut nullũ amplius fidele cor &*

membrum Christi istic remaneat, Rom. 11. v. 4. 1. Reg. 19. 10. Dan. 11. v. 41.

Secunda (quod non omnes, qui sunt in fœdere gratiæ gentis, ipsi protinus sint in gratia) ita explicanda venit: omnes ijque soli sunt in gratia fœderali, qui fœdus sibi fide applicant & servant: Reliqui autem fœdus aut non susceperunt fide, aut ex illo exciderunt. *Quare jus ad fœdus licet commune omnium sit, tamen nondum ad bona ejus, nisi fœdere ritè suscepto, est aditus.*

*Crocius, qui hanc* Bertij *affectionem approbat, stabilire eam conatur ex Matth. 3. v. 9.* Ne fitis hac mente, ut dicatis intra vos ipsos: Patrem habemus Abraham. *At perperam. Nam promissio Abrahamo facta, ad illos quidē pertinebat, & bona ac beneficia illius* partim *acceperāt partim in vita futurā exspectare, in circūcisione, ceperāt: verùm adulti carnis ductum & hæretica dogmata sectantes, fœdere rursus exciderunt & eradicati sunt Matt. 3. v. 10. Proinde licet antea Abrahami filij secundum carnem & spiritum esse cæpissent, tamen filij spirituales desierant esse, facti filij Diaboli Rom. 9. v. 6. Matth. 3. v. 9. Joh. 8. v. 39. 40. 44. Ac tametsi jus & reditus ad fœdus illis pateret Matth. 3. v. 8. 9. tunc tamen temporis non erant in fœdere, sed ex illo exciderant Rom. 11. v. 22.*

Secundum locum, *quem allegat* Crocius, *legi ait Matth. 26. versu non nominato. Ubi cum ais-*

*nihil habeatur, quod ad rem facit præsentem, eum incuriâ typographi corruptum suspicor. De ver. autem 28. supra fuit responsum.*

Tertius est *Rom. 9. v. 6.* Non omnes, qui sunt ex Israel, sunt Israël, *Resp. quid tum? Promissio quidem fœderalis & gratia Dei manebat illos fixa Rom. 11. v. 2. 14. 23 17. & seqq. Verùm qui sibi fœdus fide & verbo applicabant, erant actu Dei fœderales; & soli quidem. Reliqui verò, (licet essent Israël secundum carnem, non erant tamen Israel fidelis:) habebant æquè, atq; electus Israël, Dei promissiones & jus ad fœdus, sed contemnendo ab eo rejecti sunt.*

*Ex his dijudicari quibit tertia* Bertij *conditio,* Quotquot deficiunt à fœdere gentilitio, etiam deficiunt à singulari *(personali)*. Habet enim defectio ista contemtum Dei, & absolutam rejectionem gratiæ. Tale fuit peccatum Caini, Chami & aliorum, qui ab Ecclesia recesserunt. *Nam,* omne fœdus Christum includens, ad vitam æternam dandam pangitur & initur: Sive gens tota illud recipiat, sive aliquot duntaxat singulares & paucæ personæ; Quinimò, quicunque unquam in V. T. juxta Dei institutum, fuit circumcisus, aut in Novo baptizatus, in fœdus illud receptus fuit. *Ergo quicunq; fœdus illud Dei deserit & frangit, deserit Dei gratiam, in merito Christi fundatam: gentibus omnibus oblatam, fide illis apprehendendam: Eoq; licet sibi gens aut*

*alij homines ſingulares, gratiam Dei reijcere non videantur; omnem tamen gratiam Dei nos diligentis, omnemq; adeo gratiam in Chriſto oblatam, ac nobis acquiſitam, reijciunt. Atq; hinc æſtimare licet quantum peccatum Chamus, Cainus, Judæi Apoſtatæ & alij omnes, quotquot ab Eccleſia & fœdere gratiæ Dei receſſerunt, commiſerint.*

*Torvè* Crocius *hanc affectionem intuetur*, eamque ex vero negat eſſe, & inſuper præ greſſæ repugnare clamat. *Cauſam addit, inquiens*: Non enim omnes, qui ſunt in fœdere gratioſo gentis, ipſi ſunt in gratia. Et hi tales ſoli ſolent eſſe fœdifragi. *Reſp. 1. cum fœdera ſint varia, poſſunt nonnulli, qui ſunt in fœdere gentilitio (ut Noachico, omnes homines concernente; Abrahamitico, quantum externa politiæ & legum forenſium & ceremonialium ſtatuta ſpectat; Itemq; Moſaico) non eſſe in gratia N. T. protinus: Licet in illorum fœderum gratia ſint, reſpectivè accepti, omnes tamen qui ſunt in fœdere N. T. ſunt in gratia. Atq; in hoc ſenſu priori contradicit iſta affectio. 2. cum autem omnes genuini fœderati novi N. T. ſint in gratia fœderali: ſequitur, quotquot a fœdere iſto Chriſtiano recedãt, etiam gratiam fœderis ſingularis non retineant: ſiquidem ſublato genere, tollitur & ſpecies.* 3. Crocius *rurſus ſibi contradictionis rete ponit, ſcribens*; non eſſe illos, qui ſunt in fœdere gratioſo gentilitio (*hoc eſt, ut ſupra locutus eſt*, qui ſunt in fœde-

ris

ris communione externa:) *protinus ingratiæ & tamen* fœdifragos esse *vociferatur. Tale enim fœdus externum gentis nullum esse ostendimus supra: nec exciderunt: quî igitur frangerent illud?*

*Regerit*, personale fœdus nullum frangi. *Indeq; concludit, contraria exempla esse aliena.* Neque enim, *(inquit p. 169.) Cainus, neq; Esavus, neq; quisquam* alius hujus farinæ homo fuit unquam gratiosi fœderis, vel fuisse saltem ex scriptura probari potest. *Resp. ostenso, omnes circumcisos fuisse in fœdus Dei æternum ascitos: quemadmodum & baptizatos: fidem illis in infantiâ fuisse datam, quâ temeritate negas?* Deinde: *Cainum fuisse, in infantia saltem, conversum & fidelem, non inficiari oportet. Legimus enim, quod ex Adamo in gratiam recepto & fideli fuit natus; & eodem verbo Evangelij, quo Abel & fœmellæ V. T. convertebantur, conversus & fide donatus. Aut, si hoc negaturus es, respõdeas, si in infantiâ decessisset; utrum cœlorum, an verò infernorum cœtui aggregandus fuisset?* Si hoc, *tum ruit promissio fidelibus data Gen. 3. v. 15. cujus fide* antediluviani omnes, *quotquot crediderunt, salvati sunt; æquè ac semen Abrahamiticum ex promissione Gen. 17. v. 7.* Sin illud; *tum sanè fuit conversus.* Accedit, *quod ad sacrificia & cultum divinum fuit admissus, ob eundemq;, absq; fide præstitum, reprehensus: ad pietatem, pressis peccati cupiditatibus, incitatus*

*& divinitus admonitus Gen. 4. v. 7: Unde concludo.* Quem Deus ad cultum vocat, ut peccati cupiditatibus presis dominetur, & ad bene agendum, ut sit in gratia & acceptus Deo, hortatur idem: is non absolutè est reprobatus, sed debuit obtemperaturus Deo, regenerari & colligi. Atqui Cainum ad cultum Deus vocavit, ut peccati cupiditatibus presis dominetur; & ad bene agendum, ut sit in gratia & Deo acceptus, hortatur idem. Ergo Cainus non est absolutè reprobatus, sed debuit, obtemperaturus Deo, regenerari & colligi. *Rursus*: Qui ob incredulitatem damnatur & reprobatur: is debuit colligi, salvari & eligi crediturus. *Contraria enim sunt contrariorum consequentia.* Atqui Cainus ob incredulitatem damnatur & reprobatur Joh. 3. v. 18. 36. Qui non credit jam judicatus est. Quando? *utiq; ab æterno, quo Deus illum prænovit impium futurum. Quod eò certius est, quantò pulchrius decretum divinæ electionis, ab illius executione nullatenus differt, sed arctius concordat.* Fuit ergo Cainus non tantum in infantia in gratia & conversus: Sed & in virili ætate debuit converti rursus. *At verò ipse, gratiâ Dei excussâ, ac verbo illius contemto, Cainicæ Ecclesiæ & cœtui impio dedit initium. Ac proinde non absolutè, sed ob incredulitatem & contemtum verbi est damnatus & reprobatus.*

Pa-

Pariter & Esavum *fuisse regeneratum, ex natura & conditionibus fœderis Abrahamitici, constat. Quinimò & salvatum esse scripturæ consentaneum est: Siquidem fratri* Jacobo *reconciliatus fuisse, & patrem, cum fratre sepelivisse legitur: qui, pro sua pietate & divino Zelo, nihil ad lucrandam animam sanguine proximam, intermiserunt. Nec postmodum quicquam hostile amplius, contra Jacobum, tentasse demonstrari potest.* Denique: *summum fuisse sacerdotem in familia paterna colligunt interpretes ex cap. 26. Geneseos. Noli igitur damnare, quem scriptura non damnat. Nec mihi objicias illud Heb. 12. v. 17. Agit enim non de pœnitentia justificationis & gratiæ divinæ in Christo denegatæ (quod absit:) Sed paternæ benedictionis & primogenituræ Jacobo semel justè traditæ: quam Isaacus retractare noluit. Invenit igitur pœnitentiam in foro poli, non in foro soli privilegiorum, primogenituræ rursus recuperandorum.*

Quarta: Apostasia & rejectio Judæorum occasio fuit vocationis gentium ad gratiosam Christi cognitionem, *Roman. 11. v. 15. Act. 13. v. 46. Concedit* Crocius. *Nos addimus eos, cum per incredulitatem defracti sint Rom. 11. v. 20. colligè voluisse.* 2. Si semper aliquot crediturí sunt ex Judæis, & quotquot in incredulitate non manseri, rursus inserentur: totus populus non est reprobatus; nodum absolutè reprobatus. *Con-*

*fer*

*ſer verſiculos 11. 20. 23. Deniq;*: Si populus Judaicus quivit in gratia ſtare, in quâ fuit: utique fœdus ad illum ſpectavit univerſum. At verò quivit in gratia ſtare in qua fuit. Quæ autem illa? In quam crediturí inſerendi erant; & in qua Patres fuerunt pij. Ergo utiq; fœdus ad illum ſpectavit univerſum. Propoſitionis veritas evidens eſt: Nemo enim eſt in gratia, niſi idem ſit in fœdere. *Aſſum.* confirmatur ex v. 2. 11. 14. 20. 23. 24.

Quinta: Majorum rejectio â gratia nihil vetat, quo minus poſteri in fœdus ſingulare *(dicamus nos, fœdus Chriſti gratiæ divinum)* admitti poſſint. Manet enim ob principium radix ſancta *Rom. 9. 4. c. 11. v. 16. Concedit* Crocius & nos cum illo.

Sexta; In Apoſtaſia univerſali nihilominus ſalvari reliquias. *Concedit* Crocius *p. 171. Et nos ſupra urſimus idem: ac pro voce* univerſalis *apoſtaſiæ* publicam *intelligi oportere docuimus.*

## Cap. III.

### Demonſtratio prima ex claris ſcripturæ teſtimonijs hauſta & ſumpta.

*Hoc de poſtulatis Bertij eorumq; affectionibus dixiſſe ſufficiat; ſequitur ut ad confirmationem noſtræ ſententiæ progrediamur. Cujus* prima hæc ſit.

Qui poteſt ſeſe avertere â juſtitia, gratia ex-

excidere: deficere à Deo vivente: reddi sal insulsum: abalienare seipsum: deficere à fide: excidere à propria stabilitate: aversari eum qui est in cœlis: exstinguere spiritum: naufragium fidei facere: abijcere fiduciam: subducere semetipsum: abnegare Dominum: reddi scoria: degenerare in vitem alienam: de cœlo decidere; is potest suam justitiam salvificam deserere; & qui hæc facit reipsa deserit. Atqui sancti & justificati fide salvificâ id deserere possunt; & multi reipsa deserunt. Ergo suam justitiam salvificam possunt deserere; & omnes qui hæc faciunt, reipsa deserunt. Consequentiæ *ratio est evidens, si enim non possent; hæc loca inania essent & carerent fine: quod absurdum & impium! Obiter notamus, contra Crocium: non solere scripturam uti demonstrationibus, à causis Aristotelicis aut Euclideis quibusvis sumtis sed divinis, (hoc est, testimonijs & verbo Dei,) quæ philosophicis omnibus infinities sunt certiores & veriores.*

*Negat* Crocius *p. 173.* Minorem: *Quam proinde probamus. Quærit autem*

*1.* An justus possit se avertere à justitia?

*Affirmamus ex* Ezech. *c. 18. v. 24.* Si autem averterit sese justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid vivet? Omnes

omnes justitiæ ejus non memorabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato, quod peccavit, in ipso morietur. 27. Et cum se averterit impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit justitiam & judicium: ipse animam suam vivificabit. c. 33. v. 18. cum recesserit justus à justitia sua & fecerit iniquitates, morietur in illis. *Syllogismus hic est.* Qui sese potest avertere à justitia sua ad impietatem, ut in ea moriatur: is fide potest excidere. Atqui justus justitiâ fidei salvificæ in Christum, potest sese à sua justitia avertere ad impietatem; idque ita ut in ea moriatur. Ergo, II. Qui omnes iniquitates facit, quas impius patrat: is suam justitiam perdit omnem. At verò quidam justitiâ fidei salvificæ justus, ab ea aversus omnes iniquitates patrat, quas impius. Ergo suam justitiam perdit omnem.

*Excipit* Crocius *p. 173.* prophetam non loqui de eo, qui propter meritum & satisfactionem Christi remissionem peccatorum suorum accepit: Sed de hypocritis in Ecclesia Israëlitarum. *Infra ait,* Differunt autem inter se multum justitiâ ex fide, & justus ex opere & confessione externâ, *hoc est (ut alibi interpretatur,)* ille, qui est justitia civili justus. *Conatur elicere ex vers. 13. & 20.*

*Resp. 1. Falsum!* Non enim sequitur, cujus justè

*justè facta non memorabuntur, is hypocrita fuit? aut civiliter justus? ubi enim, & in qua Schola dicit* Crocius *justè facta, idem esse atq; hypocritica? Aut Aristotelicè justa? Quare claram habemus verbi literam à nobis stantem,* Crocius *glossam verbo illatam. Intelligi autem justum ex fide, ulterius ex v. 6. 7. 9. 28. 29. & c: cap. 33. v. 11. 13. 14. ostenditur. Nam. I.* Ea justitia, in qua justus vivit & non moritur morte peccatorum impia, hic intelligitur. Atqui justitia ex fidè justus vivit Roman. 1. v. 17. Habac. 2. v. 4. & non moritur morte peccatorum impia. Ergo justitia ex fidè hic intelligitur. II. Is justus hic intelligitur, cujus facta non amplius memorabuntur. Atqui hypocritæ & civiliter justorum facta amplius memorabuntur. Ergo illi non intelliguntur. III. Is justus qui actâ pœnitentia se ad Dominum convertit sibique in eo cor novum facit & spiritum novum; hic intelligitur. Atqui solus justus ex fide id facit. Ergo solus ille intelligitur. Propositio *legitur c. 18. v. 30. 31. c. 33. v. 11. 12. 14.* Minorem Crocius *salvis suis hypothesibus inficiari nequit.* IV. A contrario sensu. Si impius hic pro verè impio accipitur, qui taliter manens, damnatur: etiam justus pro verè justo, qui taliter manens, cœlum adit, accipiendus erit. *Quæ enim impietas & injustitia impio adscribitur, ea pietas & justitia de justo lapso non neganda est.*

Et

*Et contra. V. à collatione hujus loci v. 6. & ſeqq. cum Pſ. 15. v. 1. & ult.* is juſtus hic intelligitur, qui habitat in tentorijs Domini & monte ſanctitati Dei, & non movebitur in æternum. *Ratio conſequentiæ eſt, quod utrobiq; ferè eadem juſto attributa & operâ pietatis adſcribantur.* Atqui non hypocritæ, non civiliter tantùm juſti habitant ita: Sed ſoli juſti ex fide ſalvificâ. Ergo.

*Objcit quidem* Polanus *nobis quasdam ratiunculas, quibus hunc locum ſole lucidiorem obfuſcare ſtudet: verum nihil agit, ut videbimus.* Prima eſt, nõ loquitur propheta de verè, hoc eſt, ex fide juſto, *quia* ejus folia non defluunt. *Reſp. 1. Contrarium jam eſt evictum. 2.* Polani *probationem ex Pſ. 1. haustam ſupra enervavimus.*

Secunda: verè juſtus non poteſt morte æterna perire. Atqui de quo hic agitur, moritur. *Reſp. Antecedens petit principium: ideoq; eadem facilitate, qua aſſeritur, rejcitur.* Accedit, *quod juſtus quandiu juſtus eſt, non pereat, ſed quum ſeſe avertit a juſtitia.*

Tertia: verè juſti memoria non perit coram Deo, ſicut dicitur Pſ. 112: In memoria æterna erit juſtus. At de quo hic Ezechiel c. 18. 33. agit, dicitur: juſtitiæ, quas fecit, non recolentur. Reſp. Pſ. 112. de juſto perſeverante, *& Deo ſemper confidente, eſt ſermo. At verò juſti talis privilegia & bona, juſtus, juſtitiam deſerẽs, qui ea habebat;*

*bebat: non ulterius ascribere sibi potest. De illo Davidi est sermo, de hoc, Domino apud Ezechielem.*

Quarta: verè justus in Deo manet & non peccat 1. Joh. 3. v. 6. 9. *Resp. ad istud testimonium supra fuit responsum.*

Quinta: Etiamsi daretur, apud Ezechielem verè justum, qualis fuit, Adamus ante lapsum describi, nihil tamè, contra nos. Loquimur enim de justis in Christo. *Resp. Et de ijsdem nos loquimur, & tales esse intelligendos jam probavimus. Non etiam concreatâ Adamo justitiâ justificamur: quam perdidimus in illo. Sed justitia ex fide in Christum.*

*Exceptio* Crocij altera est, loqui prophetam de morte temporaria, quam Deus erat inflicturus ijs, qui propriæ justitiæ ex operibus confisi v. 13. ad falsos Deos à vero, quem antea in Ecclesiâ confessi erant, turpiter sese averterant. *Citat quidem pro se v. 25. & 28. capitis 33. Sed frustra omnia. Nam 1. Miror imprudentiam Crocij, non animadvertentis v. 21. cap. 33. novam ac diversam scribi & pertexi concionem & historiam.* Deinde: *prophetam loqui præcipuè de morte æterna, ita demonstro. 1.* illa mors hîc intelligitur, quæ peccatis & abominationibus præcipuè debetur; & qua moriuntur impœnitentes: ac cui opponitur vita, qua peccatores conversi & justificati vivunt. Atqui mors peccatis & abominationibus præcipuè debita, est æterna: illaq; moriun-

riuntur impœnitentes : eidemque opponitur vita, qua peccatores conversi & justificati vivunt. Erg. II. illa mors hic intelligitur, quæ per salutarem pœnitentiam poterat averti ; Quæ æterna est, non temporalis. III. De ista morte agitur, manente illos, quorum justitiæ non amplius memorabuntur coram Domino : quæ æterna est, non temporanea. IV. A testimonio Polani ita super hunc locum scribentis p. 442 : Deinde verè justus non potest æterna morte perire. At de quo hic versus Ezechielis agit, dicitur morietur. V. Ea intelligitur mors, qua afficitur justus sese à justitia avertens ; & quam poterat effugere omnis conversus. Atqui illa est æterna. *Corporali enim omnibus erat moriendum morte ; nec eam quisquam conversorum quivit effugere.*

*Instat* Piscator : *vers. 13. est sermo* de morte gladij. Ergo etiam in reliquis versiculis de eâdem agit Dominus apud prophetam. *Idem excipit ad cap. 33. v. 11. cum 8. collatum. Resp. 1. Etsi non desunt, qui arbitrantur loqui prophetam, vel potius Dominum, de morte gladij ; sintq; diversæ particulæ de vario obitu differentes : tamen nobis non opus est jam hac responsione. Nam. 2* ה pro reatu ponitur *sæpe : ut Levit. 17. v. 4. Matth. 27. v. 4 24. 25. Actor. 5. v. 28. optimè v. huc quadrat Locus Actor. 18. v. 6. c. 20. v. 26.*

Adde

*Adde denique, quod morte gladij pauci, non omnes impij Judæi morerentur: nec omnes ab eâ liberarentur justi.*

## 2. An justus possit à gratiâ excidere?

*1. Locus habetur Galat. 5. v. 4.* Vos quicunque per legem justificamini à gratiâ excidistis. v. 5. Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus. Quicunque Christo per fidem insiti quidem fuerunt, & deinde ex lege voluerunt justificari *(quæ est incredulitas & apostasia pessima)*: ij à fide salvificâ Christi exciderunt. At vero Galatæ erant Christo per fidem insiti, *Gal. 3. v. 1. & 4. 7.* Ergo Galatæ à fide salvifica Christi exciderunt.

*Vociferatur* Crocius *p. 175.* Apostolum loqui de illis, qui ex pravâ judaismi cum Christianismo consociatione sperabant salutem; eoque non fuisse justificatos. *Respondimus jam, Galatas credidisse; quod confirmamus. Nam 1. Illi* bene cucurrerant *(in fide Christiana) cap. 5. v. 7. 2. Christus in illis fuerat crucifixus, præ oculis illis depictus. 3. Acceperant Spiritum Sanctum per prædicationem fidei, v. 2. 4. Deus ministraverat illis spiritum; & multas virtutes ex prædicatione fidei, in illis operaturus erat v. 5. 5. Emiserat spiritum filij in corda eorum clamantem abba pater cap. 4. v. 6. 6. postquam cognoverant Dominum & rursus*

*cogniti erant à Deo, revertebantur ad justificationem legalem v. 9. 7. Pepererat Apostolus eos fideles filios Christi, quos iterum, ὠδίνει, parturiebat, donec in illis formaretur Christus v. 19. Quæ omnia cum de non renato dici verè nequeant, utiq; antea verè crediderunt Galatæ.*

*Quod 4. in his verbis* (Vos quicunque per legem justificamini, gratia excidistis) *de ijsdem seductis Galatis agat,* capitis tertij *initium indicat: à quo semper ad Galatas seductos sermonem dirigit Apostolus. Quin idem quoq; capite 5. asseritur. Nam loquitur de illis, qui bene cucurrerant, v. 7: quos hortatur ut stare velint in libertate Christi cap. 5. v. 1.* contra: *in Pseudoprophetas gravibus invehitur imprecationibus v. 12. inquiens:* Utinam abscindantur, qui vos labefactant.

*Instat* Crocius, amphibolian, (*quæ non est*) *in phrasi evoluturus:* A gratia, *ajens,* excidere dicuntur Christiani, qui postquam Evangelium professi, circumciduntur, non quod gratia jam ante acceptâ priventur: sed quod eo ipso se gratia per Evangelium oblatâ, vacuos testentur. *Æquipollere enim* à gratia excidere, τὸ κατηργῆσθαι id est, inanem & vacuum esse Christo. *Resp. 1. Glossam* Crocianam *ea, quæ jam diximus, non ferunt.* Nullus enim, qui accepit Spiritum Sanctum, per eumque abba pater clamat, benè currit & ex fide bona opera producit: est non-renatus,

natus. Galatæ lapsi acceperant spiritum. Ergo. Perit igitur adversarius principium. *Nec 2. juvat illum verbum* καταργηθῆναι. Nam καταργέω (*vel tuo* Pastore *teste; ne mihi alia sint adducenda testimonia*) *significat cessare facio, mutilem reddo, aboleo, Luc. 13. v. 7. Rom. 3. v. 3. 2i. 1. cor. 6. v. 13. Passivum autem, destrui, aboleri 1. cor. 15. v. 26. Hic (eodem autore)* est evanescere, tanquam separatum *à Christo: Imò destrui & aboleri à Christo; non tanquam à causa efficiente: Sed velut membrum à corpore capitis Christi avellitur. Si tamen primævæ significationi & Etymologiæ morosius placet inhærere, nihil contra nos efficies. In Christo enim, tanquam* θεανθρώπῳ *& redemptore nostro est tota Deitatis plenitudo col. 2. v. 19. Ex cujus plenitudine, nos quoq; accipimus, quandiu in illo sumus, & membra vera manemus: deserentes autem ipsum, destruimur & fide vacui ac justitiâ reddimur. Confer Iob. 15. v. 6.*

Astipulatur nobis Ambrosius *super h. l:* Quibus nihil, inquit, prodest Christus, evacuati sunt à Christo. Erant enim gratia ejus pleni, qua recedente evacuati sunt. His enim loquitur, qui post acceptum donum gratiæ Dei circumcidi se maluerunt. *Et rursus ibidem:* Exercitium illorum in opere fidei bonum fuisse testatur, sed nequitia malorum hominum detentos, ne cursum

suum gratia perseverante consummarent: unde, ut resipiscant hortatur.

3. An justus possit deficere à Deo vivente?

*III. Heb. 3. v. 12.* Videte, ne quando sit in ullo vestrûm cor malum & infidele ad deficiendum à Deo vivente. *Verba Græca sunt:* Βλέπετε ἀδελφοὶ, μήποτε ἔσται ἐν τινι ὑμῶν καρδία πονηρὰ ἀπιστίας ἐν τῷ ἀποστῆναι ἀπὸ τοῦ θεοῦ ζῶντος. Videte fratres, ne quando sit in ullo vestrum cor obnoxium (malum) incredulitati, ut desciscat (deficiat) à Deo vivente. *Notamus hîc* primo subjectum. *Fuisse enim istos Judæos conversos, declarat versus 14, quo ait author:* Participes namque facti sumus Christi, si sanè initium substantiæ (*fidei*) usque ad finem firmum retinuerimus; *Erantq; de illis, qui sese quotidiè* mutuò adhortabantur, ne desciscerent *v. 13. inprimis capite 4. v. 1. 3.* Secundò: *Hi tamen ijdem poterant à fide & Deo vivente apostatare & deficere: cor suum indurare, ut in Massa & Meribâ fecerant majores eorum. Concludimus:* Quicunque antea verò credentes, postmodum cor malum concipiunt & obnoxium incredulitati; ita ut desciscant à Deo vivente, sicut fecerant eorum majores: illi fidem veram non retinent. Atqui Judæi hi antea verè credentes, postmodum poterant cor malum concipere,

pere, & obnoxium. &c: Ergo fidem veram poterant non retinere.

*Excipit 2.* Crocius *p. 176.* non legi hic apostasian justorum, sed necessariam submonitionem de genuina hominis ad malum proclivitate, cui seriæ exhortationes, quæ nos in Dei timore retinent, medeantur. *Resp. Etsi apostasia nondum istorum Judæorum facti describitur, tamen majorum describitur. Ac Judæis istis conversis æquè facilem & possibilem esse apostasian, a majorum exemplo, qui Spiritui Sancto, in Massa & Meribâ, reluctati fuerunt & exacerbarunt eum, confirmat. Quare illos hortatur, ne idem peccatum, eandemq; cum illis incurrant pœnam.*

*Postea sibi contradicit in eo, quod scripserit legi exhortationes, quæ nos in Dei timore retinent: Et tamen subjiciat, inquiēs:* Non autem alloquitur verè renatos, sed eos, qui imbuti erant Christianismi rudimentis. *Ubi præterea interrogandus est, quidnam sit imbui Christianismi rudimentis, si non fidei verbo?* Capite *quidem sexto refert author hujus Epistolæ,* se Hebræos pascere lacte & elementis initij eloquiorum Dei, qui jam doctores esse debebant; *quibus tamen fidem non derogat,* sed adscribit & ex *operibus eorum fidelibus evincit. Quinimò; qui pascuntur lacte, doctrinæq; Christianæ initijs, sæpe forti præditi sunt fide.* Proinde aliud est, *in*

*cognitione articulorum fidei esse infantem,* aliud *verò in ipsa fide. Multi Christiani cognitione & eruditione magni, sæpe tam parvâ & exigua micant fide, ut interdum in illis vix fumiget, tantum absit, ut radiet, fulgeat. At Chananæa, aliíq; homines multi cognitione parvi, prædit: sunt fide magna. Idem non immerito de hisce sentimus Judæis. Laudat enim illos Apostolus, v. 9. & 10. c. 6.* quod multa passi sint ob fidem, multaque opera charitatis ex fide sanctis Dei exhibuerint & ministrarint: *monetq; ut in πληροφορίᾳ & certitudine illa spei ad finem usq; decertēt v. 11.* Qui a habet πληροφορίαν spei, exque fide opera charitatis facit & alacriter decertat; is sanè fide non caret. *Quod antecedens cum sit: verum & consequens est, de quo Crocius pronunciat p. 167:* Quorum (*Hebræorum*) incredulitas cum pravitate & malitia conjuncta foret, si percepto Christi gustu ab ejus fide *discedant.*

Ultimo Crocius *suarum exceptionum infirmitatem agnoscens scribit:* Si vel maximè hic foret assertio defectione quorundam à fide; tamen falsaciter id, quod indefinitè de cœtu Hebræorum enunciatur, ad viva & electa ejusdem membra affirmatè restringeretur. *Resp. Cur non* Croci? *Nunquid propterea, quod tu diversum sentis? Attamen Spiritus S. affirmatè de electis pronunciat* partim, partim *de renatis. Nam evi-*

*evidenter ex verbis Apostoli id elicimus*, quibus de ijsdem & universis credentibus Hebræis pronunciat, quod & stare & cadere sive desciscere possint. *Confer capitis 3. v. 7. 8. & 12. ibidem cum 13. & cap. 4. v. 2. 3. cap. 6. v. 9. 10. 11. &c.*

## 4. An justus possit reddi sal insulsum.

*Asserit Christus Marc. 9. v. 50.* Bonus est sal: quod si verò sal insulsum fiat, quonam ipsum salietur? *Progrediamur hic juxta* Hilarij *admonitionẽ: quod nimirum salis sententia & doctrina simplicissimè ex natura salis, cum officio doctorum Ecclesiæ, auditorumq; comparata, percipiatur.* Salis *verò natura explicatur ex parte Ezech. 16. v. 4. ubi tradit propheta, infantis recens nati umbilicum* sale saliri, *quod nascentis materia putrefactiones secum afferat. Et Levit. 2. v. 13. sine* sale *nulla victima, Deo placens, offerri poterat. Jobi 6. v. 6.* Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? *salis igitur virtus & usus est 1. ut sua* acrimonia pravos humores absumat. 2. insipidis gratum saporem conciliet. 3. carnes & res conditas à putrefactione conservet. *Hæc applicata docent 1.* salem doctrinæ *cœlestis hominem à putrefactione peccati liberare. 2. insipidos Deo sapidos & placentes facere. 3. justificatos, ne rursus insipidi fiant & putrescant, conservare. Porrò Scriptura* salis sive

*proverbium* sive *simile*, tàm *ad Doctores Ecclesiæ*, quàm *ad Christianos omnes in genere refert*. Priori modo *innuit Christus doctrinam Apostolorum sæpe corrumpi & infatuari* (μωρανθῇ): *quæ verè sapientiæ sal est*; & *desipit, quoties concionatores* verbi malè docent, malè applicant, & male vivunt. *Atq; sal ejusmodi ad rem nullam amplius utile est. Quo innuit concionatorum verbi lapsus & errores esse lapsibus & erroribus reliquorum hominum graviores, pejores & nocentiores.*

*Deinde*, salis simile quoque ad auditores & Christianos *in genere quosvis refertur Col. 4. 6.* sermo vester sit sale conditus. *Sic quoq; Luc. 14. v. 34. 35. & Marc. 9. v. 49. ubi gravissime salis nomine docet servator*: Omnis (homo) igne inquiens, salietur, & omnis victima sale salietur. v. 50. Bonares sal est: cæterum si sal insulsus fuerit, per quid ipsum condietis? Habete in vobisipsis; salem & pacem habete inter vos invicem. *Omnis* autem *verè Christianus est Deo victima Rom. 15. v. 16. præcipuè respectu suorum operum & precum ex fide promanantium, Mal. 1. v. 11. Apoc. 8. v. 3. ps. 51. v. ult.*: cui, *ut condiatur sale spiritus S. inprimis tribulationis, necesse est 1. Pet. 1. v. 7. Qui verò ita conditus est sale spiritus & probatus Cruce, is verum salem veramq; spiritu pacem & gaudium persentit, Rom. 5. v. 1. 2. aliosq; ejus fructus, Gal. 5. v. 25. c. 6. v. 8. Proinde omnis fidelis*

Chri-

*Christianus est sal sanum, sicut omnis incredulus & peccator sali fatuo merito comparatur: qui ad nihil amplius est utilis, nisi ut à facie Dei abijciatur. Graviter & eruditè* Theophylactus *abbreviator* Chrysostomi *de utrisq; (docentibus scil. eorumq; doctrinâ & audientibus illos) capit salis simile in capite 9. Marc.* De his *ita scribit:* Habete igitur in vobisipsis salem, hoc est, spiritus gratiam, quæ cohibeat ita, ut pacifici sitis: nam qui constringitur charitate erga proximum, hic salem habet, & pacificus est cum fratre suo. *Et in cap. 14.* Lucæ sub finem. Omnes itaque fideles sal sunt, ex divinis sermonibus & superna gratia, qualitatem suscipientes. *Iterum:* Christi sanè discipulus sal esse debet: non solum ipse bonus existens, sed malitiæ non particeps, alijsque communicans bonitatem. *Hactenus ille. Sive igitur ministros verbi, sive omnes pios & fideles, per salem accipias: utrobiq; fidelis cũ doctrinâ fidei & fide & operibus accipitur. Nec inscitè possibilitas turpitudoq; defectionis depingitur: quum & præstantissimos doctores, ceu stellas de cœlo cadentes, & alios Christianos labi & infatuari, non in vita & moribus tantùm, sed etiam in ipsa fide, non abscurè ostendat.* Igitur, Quo pij doctores ab impostoribus, fucis & mercenarijs: pij fidelesque Christiani ab infidelibus discriminantur: id hic intelligitur. Atqui sincera

do-

doctrina sinceraque officij in fide & orationibus pro grege commisso, administratione, accuratâque verbi sectione & præmonitione, cum disciplinæ adhibitione, fidelis doctor Ecclesiæ ab infideli: fideque & genuinis fidei fructibus, fidelis ab infideli, tanquam sal sanus à fatuo discriminatur: Ergo per salem doctores Ecclesiæ fideles, fidelesque Christiani quivis intelliguntur. *Errat igitur* Crocius, qui, cum *p. 177.* de obscuritate, variaque interpretatione hujus loci esset conquestus: & tamen ibidem ex Metonymica Metaphora nō obscurū reddidensum dixisset: *regerit p. 178. doctrinam verbi, non fidem habitualem aut justitiam designare Quod quam jejunum sit, ex dictis facilè apparet.*

## V. An justus possit se alienare retrorsum?

*Esa. 1. v. 4.* Ah gens peccatrix! filij corruptores! dereliquerunt Jehovam, abalienaverunt retrorsum: quamobrem augetis apostasian? Dupliciter *hoc argumentum militat.* Primò infantiæ respectu, *in qua omnes Israëlitæ, in circumcisione octava die peracta, fidem conceperunt, & in fœdus Dei æternum recepti sunt. Ex qua recidentes fidem suam & gratiam fœderalem amiserunt.* Postea respectu adultæ ætatis: *in qua multi à Domini cultu, fide, ac pietate vera ad Baales, aliosq; Deastros transfugerunt, aliisq; pec-*

*peccatis sese commaculârunt. Ipsi namq; non duntaxat parentes deseruisse Deum perhibentur, sed & filij. Dura sanè sunt prophetæ verba, ex quibus ita colligimus.* Qui fuerunt filij Dei ac dereliquerunt Deum, corruptores facti, ab eoque se abalienarunt retrorsum: illi antea Deo vera justitia & fide adhæserunt. *Relata enim sese mutuo tollunt & ponunt, omnisq; privatio supponit habitum.* Atqui hi apostatæ fuerunt filij Dei, qui Deum dereliquerunt, corruptores facti & à vero Deo abalienati fuerunt. Ergo antea Deo vera justitia & fide adhæserunt.

*Obloquitur* Crocius *p. 178.* quod duo sint expendenda. Primum, qualiter dicantur filij Dei: secundum, quomodo à Deo deficiant. Ubi primo *notamus verba ipsius, immediate sequentia:* Adoptio in filios erat populi Judaici separatio ex gratuito Dei amore, à Deo facta ex toto genere humano, ut Deus se ipsi patefaceret, & promissiones suas, & verum sui cultum penes eum deponeret, utque ex ipso nasceretur Christus, in quem credentes reconciliarentur Deo & essent hæredes vitæ æternæ. *Nos hinc ita inferimus.* Ejusmodi adoptatos filios propheta describit, ex sententia Crocij, & fuisse Israelitas perhibet, qui habuerunt promissiones, eisque credentes reconciliarentur & essent vitæ æternæ hæredes. Si igitur adoptio in filios

Dei

Dei complectitur promiſsiones & reconciliationem cum Deo, etiam eâdē gratia adoptatos complectitur. At prius eſt, teſte Crocio. Ergo.

*Verum quod altera manu largitus erat, altera rurſus adimit, ex Johan. 8. cap. objectans:* filius manet in domo patris in æternum. Hi v. non manent. *Reſp. Filij Dei* alij *ſunt ſecundum præſentem fidem, ut* Auguſtinus *loquitur*, alij *ſecundum propoſitum, qui ſecundum ordinem Electionis ad vitam ingrediuntur. Hi filij manent, illi deficiunt.*

*Ait p. 179.* poſſe dici, quod diverſi temporis reſpectu, dicantur filij & hoſtes, id eſt, mutati in hoſtes, qui prius fuerant filij in ſuis majoribus. *Verum ipſe adverſarius hoc effugium reÿcit, ſcribens:* Sed quia præſenti populo (NB) objicit crimen defectionis, iterum vocat eos filios degeneres, & ſcriptura ſæpe etiam impijs tribuit nomen filiorum. *Quod poſterius admittimus, ſed ea lege, ſi tales* non ſecundum præſentem ſtatum *(quo ſunt filij degeneres & corruptores) dicantur; ſed* ratione termini, *veræ filiationis, à qua digreſſi fuerunt.*

*Cenſet igitur aliter reſpondendum. Quid verò?* Dei filij *(ſunt ait)* duplices. Alij tantum vocatione & profeſsione, & ſocietate externa Eccleſiæ, doctrinæ, ſanctorum ſunt filij Dei. Alij, *inquit p. 180.* ſunt veri, *id eſt, non tantùm vocatione*,

ſed

sed etiam electione & regeneratione filij. Illos dicit esse hypocritas & servos nequam, qui ejiciantur tandem: non hos. *Resp. Istam distinctionem tyrannicam hypocriticamq;, quæ meritum, vocationem, & verbum Dei enervat respectu reproborum; adeoq; omnia beneficia in secundo & tertio articulo generi humano acquisita & oblata, mutilat & corrumpit, supra refutavimus.* Deinde: *Judæos omnes in circumcisione in fœdus Dei æternum receptos ac fide donatos probavimus: ut non externè, sed internè & eâdem verbi virtute, non causâ, vocati sint, qua electi.*

*Hinc depulsus* Crocius *excipit p. 180*, definiens defectionem, sive apostasiam, quod in genere sit negatio obedientiæ & subjectionis ei, cui prius præstabatur, aut debebatur, aut promissa erat. Ejus gradus sint varij, qui omnes in scriptura exprimantur verbis פָּשַׁע & מָרַד rebellandi & deficiendi. Alia *sit interna*, alia *præterea externa*: alia *temporalis*, alia *finalis*: alia *universalis*, alia *particularis*. His contentè meditatis, in aprico esse, Israëlitarum apostasian nihil facere ad propositum, putat. *Resp. 1. Frustra conaris reddere dubia, quæ clara sunt. Nam omnis apostasia a Deo, conjuncta est cum amissione veræ fidei; idq; duobus fit modis.* Primo *peccatis grandibus & obedientia concupiscentiæ*: altero *autem hæresi. Utroq; modo tempore Esaiæ defecerint Israelitarum*

*rum multi. 2. Absurdum autem est dicere, illum deficere à Deo, qui nunquam credidit in Deum: Ideoq; nec hypocritæ quandiu hypocritæ, fuerunt Dei filij: quos Deus se gravius puniturum dicit, horribiliusq; irascitur, quam pessimis peccatoribus.*

## VI. An justus possit deficere à fide?

*1. Tim. 4. v. 1.* Spiritus autem diserte dicit, quod in posterioribus temporibus desciscent quidam à fide (ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως) attendentes spiritibus impostoribus ac doctrinis dæmoniorum. *Locus hic est insignis.* Nam ea fides hic intelligitur, à qua fideles Christianos hæretici, ciborum & conjugij hostes, seducebant. Atqui non seducebant eos à fide tantum historica, verbo scilicet scripturæ, quam non negabant: sed inprimis fide salvifica. Ergo illa hic intelligitur. 2. A qua fide reliqui hæretici Christianos, ut fundamento & medio salutis, seducebant: ab eadem & hi. Atqui reliqui Christianos à fide salvifica taliter seducebant. *Confer. 1. v. 19. cap. 6. v. 10. Matth. 24. v. 23. 24. Denig. 3.* Ejusmodi apostasia *hic* describitur, quæ affert insigne damnum Ecclesiæ. Atqui hypocritas à fide externa desciscere non affert Ecclesiæ damnum, sed commodum. Ergo illa hic non describitur.

Crocius *ait 1. p. 181.* non dici penitus defeciſſe.

feciſſe. Reſp. Qui ita deficit à fide, ut attendat impoſtoribus & doctrinis dæmoniorum: is nullam fidem ſalvificam retinet. *Hæc enim attentio non nuda fuit, ſed conjuncta cum aſſenſu & rejectione veræ ſalvificæ & doctrinæ & fidei.*

*Ait* Secundo, Apoſtolum meminiſſe quorundam hominum; non dixiſſe juſtos defeciſſe. *Reſp. 1. Falſum eſt, Apoſtolum quorundam hominum dixiſſe, quod inſpectio textus evincit:* deficient quidam à fide; *Num falſa? Non, ſed verâ, cũ an re fideles fiducialiter auſcultarint & obtemperarint, ut oppoſitio docet.* 2. Deficiunt ab illâ fide, à qua lapſi pereunt. At in nuda externa fide non ſalvabantur, nec ab ea deficientes peribant; aliâs quoque perituri ob incredulitatem ſuam.

*Regerit* eſſe ſeductos à doctrina vera: cui opponantur doctrinæ dæmoniorum, à ſpiritibus deceptoribus per hypocriſin falſiloquis diſſeminatæ. *Reſp. Eſt fall. oppoſitorum. Nam licet à fidei doctrina vera ſeſe avertiſſent, non tamen à nuda doctrina, ſed ab ipſa quoq; fide Chriſti. Eo enim ipſo quo attendebant & obtemperabant impoſtoribus, falſis doctrinis, & fallaciis cultuum; hi fideles non tantum à doctrina, ſed ab ipſa quoq; fide Chriſti & juſtitia defeciſſe, rectè arguuntur. Probatur & confirmatur tùm ex oppoſitione,* tùm *ex verbo προσέχειν: quod hic cum ſtudio, ac ſummo obſequio cultuq; obtemperare ſignificat. Confer.*

*Act. 8. v. 11.* & Budæum *in Lexico in voce* προσέχω *fol. 666.*

## VII. An justus possit excidere à propria stabilitate?

*2. Pet 3. v. 17.* Vos igitur, dilecti, posteaquam præmoniti, cavete, ne simul cum alijs nefariorum errore subducti, excidatis à propria stabilitate. Sed crescite in gratia & cognitione Dei. Quos monet Apostolus, exemplo nefariorum prolapsorum Christianorum, ne à propriâ stabilitate excidant: Illi æquè atque lapsi, possunt labi. *Consequentia à pari valet. Si n. lapsi* illi *non habuissent veram fidem, nec* hi *labi in ista peccata horrenda possent; non comparatio, nedum pariem esset.* Atqui fideles & justificatos monet Apostolus, exemplo nefariorum Christianorum prolapsorum, ne à propria stabilitate excidant. Ergo.

*Excipit* Crocius *p. 181.* monere Apostolum credentes, non quod possint excidere, & certitudo salutis dubia sit: Sed ut carnis desidiam corrigamus. *Resp. 1. Qui possunt carnis desidia abripi, possunt quoq; à fide seduci: Positis enim medijs & causis errorum, effectus poni potest. 2. jam ostendimus* Crocium *enervare argumentum* Petrinum. *3. Adhortationes à malo, toties in scripturæ iteratæ, non possunt esse, frustraneæ, sed suæ praxi*

*mi-*

*nituntur. Accidit 4. quod admonitiones à re impossibili nullibi sumat scriptura, tanq. possibili. Faciunt n. Spiritum S. mendacem.*

## VIII. An justus possit aversari eum, qui est in cœlis, quem tamen antea cognoverit?

*Heb. 12. v. 25.* Videte ne aspernemini loquentem: Si enim illi non effugerunt, qui aversabantur loquentem in terra, multò magis nos, si eum, qui de cœlis est, aversemur. *Inde sic arguimentamur. Apostolus hic non alloquitur contemptores verbi & infideles, sed Judæos conversos, qui accesserant ad montem Zion, & ad civitatem Dei viventis, & ad N. T. mediatorem &c: v. 22. 23. 24: quos nihilominus monet, & à simili exemplo, pariq; casu, parem veterum Judæorum & Christianorum infirmitatem depingente, ad stabilitatem incitat.* Qui enim ijsdem infirmitatibus & lapsuum timori obnoxij sunt, quibus Judæi in V. T. obnoxij fuerunt: ij facilè possunt excidere fide. Atqui Judæi Christiani ijsdem infirmitatibus & lapsuum timori obnoxij, quibus Judæi in V. T. obnoxij fuerunt. Ergo. *Non igitur effugium* Crocianum *ullius terunctj est pendendum, Paulum de non-renatis loqui, verùm de homine, qui vivat tempore Evangelij revelati in Ecclesia.*

## IX. An justus possit transgredi & non manere in doctrina Christi?

2. *Joh. 9.* Omnis, qui transgreditur, & non manet in doctrina Christi, Deum non habet: qui manet in doctrina & patrem & filium habet. Loquitur Apostolus *de fidelibus. Nam de* ejusmodi agit, qui manentes in doctrina Christi, fide salvifica habeant patrem & filium: quos nemo habere, nisi justificatus fide potest. Porro: *lapsus possibilitas clara demonstratur.* Omnis qui transgreditur, & non manet in doctrina Christi *(faciendo eam)* Deum non habet. Atqui David, Aaron, Salomo, Saul, Petrus transgressi sunt & non manserunt & tenuerunt doctrinam Christi &c. *Ergo.* A *deoq; dum* adversarius *qui vult esse oculatus, dicit neminem hic, licet Argo oculatiorem, perspicere justum alique notari, nimis est cæcus 2. negat* propositionem *ad regenitos restringi p. 184. Resp. ex abundanti,* Qui possunt labi in doctrinam Anti-Christianam, &, quæ piè sunt operati, perdere: verè possunt à fide deficere. Atqui credentes in veritate (quam Deus in æternum manere in illis volebat v. 2.) hoc possunt. Ergo.

*Misera est itidem limitatio* prædicati, *distinguendo inter* mansionem in fide & mansionem in doctrina. *Nam Apostolus* & generalitatem pro-

propositionis *ad credentes restringit, quos tamen omnes ne excidant hortatur* & deinde *permansionem in doctrina*, & *ipsa fide Christi, connectit: quod nempe illi quoq; qui ambulant in veritate, quæ in stantibus in æternum permanet: à doctrina Christi transitum facere possint. Imò non tantum possint, verùm etiam nonnulli actu transeant. v. 8. quæ universalis non frustra in tempore præsenti collocatur.*

## X. An justus possit refrigescere?

*Matth. 24. v. 12.* Quoniam multiplicaverit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit. In qua charitate electi usque ad finem perseverant: ea in multis alijs refrigescit. At in charitate fidei, quæ est fructus fidei, Electi ad finem usque perseverant. Ergo Charitas fidei, quæ est fidei fructus, in multis refrigescet. *Porrò*: In quibus refrigescit Charitas, in ijs fuit. Atqui in multis Christianis refrigescet. Ergo. *Præterea etiam de conversis, qui olim renati fuerunt, & de fidei fructibus, (qui quos comitantur, ipsam fidem habent) agit. Confirmo 2. ex oppositione vera, quâ perseverantes, refrigescentibus opponuntur. Quare inane est* Crocij *effugium* primum, *scilicet justos* quandoque in fidei & charitatis studio segnescere, nec tamen inde fervorem

illum prorsus exstingui, concludendum esse. *Quod ipsemet cernens, contrariâ ingreditur viâ*; *replicans.* Et mente Apostoli justis hoc charitatis frigus candidè non imputari, sed tum *ad degenerem posteritatem*, tum *ad istius seculi hypocritas, qui præse charitatem ferebant, rectius restringi.*

*Resp. Quidni* Croci? Justi, ais, salvantur, & sunt, qui perseverant usque ad finem, quos Christus ab his frigescentibus discernit: Christum docere, qui sint salvi futuri, scil. soli perseverantes. *Resp. 1. Esse sermonem de conversis, jam ex visceribus textus patuit. 2. Nec loquitur Christus de posteritate justorum, sed de ipsis justis, in posterioribus temporibus viventibus; & quidem* tam *de illis, qui ante destructionem templi vixerunt,* quàm *qui in temporibus novissimum diem prægredientibus. Utrung; patet. Nam consimilia mala, utring; regnatura prædicit; maximè tamen, sub finem mundi. 3.* Petit Crocius *principium, quoties non nisi illos agnoscit justos, qui ad finem usq; perseverant. Denig; 4. prædicit Christus miserrimum statum & tempora Ecclesiæ: nimirum horrendas persecutiones, securitatem, & seductiones, quæ tantæ sint futuræ, ut etiam charitas multorum, verè justorum, sit prorsus cessatura. Ne tamen pij planè desperarent, eos consolatur & hortatur*

tatur

*tatur, ut perseverent. Quod si faciant salutem consecuturi: Ex his apparet, quam parùm sobriè & prudenter* Crocius *statum quæstionis p. 185. formet.*

## XI. An justus possit excidere?

*Apoc. 2. v. 4.* Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti: v. 5. memor igitur esto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac *Etsi vero Christus Ephesios nondum aperte a fide totaliter & desciviſſe indicat, sed laudat, quod opera fidei præstent, malos & hostes suos oderint; tentarint falsos doctores & fugerint: laborarint & non sint defatigati, sed in tolerantia & patientia permaneant: ideo & non de excisis à Christo, sed torpescentibus in fide & operibus Charitatis sit sermo.; Quod* Crocio *non inviti damus, tamen possibilitatem apostasiæ vehementer arguit & evincit.* Qui enim ita excidérunt charitate & à primis operibus remiserunt, ut nisi recipiscant, candelabrum eorum moveatur: illi possunt prorsus deficere. *Quod nisi possent, Christus mendacij argueretur. Blasphemum!*

## XII. An justi coronam alius possit accipere?

*Apoc. 3. v. 11.* Tene quos habes, ut nemo

accipiat coronam tuam. Cujus coronam vitæ æternæ, tenentis & habētis sed postea remittentis, alius potest accipere: is potest planè deficere. Atqui credentis, coronam tenentis & habentis sed postea remittētis, potest alius accipere. Ergo potest plane deficere. Porrò de subjecto conversō *scribit, quod coronam & habeat, & retinere, & denig; amittere possit.*

## XIII. An justus possit exstinguere spiritum?

*1. Thessal. 5. v. 19.* spiritum ne exstinguatis. *Quid sit spiritus, nobis ita describit* Crocius *p. 186.* Metaphorica, dicens, locutio hæc piam prudentiam nobis commendat, ne vel subducamus eam materiam, qua Spiritus Sanctus in nobis fovetur, ut est verbum Dei, ut sunt sanctæ motiones animi, sancti sermones oris, manus denique sancta, actiones; vel ipsi resistamus quovis modo, sive cogitatione mala, & impurâ, sive locutione & putri sermone, vel denique actione quavis mala ac perversa. Non tamen potest fieri, ut electi Spiritum S. cum gratia sua prorsus amittant. Hæc Crocius, *quæ cum non sint absq; fide salvificâ, sic cōcludimus.* Qui exstinguere possunt Spiritum Sanctum & fidem: illi excutere spiritum S. ac fidem possunt. Atqui verē renati

nati possunt exstinguere Spiritum Sanctum & fidem, suis malis operibus. Ergo.

Crocio negāti Majorem ob electionis immutabilitatem, cujus vi Electi conserventur, *respondemus; esse inanem petitionem principij, & toties mi jam sæpius repetiti, iterationem. Rursus: exstinctio Spiritus Sancti nihil aliud est, quam ejusdem amissio, excussio. Nam, vel ipso* adversario *authore, exstinctio spiritus est, qua materia subducitur, quâ spiritus fovetur in nobis, ut fides, charitas &c. At ubi spiritus est exstinctus, ibi non amplius est. Exstingui enim & manere ac vivere sunt ἀνυπόστατα: Tandem, Actor. 7. v. 51. de Judæis tunc non regeneratis (licet in infantia essent regeniti) esse sermonem, non semel hactenus innuimus ipsi. Quod cum largimur, non negamus tamen, renatos eidem resistere, exacerbare eum, tristare non posse. Repete quæ suo loco dicta sunt.*

## XIV. An justus possit naufragium fidei committere?

*1. Tim. 1. v. 19.* Milita in eis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam, qua repulsâ nonnulli circa fidem naufragium fecerunt, v. 20. quorum de numero est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non maledicere.

*Frustra* Crocius *locum hunc, ipsum solem,*

*obfuſcare laborat; quærens 1. equivocationem* in voce, Fidei: quæ hic pro Evangelij doctrina ſumatur. *Nec Scholia Græca, ad quæ provocat, ipſum juvant:* πίστιν δὲ φησὶ τὴν περὶ τὰ δόγματα: συνείδησιν δὲ τὴν περὶ τῆς πολιτείας, καὶ περὶ τὸ ὀρθῶς βιῶν, hoc eſt, fidem eam dico, quæ eſt in doctrina: conſcientiam verò eam, quæ eſt in converſatione & vita recta. *Nam 1. eſto, ex hypotheſi, non dandâ: nihil tamen obtinebit.* Omnis enim renatus, qui à doctrina, converſatione *pura & vita recta diſcedit; fidem etiam ſalvificam amittit. Vita enim & converſatio pura non eſt citra fidem: ſiquidem piorum conſcientia veram includit fidem & invocationem Dei 1. Joh. 3. v. 21:* Si cor noſtrum non condemnat nos fiduciam habemus erga Deum. *Nec Apoſtolus alienos à fide, ſed ſuum fidelem* Timotheū, *ab exemplo hæreticorum, ne labatur, hortatur. Ergo, quod illis accidit hæreticis, fidei & conſcientiæ violatoribus: id alijs ut accidat, non eſt impoſſibile.*

2. Scholiaſtæ *Græco opponimus* Ambroſium, *ita ſcribentem ſuper hæc verba:* Prædeſtinatus eſt enim (Timotheus *ad prædicationem Evangelij.*) quando ad hoc ab Apoſtolo aſſumptus eſt, ut ordinaretur, dignus judicatus eſt futurus Epiſcopus, ut impleret militiam Evangelicam in

in fide & pura conscientia. Qui enim fideliter docet, non potest malam habere conscientiam. Tunc enim fidem exhibet prædicationi, si se abstineat à contrarijs omnibus; & exemplo bonorum operum multos lacessit ad credulitatem, fidentes de spe prædicationis. Nam qui fidem spernit proculdubio est malæ conscientiæ. Aut enim hypocrita prædicatur, aut apertus blasphemus, sicut erant Hymenæus & Alexander, qui deserentes fidem naufragi facti sunt, id est, nudi veritate, aut privati vita. Quid enim est veritas nisi vita? *Hactenus ille; & piè! Neq; enim à verbis Apostoli est alienum fidem intelligere salvificam. Nam hortatur Timotheum, ut in prophetijs de se militet bonam militiam. Quod ut possit, servandam docet fidem & bonam conscientiam. Fides enim sustentat in certaminibus ministros verbi, ne succumbant, sed fideliter instent operi & precibus.* Porro; *ex fide sequitur bona conscientia. Neq; verò aliâs ordo sermonis Apostolici consisteret, qui hic foret:* Milita in prophetijs bonam militiam, ut fidem, hoc est, prophetias & doctrinam serves & bonam conscientiam. *Quin potius militare bonam militiam, poterat, si servasset fidem salvificam, in Christo fidentem cùm purâ conscientia; aliâs miris modis offensurus. Consentit* Syrus, *qui prophetias appellat* prißinas דלין גיר דלהרא רחקו מנבון פן

מן־הימנותא אסתרכו Isti enim, *qui* hanc, conscientiam abicerunt à se, fide vacui reddi ti sunt. *At non omnes, qui conscientiam abjecerunt statim abjecerunt doctrinam veram. Sed tamen nullus, qui est læsa conscientia, damnante se, est salvus fide, sed vacuus eâ. De ista igitur Hymenæum & Alexandrum, unà cum fidei doctrina transitum & naufragium fecisse apparet. Reliqui nanq; hæretici non leguntur Satanæ traditi; verum illi, qui antea fuerunt in Ecclesia: eoq; Apostolus testatur* esse repulsos ἀπεναμάχους à fide.

*Negat deinde* Crocius *p. 188.* naufragium facere esse prorsus amittere fidem, quod multi naufragi recuperentur. *Auxilium quærit* in Tertull. *lib. de Pœnit. Resp. De verbis* Tertulliani *supra fuit actum: qui tamen* Crocio *non favet. Nam in eodem libro p. 36.* Edit. Paris. *anno 66. in 8. diversum planè testatur, scribens.* Vivo, inquit, Dominus, pœnitentiam malo, quam mortem. Ergo pœnitentia vita est, quum præponitur morti. Eam tu peccator, mei similis (imò me minor, ego enim præstantiam meam in delictis meis agnosco) ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum prolevabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit.

*Hac non succedente via, ait* Crocius, Hymenæum & Alexandrum non penitus defeciisse: sed

Sed cum offendiculo docentes esse excommunicatos. Nam excommunicatio sit traditio Satanæ ad interitum carnis, ut spiritus salvus fiat indie illo Domini Jesu *1. Corinth. 5. v. 5.* Neque enim (*pergit*) hic exspectanda videtur, quum Paulus dicat: traditi Satanæ, ut castigati discotent non blasphemare. *Conatur Probare ex verbo παιδεύθῶσι. Et ex Ambrosio. Resp. 1. Omnisqui à verbo & scriptura deficit, ab ipsa quoq; fide deficit. Illa enim defectio hujus causa est. Si igitur fidem historicam reliquerunt, nec salvificam habere potuerunt. 2. Verbum παιδεύθῶσι non præsentem fidem & salutem excommunicatorum respicit, sed finem: qui est, ut tandem castigati, & conscientiæ onere territi, redeant ad saniorem mentem. 3. Notemus φορτικὰ & crassa Crocij absurda, & paradoxa, qualia sunt: Blasphemantes, Hymenæus, & Alexander, fidem & Spiritum Sanctum non amiserunt. 2. Hymenæus, qui docuit resurrectionem jam esse factam, adeoq; hæreticus fuit; fidem conservavit. Nullus enim electus* Crocio *amittit fidem. 3. Naufragi isti in fide facti sunt isti hæretici, Deoq; mortui: & tamen fidem retinuerunt. At Nullus, qui habet fidem, est naufragus circa eam. 4. Impij, qui antea crediderunt, si postea ob peccata horrenda, castigantur, & Satanæ traduntur; non à fide recesserunt; Vel: Impij Satanæ traditi, sunt filij*

Dei

*Dei & habent fidem.* Contra ; *concludimus hoc syllogismo, ex verbis* Ambrosij, *à* Crocio *citatis formato.* In quo nulla est vita, sed veritate nudus & malæ conscientiæ : is non est in fide salvifica. At vero Hymenæus, Alexander, & alij apostatæ sunt hujusmodi. Ergo. Minor est *Ambrosij, cujus hæc sunt verba, à* Crocio citata: Qui fidem spernit proculdubio malæ est conscientiæ *(talis enim damnationi subjacet 1. Joh. 3. v. 21.)* aut enim hypocrita prædicatur, aut apertus blasphemus *(talis verò est vir mortis, non regni cælorum hæres.)* sicut erant Hymenæus & Alexander, qui deserentes fidem naufragi facti sunt, id est, nudi veritate, aut privati vita. Quid enim est veritas nisi vita? Quos tradidisse se dicit Satanæ, ut emendarentur, causa blasphemiæ. *At qui traditur ut emendetur, non est emendatus ; non habet vitam in Christo ; aliàs enim in ipso maneret palmes : Sed traditur, ut angustatus & legis stimulis excitatus doleat, & in vera fide se rursus ad Deum convertat.*

## XV. An justus possit abijcere fiduciam suam?

*Hebr. 10. v. 35.* Ne abjeceritis igitur fiduciam vestram, quæ magnam habet præmij retributionem. *Antea dixerat Apostolus nonnullos, post agnitionem veritatis, peccasse rursus, & conculcasse*

*se filium Dei, sanguinemq; testamenti profanum dixisse, per quem fuerunt sanctificati. Illorum exemplo suos auditores ne abijciant fidem, hortatur.*

Crocius *excipit* dupliciter pag. 190. Primò, Apostolum ostendere, fiduciam nos maximè ad perseverantiam confirmare. 2. Nullum tentatorum unquam prorsus abjecisse fidem. Nam exhortatio (*inquit*) ad perseverantiam, impedit apostasian, non probat. *Resp. in priore fall. oppositorum committi. Nam etsi fiducia in Deo perseverantiam confirmat, continuat, servat, non eadem tamen præstat abjecta. Ad 2. Ut admittimus fiduciæ adhortationem impedire & precavere apostasian, propositis partibus à fide deficientium exemplis: ita eandem non tantum possibilem esse, sed etiam, quandoq; contingere, evincit.*

## XVI. An justus possit spiritu incipere, in carne desinere?

*Gal 3. v. 3.* Adeò stulti estis? cum spiritu cepistis, nunc carne consummamini? v. 4. Tam multa estis passi frustra? *Galatas à fide prolapsos, antea conversos fuisse probatum dedimus. Et hic spiritu cepisse scribuntur, quem* Crocius *pro spiritu regenerationis accipit p. 190. 191. scribens:* Etiamsi spiritus hic accipiatur pro spiritu regenerationis; nihil tamen contra nostram thesin concluditur?

ditur? Hic renati cum carne, hoc est, operibus legis consummari vellent: frustra eos omnia propter veritatem & pro veritate passos ait apostolus. *Res igitur ipsa clamat, anteà verè credidisse & postmodum fide excidisse.*

*Itaq;* Crocius *apertæ veritati repugnans, Apostolum monere Galatas putat,* ne à Christianismi puritate & spirituali statu *(externo)* ad carnalem Judaismi corrupti statum relabantur. *Imò, inquam, non monet tantum, sed eos ita lapsos & à fide totali, quam habuerunt, & ad Judaismum esse regressos, clarè affirmat.* Deinde *absurdum est & à Christiana sinceritate alienum, monere aliquem ut in externo cœtu & confessione maneat. Nam Christus cupit segregari ab ovili suo impios fucos, finitq; hæresis spargi, sceleraq; permittit, ut manifestentur, 1. Cor. 11. v. 19. Marc. 4. v. 17. 18. 19. Imo mavult manifestè impios quàm tepidos, Apoc. 3. Absurdius est hypocritas & civiliter justos esse in spirituali statu: qui tamen Crocio absolutè reprobi sunt.*

*Audiamus nunc, quales non-renatos nobis effingat Christianos:* Hic autem Apostolus loquitur de illis, qui initium tantum aliquod & rudimenta spiritus regenerationis, quæ in superficiaria Evangelij notitia atque amore, quali, quali subsistunt, acceperunt, dicens ( *Apostolus* ) spiritu incepistis. Nos autem nò negamus, quin qui talem

talem spiritum, seu hujusmodi regenerationis initia prorsus amittant. *Infra*: Vera autem regeneratio non tantum est notitia veritatis in intellectu, sed & in serio ejus amore & sanctificatione voluntatis & vitæ.

*Resp. Hæc non sunt Theologo, nedum docto & multis annis in Theologicis disputationibus exercitato, digna. Itaq; 1. Galatas fuisse revera conversos supra tam clarè evicimus, ut addere quicquam non libeat.* Qui enim per Spiritum S. benè currit, clamat abba pater, (quod nemo potest nisi ductus à Spiritu Sancto); accepit Spiritum Sanctum, ex eoque fructus spiritus operatus est: sanè ipsum Spiritum S. non rudimenta tantum habet, 2. *Num Spiritu S. incipere & clamare pater, est tantum initium Evangelij habere? Pessima est hæc contradictionis implicatio. 3. Ubi scriptura loquitur, pios primum rudimenta spiritus regenerationis & initium aliquod, accipere? Hic a. primum vitium est, Spiritum Sanctum pro nuda cognitione literali doctrinæ poni. Quod nullibi fit. 2. Spiritus Sancti dona gratiosa, citra ipsius essentiam, donari: Quod in* Lombardo *& alijs est damnatũ. 3 rudimenta spiritus quædam esse, ponere pro initijs fidei. At verò ubi est Spirt. S. ibi est regeneratus. 4. Rudimenta spiritus esse regenerationis. Ubi hic manet hypotyposis sanorum verborũ? Fides sanè & regeneratio uno momento formari, integra esse & ab-*

*ſolvi poteſt, nec indiget morâ. Addo deniq; : diſcrimen eſſe, inter regenerationem, & renovationem obſervandum.* Illa *in momento, quo fides datur, abſolvitur, perficitur:* hæc *incrementa capit.*

## XVII. An juſtus poſsit ſe ſubducere?

*Heb. 10 v. 38.* juſtus autem ex fide vivet, & ſi ſe ſubduxerit, non probabit (εὐδοκεῖ beneplacitum habebit in eo) eum animus meus. Beneplacitum eſt patri in filio *Matth. 3. v. 17. 1. Pet. 2. v. 17. & per eum in nobis. Extra filium verò ſumus filij iræ. Sic de ſacrificijs habetur Heb. 10. v. 6.* ἐκ εὐδόκησας, non comprobaſti *cum beneplacito divino.* Deinde, *non ſubductio quælibet, hic indigitatur, ſed ea, quâ à fide abducimur, & tendit in perditionem Heb 10. v. ult. Tandem: Apoſtolum loqui de converſis ex ſuperioribus novimus. Sic igitur colligo.* Si juſtus ex fide vivens poteſt ſe ſubducere ex fide ſua in perditionem: utique fidem poteſt amittere. Atqui juſtus ex fide vivens poteſt ſe ſubducere ex fide ſua in perditionem. Ergo. Minorem *præter hunc locum, ſuperiora teſtimonia & toties repetitæ adhortationes, aliaq; exempla cap. 6. & 10. verſu 34. 35. & 38. ac 39. adducta confirmant. Habes igitur,* Croci *hic Logicam illam, quæ ex illo teſtimonio hanc concluſionem conficiat:* juſtus poteſt ſe ſubducere à vita æterna: quam pag. 191 deſiderabas. Inane proinde

inde est χρηστόφυτον non confici ex parte anteriore nec posteriore: *imo, inquam, ex toto isto oraculo fluit. Inanius profecto & puerilius est ludere paralogismis & monstris syllogismorum, ex tuo ingenio confictis. Apage istas nænias!*

*Reliquas duas objectiunculas* Crocij (Quod si justus se non possit subducere, *tamen exhortatio non sit irrita & frustranea, sed calcar addat ad stadium. 2. si ponatur, justum intelligi, ipsi apostasian non convenire, quatenus est in fœdere Dei, sed quatenus in se consideretur:*) *multoties jam repressimus. Proinde nihil addimus.*

## XVIII. An justus possit abnegare Dominum?

*2. Pet. 2. v. 1.* Fuerunt a. & pseudoprophetæ in populo, quemadmodum & inter vos erunt falsi doctores, qui clàm inducent hæreses pernitiosas, etiam Dominum, qui illos mercatus est abnegantes, accersentes sibipsis celerem interitum. *Notamus 1. istos falsos doctores fuisse in Ecclesia exortos. Ergo fuerunt, saltem in baptismo, renati. 2. Conjungimus cum hoc loco illum, qui est Hebr. 10. v. 26. 27. Valde igitur probabile est multos eorum non duntaxat in infantia, sed etiam in virili ætate fuisse justificatos fide: & tamen tantas hæreses induxisse.*

## XIX. An juſtus poſsit redi ſcoria ac degenerare in vitem alienam?

*Affirmatur ex Eſa. cap. 1. v. 22.* Argentum tuum abijt in ſcorias, merum tuum inſpurcatum eſt aqua. *Jer. 2. v. 21.* Ego plantavi te optimam vitem, totum ſemen fidele, quomodo ergo mutata es mihi in degeneres palmites vitis alienæ? Eſa. 5. v. 1. vinea eſt dilecto meo clivo uberrimo, quam circummunivit & elapidavit, conſevitque generoſis vitibus, & exſtruxit turrim in ea: Sed quum expectaſſet, ut ederet uvas, edidit labruſcas.

Crocius p. 194. regerit, agi de hypocritis; Ac fuiſſe urbem ſanctam ſub prioribus Regibus pijs, nunc autem facta ſit meretrix. Id quum negarit, reſpondere Dominum, eam eſſe ſimilem ſcoriæ & vino corrupto: quæ quum habent colorem argenti & vini, tantum ſint ſcoriæ & vappa. *Reſp. 1. ſupra ipſe* Crocius *dixerat crimen objici* præſenti populo deſertori: *nunc ſibi contradicens, ait de majoribus intelligi; quod diſertis verbis ſupra negaverat. 2. Per argentum innuit publicum miniſterium, ante ſat purum, eſſe in hypocriſin peſſimam, converſum; ſicq; à vera defeciſſe fide non paucos, ſed innumeros.*

*Deinde, inquit p. 195.* ſimilitudo vitis generoſæ non indicat naturam populi Iſraelitici, ſed ſco-

scopum consilij divini: Deque visibili Ecclesia Israelitarum dici, non de electis. *Resp. 1. Non tantum de consilij divini fine ista dicuntur, sed ipsa quoq; naturâ populi. Nam ait eum tempore plantationis & introductionis in terram Canaan fuisse vineam valdè pulchram: id quod Josuæ historia contestatur. At postea iteratis vicibus defecit; inprimis verò temporibus Jeremiæ. 2. Dominus eandem Ecclesiam optimè plantaverat in cujuscunq; circumcisione, ut essent in infantia vinea Domini electa: verum, adulti ad impietatem variam & idololatriam sese converterunt Israelitæ, & conversi sunt in palmites degeneres vitis alienæ.*

## XX. An justus possit de cœlo decidere?

*Matth. 24. v. 29* stellæ de cœlo cadent. *A. 8. v. 10.* cecidit è cœlo stella magna, ardens tanquam facula, & cecidit &c. *v 11. Nomen stellæ dicitur absynthium. Per quam stellam* Lutherus Origenem *intelligit. Alij alios. Cap 9 v. 1.* cadit iterum stella, anti-Christianus scil. Papa de cœlo. *Etsi igitur Matth. 24. v. 29. (ut excipit Crocius rectè contra Bertium) agitur de cœli stellis, deq; ejus commotionibus, tamen in alijs locis per cœlum intelligitur ipsa Ecclesia & regnũ Dei in terris: ex quo multi doctores pij, ceu stellæ lucentes, in sanctitate, fide & doctrina, excidunt, & postea in pessimos errores*

*proruunt. Confer, quæ supra de lapsis doctoribus recitata sunt.*

## Cap. IV.

## Ubi Demonstratio secunda ab invictis scripturæ exemplis petita, proponitur.

Syllogismus Bertij *hic est.* Quod angelis beatis, quod Adamo & Evæ vera justitia & sanctitate præditis accidit: quod scripturæ factũ in alijs narrant, deplorant, culpant, futurum prædicunt: id omninò fieri potest. Sed justos justitiam deseruisse, testantur scripturæ in angelis; in Adamo & Eva, alijsq; in quibus hoc narrant deplorant, culpant, futurum prædicunt. Ergo justus potest suam justitiam deserere. *Vel sic;* Si justus non potest deserere justitiam suam, jam neque angeli sancti, neque primi nostri parentes in paradyso eam deseruissent, neque idem in alijs quoq; sanctis narrarent scripturæ factum, neq; deplorarent, neq; futurum prædicerent. Atqui illis hoc contigit. Ergo sanctus & justus potest deserere justitiam suam.

Crocius *p. 198. negat* Minorem. Deinde *inter justitiam Evangelicam & legalem distinguit.* Hanc deseri posse, at non illam: ideoque se exemplis de illa loquentibus, & hic allegatis haud gra-

gravatim subscribere ait. *Verùm respondemus; si sancti angeli & Adamus atq; Eva justi creati, lapsi sunt, idem de justificatis in fide negari non potest. Posito enim majori lapsu minor negari non debet. At verò angeli fuerunt justi, & quidem justi creati. 2. legem habuerunt inscriptam sibi. ad imaginem Dei, in verâ justitia, bonitate & conditis.* Similiter *protoplasti fuerunt justi creati: quæ justitia ultrò servare eos conabatur: Habuerunt præceptum & interdictum Dei, quid facere aut omittere deberent, non violandum, nisi morte æterna & temporali vellent mori. Sancti verò renati laborant multis internis & externis vitijs & infirmitatibus, ut sint angelis & protoplastis in gratia inhabitante & fortitudine inferiores. 3. Spiritus S. Majorem ulterius confirmat 2. Pet. 1. v. 4.* Si Deus angelis peccantibus non pepercit, sed catenis noctis detractos in tartarum tradidit, servatos in judicium, multo magis illos, qui sequuntur falsos doctores, aliosque prævaricatores impœnitentes puniet *Item; 2. Corinth. 11. v. 3. 4. Ut angeli & protoplasti habuissent gratiã Dei, sibi semper assistentem & servantem, si perstitissent: Sic & sibi gratiam Dei perpetuam habebunt, si pergent manebunt in fide; aliàs morituri Rom. 8. v. 13. & exscindendi Rom. 11. v. 22. Neq; enim in his ullibi gratia Dei permanere scribitur, qui deserunt Verbum. Paritatem igitur in hac re Crocium & socios ne-*

*gare non oportebat. 5. Porrò* Minoris *veritas est aperta. Angelos enim quosdam esse lapsos testis est* Judas *v. 6.* Petrus *2. Pet. 2. 4.* Christus *Joh. 8. v. 44. Atque* protoplastos *penitus amisisse fidem testatur ipse Deus Gen. 3. spoliati enim sunt justitia originali Gen. 3. v. 7. & seqq. c. 5. v. 3. Rom. 3. v. 23. Nec dum Evangelicam habebant, sed accipiebant Gen. 3. v. 15. 16. cap. 4. v. 1.*

*Replicat deinceps* Crocius *pag. 200.* protoplastos quidem gravissimè lapsos esse; verùm non prorsus excidisse, nec penitus corruisse. Retinebant, enim, *(inquit)* Dei timorem, graviter etiam puniti, at majorem pœnam commeriti ex gratiâ servati. *Resp. 1. Quid hîc audimus? Protoplastine non prorsus exciderunt, quod timorem retinuerint? Quem igitur? Filialem? Minime. Quem ergo? nempe, Adamus & uxor ejus fugerunt Deum, & abdiderunt sese à facie Dei in horto eos vocantis. Qui si placebit Deo, placuerit & fontium hircorum, in novissimo die clamantium:* cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis superthronum *Apoc. 6. v. 16. Luc. 23. v. 30.* Lætabuntur quoq; diaboli, qui credunt & TIMENT, *Jac. 2. v. 19. Quare sic contra Crocium concludo.* Nullus, qui à facie Dei fugit, seq; abdit ab illo vocatus in judicium: filiali Dei amore gaudet. Verũ Adamus & Eva Deum fugiebant, sequè præ timore sub arboribus absondebant, quo ob peccatum & transgressiones, pœnas infernales in

lege

lege posita consternati & pavidi expectabant. Ergo non gavisi sunt filiali Dei amore. *Rursus*: Præcepto divino, de morte æterna ibi peccaturis infligenda, fidem aut habuerunt aut habere recusarunt. Si illud; *juxta rigorem divinæ justitiæ expectarunt pœnam æternam: Hanc igitur expectare fuit tunc temporis illorum fides.* Sin hoc; *Deum præterea mendacem fecerunt, ut fidem habere neutiquam possent.* Iterum: Nullus, qui caret dilectione Dei & proximi, habet fidem coram Deo valentem & filialis fiduciæ. Atqui Adamus utraque carebat: Dilectione Dei, *quoniam dixit causam lapsus sui fuisse uxorem sibi divinitus datam.* Proximi; *quia uxorem seductionis accusat, non serpentem.* Denique: *Quî quæso protoplasti fidem Christi retinuissent, quam ante receptionem sui in gratiam nunquam habuerunt?* Generalem quidem fiduciam in Deum, *qualem angeli & electi possident, habuerunt quam amiserant; at fidem renatorum demum, recepti in gratiam, ex concione filij Dei Evangelica, conceperunt.* Ergo omni prorsus timore filiali & fide, tam *concreata*, quam *per gratiam postea data & confirmata, exciderunt. 3. Tandem*, æquè falsum est eos non prorsus excidisse. *Voces enim*, prorsus & penitus, *non durationem rei omni inferunt, cui apponuntur: Siquidem* vel subjectivè vel adjunctivè *capiuntur.* Si illud, *tum in lapsis totalem*

*vel possessæ ablationem; sin hoc, totale tempus designare possunt. Protoplasti priori modo, non posteriori, corruerunt & exciderunt; vel potius, cæruerunt fide & timore Dei filiali. Hunc timorem, quem antea non habuere, semel acceptum, tristi suo casu per totam vitam utiq; vehementer affecti, sine dubio servaverunt.*

2. An scriptura id narret de Aarone?

*Aaron fuit verè regenitus, nullo, quod sciam Calviniſtarum contradicente, qui tamen in idololatriam Ethnicam pessimamq; & ipse incidit, & populum induxit. Quod factum nominatur* peccatum magnum *Exod. 32. v. 21.* Effinxit enim Israëlitis vitulum, ac festum, cultumque idololatricum instituit, *ibid. v. 3. 5. 6.* nudavit *populum*, *nempe sexies millena mille virorum, & quidem* ad ignominiam nudavit hostibus. *Inde concludimus.* Nullus idololatra habet spiritum Dei, gratiam & fidem: Non enim habet partem in regno Christi, sed stagno infernali. At verò Aaron fuit idololatra. Ergo non habuit spiritum Dei & gratiam. *Fuit enim idololatrici populi sacerdos cultum peragens.* 2. Quicunque festum, idololatricum præscribit vitulumque ad cultum, vero Deo spreto, instituit; est malignus, habetque cor & intellectum tenebris obscuratum Rom. 1. v. 23. nec hæres est vitæ æternæ;

Dei-

Deique simul abnegator. Atqui Aaron ista commisit. Ergo tunc fuit malignus &c. 3. Nullus, qui populum Dei à Deo abducit, & inimicis ad ignominiã denudat: habet spiritum Dei & fidem; sunt enim ista opera Satanæ & carnis; non Dei & fructus spiritus. An Aaron populum Dei à Deo abduxit & c. Ergo.

*Oggannit* Sohnius Tom. 2. p. 778: Etsi David, Aaron, Petrus graviter lapsi sunt & peccarunt, tamen non sunt lapsi sine lucta carnis & spiritus. *Resp. 1. Caro spiritum superavit & vicit. A quo autem quis vincitur, ejus est servus. 2 Non est verum, Aaronem cum luctâ spiritus & carnis peccasse & retinuisse fidem. Quin lucta carnis, in sensu* Calviniano, *ubi nihil est aliud, quàm contradictio & stimulus conscientiæ, etiam in* Juda, Spiera, *imò & damnatis manet: ing. Ethnicis invenitur. Ergo vera lucta carnis est in renatis: ubi si spiritus vincit, peccatũ non perpetratur: ubi vero caro, idem perpetratur. Proinde carne in* Aarone, Petro, Davide, *alijs victâ, Spiritum Sanctum retinuerunt. Lucta enim peccatum prohibet, caro allicit: carne dominante vincitur spirirus, ordinatâ virtute & voluntate in renatis habitans. Si hæc negaveris, dicam ipsum Goliathum, succumbentem & manibus Davidis subjectum, quod iratus (sed frustra) mente & manibus reluctaretur, non succubuit.*

*cubuisse, nec dum Davidem victoriâ potitum; nec Reges captivos esse in manibus victorum.*

2. Deblaterat non esse lapsos plenâ voluntate & toto animo. Non enim lapsi sint ex plenâ malitia, sed infirmitate. Sic Aaron ex infirmitate & metu murmurantis populi, nec amore Dei, nec cultu vero abjecto peccarit. *Resp. 1. quæres jure, quæ sit Calviniana infirmitas? Quæ malitia plena? Ad infirmitatis enim Calvinisticæ peccata referuntur homicidia deliberato consilio peracta: à quibus terra non potuit reconciliari Deo, nisi sanguine effundentis rursus effuso. Adulteria, sine pœnitentia, quovis impio medio occultata, non rejicit; idololatriam & populi à Deo abductionem, illiusq; expositionem probrosam, hosti factam, excusat. Si autem ijdem sint reprobi: quælibet errata magni sunt immensiq; montes. Hi nimirum sunt absoluti decreti fructus & effecta. Hactenus sanè regnantia peccata fuerunt definita,* quæ renatis dominantur Rom. 6. 14. 17. Ne regnet igitur peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis illi per cupiditates ejus. Ne exhibeatis mẽbra vestra arma injustitiæ peccato. Gen. 4. v. 7. *dicit Dominus Caino:* Nonne si benefeceris erit levatio? Quod si non benefeceris, in foribus peccatum cubat, & ad te erit appetitus ejus, & tu dominaberis ei. In quocunque igitur dominantur cædes, adulteria, idololatria, avaritia, ei dominatur peccatum: atq;

ille

ille obedit concupiscentijs carnis: regnat in eo peccatum. *Vin, exemplum? Matth. 13. & Luc. 8. multi audiunt verbum & evanescuntur, hoc est, fidem concipiunt ex illo: Sed tempore tentationis, metu succumbunt; multi sunt avari & sibi servire nituntur: in quibus conscientiæ aliquandiu durat luctа & renituntur. Sed quum, apertè contradicente verbo, peccant & conscientiâ: non amplius peccata infirmitatis peccant; sed regnantia. Quare certi gradus peccato infirmitatis sunt constituendi & ponendi, ne pessima quæq; malefícia sub infirmitatis pallio tegamus & extenuemus.*

## 3. An de Saule?

*Nos affirmamus & probamus Saulem Regem fuisse verè regenitum. Evincimus ex 1. Sam. 16. v. 13.* ubi Spiritus Sanctus recessit ab eo, & malus in locum ejus successit. *Cap. 10. v. 5. prædicitur ipsi,* quod sit vaticinaturus, & à spiritu Dei regendus. A quo igitur Domini spiritus recessit ob impietatem, & malus in locum ipsius successit: in eo gratiosè antea habitavit. Atqui à Saule Spiritus S. ob impietatem, recessit, & in ipsius locum successit malus & irrequietus. v. 15. Ergo gratiosè in eo antea habitavit. *Non autem fuit corporaliter obsessus Saul: Sed spiritualiter mentem turbatus. Ergo antea fuit mente & corde spiritualiter exhilaratus.*

Rege-

Regerit Crocius *p. 201.* fuisse electum ad regnum, non ad salutem. *Resp. 1. Neq; id tantum innuitur, neq; præcipuè nos ista verba urgemus. 2. Etsi* בָּחוּר *hic significat virum, præalijs præstantem & egregium in Israel, tamen non ex una sola, sed utraq; voce (*bonus & electus*) non tantum ex excellentiam corporis, sed animi quoq;, inprimis circa divina, indigitari non est absurdum. Noluit enim utiq; Dominus ipse Regem infidelem ad regni dignitatem evehere, qui populum à vero cultu abduceret*; Sed qui omnibus virtutibus Regijs esset ornatus: ad quas verus Dei timor præcipuè refertur, *Deut 17. v. 19. Jos. 1. v 8. Cum igitur lex requireret hominem, qui volumen legis quotidiè scrutaretur & Deum timeret, saltem Saul in regni sui annis primis fuit fidelis licet post Dei donis abusus, defecerit.*

*Verum dicas, scriptura* ad corpus restringit, quo humero suo altior erat toto populo. *Resp. est fall. oppositorum. Non enim voluit Spiritus S. nudam proceritatem absq; ingenij dotibus, & Polyphemum desipientem nobis depingere: sed virum ut corporis forma præstantem, sic quoq; animo sapientem; inprimis sapientia cultus: quem etiam inprimis regni sui annis diligenter obivit.*

*Notemus etiam alia loca: 1. Sam 10. v. 9.* immutavit illi Dominus cor aliud. *Deinde* prophetavit, insiliente in eum (alacrem & felicem facien-

ciente) spiritu Domini *v. 10.* Cui Dominus cor mirabiliter mutat & convertit in bonum, & ex Spiritu Sancto, ipsum prosperante & ducente, vaticinatur: is fuit conversus. Atqui Dominus Sauli cor ita mutavit &c: Ergo. Propositio est certa: *datis enim fructibus spiritus, spirituali lætitia, bonitate, ductu, prophetijs &* alijs; datur & ponitur ipse Spiritus Sanctus. *Deniq; 1. Sam. 18. v.* 12. Timuit autem Saul *David*, eo quod Dominus esset cum eo, & à se recessisset. Cap. 16. v. 13. Directus est spiritus Domini ab illa die in David & deinceps: surgens Samuel, abijt in Ramatha. Spiritus autem Domini recessit à Saule & exagitabat eum spiritus malus à Domino. Qui igitur Spiritus fuit cum Davide, is antea fuit cũ Saule. Atqui cum Davide fuit spiritus regenerationis. Ergo antea fuit etiam cum Saule. Maxime tamen inclarescit ex antithesi mali & boni spiritus. Si enim Saulem, post lapsum, malus spiritus exagitavit, inq; furorem & tristitiam conjecit & ad mala quævis incitavit: sequitur antea bonum spiritum in eo fuisse, & ad bona quælibet incitasse. *Accedit denique, quod in infantia fuerit verè in circumcisione regenitus.*

*Oggannit* 2. cessisse ab Saule spiritum prophetiæ & fortitudinis. *Resp. Neutrum 1 Sam. 16. & 18 asseritur. Nam donum prophetiæ jam pridem ab eo recesserat. Fortitudo autem ad mortem usq;*

per-

*permanſit, teſte* Davide *2. Sam. 1. v. 24. Quid ergo? Spiritus, qui receſſit, dicitur* ſpiritus Jehovæ, & malus qui ſucceſſit, malus à Domino, *ſcil puniente & judice: qui ipſum* בְּעָתַתּוּ *triſtavit, anguſtavit valdè. Hinc ait* Cyprianus l. 1. Epiſt. 4. Parum eſt adipiſci aliquid potuiſſe, plus eſt, quod adeptus es poſſe ſervare. Sicut & fides ipſa & nativitas ſalutaris non accepta, ſed cuſtodita vivificat: Nec ſtatim conſecutio, ſed conſummatio hominem Deo ſervat. *Ibidem paulò poſt.* Salomon denique & Saul, & cæteri multi, quandiu in vijs Domini ambulaverunt, datam ſibi gratiam tenere potuerunt, recedente ab his diſciplina dominica, receſſit & gratia. Perſeverandum nobis eſt in arcto & in anguſto itinere laudis & gloriæ. *Quin ipſe* Martyr *in comment. l. 1. Sam. cap. 16. fol. 93. b: ait:* Saul jam impellitur ſpiritu malo: quoniam ſpiritus bonus ab eo diſceſſerat. Antea quidem habuerat ſpiritum Dei: Sed cum Dei juſſa contempſiſſet, is ab illo diſceſſit. Habuit etiam dona complura Spiritus Sancti, qualia etiam impij habere poſſunt, ut ſpiritum conſilij, intelligentiæ, ſapientiæ: Sed hæc quoque illi ablata ſunt.

*At regerit* adverſarius, *hæc verba* neceſſitatem perſeverantiæ urgere. Tantum difficultatem ejus indicent. *Reſp. etſi non tantùm difficilem, ſed etiam homini, per ſuas vires agenti, impoſſibilem eſſe*

esse perseverantiam largimur: Tamen Dei spiritus in nobis salutem & efficit & conservat: & ita efficit, ut homo se regi & duci à spiritu permittat: secus non efficit salutem, non conservat.

*Instat pag. 201.* Saulem absurdè Salomoni comparari. *Resp. Imò, inquam, piè, quantum quidem regenerationem utriusq; concernit.*

*Sed nec est, quod nobis* Melanchtonis LL. CC. anno 1522. *editos opponat, qui scribit,* Saulem fuisse hypocritam. *Loquitur enim de illius temporibus posterioribus. Alias nos* Philippum opponemus Philippo, *non in uno, sed multis locis. Denique* Philippi, Lutheri, Pomerani loca, *in quibus in primis renascentis Evangelij annis, interdum durius locuti sunt, præsertim nondum natis controversijs; ex publicis eorum confessionibus, & alijs posterioribus scriptis explicanda veniunt. Crocianum à. errorem de immutabili perseverantia in artic. XII. Augustanæ Confessionis eliminarunt, suamq; explicarunt mentem. Quæ Augustinus de fide* Petri *dicit, tantùm apostasiam negant finalem; aliàs sibi contradicturus.*

## 2. An de Davide?

*Davidis horrendum homicidium & adulterium describitur 2. Sam. 11. v. 13. & seqq. ubi series spectatorum Davidis, indies auctorum, hunc in modũ describitur.* Primò uxorem Uriæ, Bethsaben, *aspi-*

cit. 2. ex aspectu amorem illicitum concipit. 3. peccato & cupiditati, ab impio hospite, Diabolo immisse cap. 12. v. 4. non juxta verbum Dei, dominatur Gen. 4. v. 7 Sed frenum laxat, datâq; operâ adduci curat, & cum eâ concumbit. 4. Studiosius adhuc peccatum non confiteri, sed abdere allaborat: ut missis ad Uriam nuncijs, ipse redeat domum & astu inductus, cum uxore concumbat, sumq; fœtus fiat alterius. Quod & ipsum maximum est peccatum, suos abnegare & alij obtrudere. 5. Hoc non succedente, cogitat de innocenti Uria deliberato consilio occidendo, ut vel sic insons videri possit. Quod itidem maximum erat scelus. 6. Joabum eidem involvit homicidio v. 16. 7 Nec Joabum duntaxat scelere obstringit, sed alios quoq; Israelitas, loco periculoso constitutos, gladio Ammonitarum simul interficit. v 17 8. Hoc accepto nuncio David nondum dolet, sed factum excusat. 9. Uxorem antea stupratam ducit, ut voluptati plenius indulgere, & peccatum tacere possit. 10 Ipse David propterea vir mortus appellatur, quiq; malum fecerit in oculis Domini v. 27: quæ phrasis de Regibus Israëlis & Judæ idololatricis & impijs usurpari solet. 11. Comparat Nathan hoc factum cum ejusmodi peccato, ac si vir dives multas possessiones, & affluenter habens, charissimæ & unicæ ovis possessori, ovem & cibum omnem è faucibus eripiat. 12. fuit cum horrendo Dei contemptu conjun-

junctum. Unde 13. gladij pœnæq; perpetuus ignis domui Davidis inhæsturus prædicitur. Quam pœnam Dominus non nisi pessimis apostatis & tyrannis minari solet. Vide, si libet, historiam in Libris Regnum & Paralipp. 14. factus est, propterea vir mortis, non duntaxat temporalis, sed quoq; æternæ; à qua Nathan pœnitentem absolvit. Nam illius etiam mortis reus erat factus, à qua per pœnitentiam à Nathane est absolutus. Atqui non à temporali est absolutus: Nam illa mortuus est. Verum ab æterna. Ergo quoque æternæ mortis fuit reus, cap. 12. v. 13. 15. Irritando irritavit Dominum v. 14. Verbum enim נאץ usurpatur de pessimis & desperatis peccatoribus, studiumq; peccandi subinfert, 16. fecit blasphemare hostes Dei nomen, populum, & cultum Dei, ibid. Hinc illa fluit illatio. Nullus, qui destinata opera & studio deliberato mœchatur, homicidia perpetrat, peccata sua pessimis conditionibus occultat, & cum alijs atrocibus flagitijs cumulat: multoque tempore in eo hæret: contemnit Dominum ejusque verbum, ut eum irritet irritando & malum in ipsius oculis faciat; evaditque propterea vir mortis æternæ & temporalis: retinet fidem & gratiosam Spiritus Sancti inhabitationem. Atqui David hæc fecit. Ergo &c.

*Excipit* Polanus; Davidem fuisse electum. Ergo Diabolus non quiverit illum, ut ovem

Christi, ex manibus ipsius eripere. *Resp. 1. In verbo* eripere *vetus Coccysmus reponitur. 2. Nec electum esse impedit peccata; alias renati non amplius peccarent. Neq; enim Renatorum standi potestas fluit ex absoluta electione, sed ex spiritu conservante & obsignante nos per verbum & sacramenta, in quibus fide, ejusq; probatione per preces & opera Charitatis, consolidatur.*

*Instat* Sohnius *Tom. 2. p. 779.* scortatores & adulteros à regno Dei excludi, si videlicet sine pœnitentia usque ad finem vitæ perseverent: Davidem pœnitentiam egisse atque initia pietatis veræ retinuisse. *Resp. 1. Non est quæstio, utrum adulteri, homicidæ, scortatores, alijq; peccatores converti queant & salvari. Hoc enim, præter infinitas Dei promissiones & juramenta, vel exemplum Davidis perspicuè declarat: Sed an habeant fidē salvificā, spiritus gratiosam inhabitationē ullam adhuc reliquam id quod vel:* Sohnius *vel alius sine fœda contradictione asseverare nequit. E diametrō enim pugnant: esse filium, Dei, qui ductum spiritus sequitur: & filium Satanæ, qui carnem sequatur & Satanæ opera faciat, Rom 8. Joh. 8. v. 38. 44. virum Dei, qui ambulat in lege Dei immaculatus ps. 1. v. 1. & virum mortis æternæ & temporalis; esse hæredem, ut sunt adulteri, scortatores &c: nec vitā habere in sese manentem, ut homicidæ: irritare irritando Jehovam, & exasperare cum convitijs,*

*sub-*

subsannatione & maledictis; (id quod conjugatio verbi piel נִאֵץ significat. Confer loca psl. 10. v. 3. Num. 14. v. 23. psl. 74. v. 10 Num. 16. v. 5. Deut. 31. v. 20. 1. Sam. 2. v. 17. psl. 74. v. 18.) & instar filij obedire Deo. 2. Valde igitur absonum, ne dicam blasphemum est, velle ejusmodi hominibus initia pietatis, quæ conservârint, tribuere. At quæ ista, quæso, initia pietatis fuerunt? quæ fomenta fidei conservata? Num Spiritus Sanctus? Atqui ipse non habitat in impuro & peccatis subdito templo: Quinimò ob destructum suum templum peccatores destruentes atrocius est perditurus 1. Cor. 3. v. 17. Num fides? At qui se jactat fidem habere, & non opera; is nullam habet fidem salvificam, nisi & Diabolum fidem habere & conservare dicturus sis. Fidem enim talis suâ impietate abnegavit. 1. Timoth. 5. v. 8. Tit. 1. v. 16. 1. Joh. 3. v. 16. Num verbum Dei? Verum id duplicitèr considerandum est: primò, ut antea lapsum Davidem & quoslibet peccatores convertit. Quod non mansit in Davide Joh. 8. v. 32. 38; cum non servârit verbum, ut est potentia Dei ad salutem ordinata. Sublatâ verò causa tollitur & impeditur effectus. Proinde, si verbum salvificè & fiducialiter non mansit in Davide, quî initia veræ pietatis manerent? Quid Ergo? Idcirco 2. mansit quidem verbum, verùm non cùm fiduciâ fidei, sed historiatenus & quoad assensum; quomodo etiã in multis hypocritis

*manet, & in aternum in damnatis manebit. Hoc tamen differentiæ animadvertendum est, quod alij isto verbo, ceu stimulis conscientiæ & legis agitati, serio convertantur; quemadmodum & David, audita concione Nathanis legali, resipuit. Hic enim, est legis genuinus usus, ut ceu malleo corda conterantur eâ, & verbo promissionis Evangelicæ accedente, convertantur, Jer. 18. v. 7. & seqq. Videmus hinc insuper duritiem cordis Davidici: quod, licet verbi historiam fide & habitu intellectus retinuisset, tamen non tam efficaciter in se operari passus sit, ut cessisset spiritui ex verbo arguenti, & resipuisset, priusquam demum post decem menses concio prophetæ accederet.*

*Ait iterum,* Non posse quidem fiduciam remissionis peccatorum ac salutis ita firmiter aut manifestè, ut aliàs cum peccatis gravioribus consistere. *Resp. Absurdissimè? Scriptura absolutè negat posse consistere,* Sohnius *affirmat.* Illa *inquit fuisse virum mortis æternæ & temporalis, in quo nulla est fiducia Dei:* Sohnius *contra, esse virum Dei, & fiduciæ fidei inniſum Parum ergo abest, quin in faciem Deo Spiritui Sancto* Calvinianum *dogma contradicat. Et, si vera est* Sohniana *assertio, homicida vitam in se manentem non habens, vitam æternam tamen fiducialiter sperat: quid? regnum Dei non habent, nec illius sunt hæredes, in fiducia veræ fidei, illius nihilominus manent hæredes.*

redes. *Quibus cum codice sacro non consentientibus, nec erit verum; vel luctam carnis & spiritus in illis manere,* vel *eos initia pietatis retinere,* vel *denique salutarem fiduciam, cum peccatis istis regnantibus & atrociter enormibus, posse in una sede commorari. 2. Nec juvat* Sohnium *vox* penitus, *aut* simpliciter, *cujus ambiguitatem supra è latebris protraximus, detexim us.*

*Instat* Sohnius *ulterius,* si non retinerent fiduciam electi, desperarent & succumberent cum Juda. *Resp. Inter desperationem & fiduciam filialem sese medio inferre loco,* vel *securitatem: idque in ipso quoque Davide:* vel *hypocrisin ut in alijs peccatoribus, pseudoapostolis, hæreticis. Securitate a. & hypocrisi detecta, animus consolationē admittere renuit: Sed ut* aut *Christo per fidem confidat,* aut *tandem desperet cum Juda, fide non inventâ, necesse est.*

*Oggannit* Davidem petijsse in *psal. 51. v. 12.* cor mundum crea in me Deus, & spiritum innova in visceribus meis. *Item;* Redde mihi lætitiam salutis meæ. *Amisisse* ergo rectitudinem spiritus mundiciem cordis & lætitiam: quia hæc reddi à Deo petat: in universum enim non amisisse; aliâs non petijsse restitutionem. Ex hoc semine, in Davide & Petro, fidem rursus accensam fuisse, ut non cum Juda desperarint. *Resp. 1. semen aliquod ejusmodi fidei in renatis tam turpiter lapsis manere, nondum demonstravit* Crocius: *Et nos supra fortiter ejecimus, semenque illud Jo-*

hanniticum, non nisi fidei verbum esse, clarè & perspicuè docuimus: quod quomodo maneat & pereat, paulò ante patuit. Quare falsum est & toti scripturæ contrarium, fingere aliquod semen & fidem in relapsis homicidis, idololatris, mœchis, avaris &c. reliquam. Et, si vel maximè daremus, semen fidei sive verbum remanere in istis; non tamen ut causa fovens fidei & alens, maneret; verùm ut externa, & ex qua fides in hac vita redaccendi posset, si ipsi locus relinquatur, & homo conscientiæ & legis stimulis prius consternatur. 2. Nec in psl. 51. v. 12. 13. 14. suæ causæ aliquod robur invenit Sohnius. Nam David petens in se renovari spiritum; reddi lætitiam cordis & mundiciem, non petivit, antequam concionem Nathanis, ex qua conversus est, audiverat. Quod totius quinquagesimi primi Psalmi coherentia, & ipsa ἐπιγεφὴ ostendit. Ajas cur igitur rogat, quod habebat? Resp. Rogabat quæ antea habebat; non quidem simpliciter, verùm ut augerentur & stabilirentur: ne rursus in simile peccati jugum incideret. Denig. 3. id sine teste dicit Adversarius, Spiritum Sanctū & dona illius semel tantum dari posse credentibus. Non enim una tantum vice dantur, sed quoties peccator pœnitentiam agit & resurgit. Quod cum Adversarij, de alijs donis & incrementis spiritus non inficientur, cur de ipsa fide negant? Si n. quidā fructus fidei possunt tolli & eripi, cur non omnes?

unes? *Fidei enim & effectuum suorum, velut* rerum homogenearum, est eadem spiritualis natura.

## 5. An de Salomone?

Salomonem *fuisse verè renatum tam clarum est, ut ipsa obscuritas & tenebræ obfuscare nequeant. Nam in* juventute dilexit Dominum *1. Reg. 3. v. 3. ita*, ut ambularet in præceptis patris sui Davidis: rogavit Deum Dominum suum in spiritu, *quæ preces Deo placuerunt, & exauditæ sunt v. 7. & seqq. Quin & preces dedicatoriæ templi exauditæ sunt & sacrificia Deo placuerunt, 1. Reg. 8. singulariq; promissione & confirmatione roborata 1. Reg. 9. v 3.* Rursus, *Dominus amavit* Salomonem ipsumque *Nathan ob singularem divinum amorem nominavit* Jedidiah, id est, dilectum Deo. *Unde syllogismus.* Quicunque piè invocat Deum, facit sacra Deo placentia & exaudita; diligit Deum, & ab illo summè diligitur: is est verè renatus. *Aqui hactenus Crocium habemus nobiscum consentientem, vel certè fluctuantem, qui ita scribit Lib. 3. p. 234.* De illo (*Salomone*) non constat an sit damnatus. Quinimò de Salomonis salute propè certi sumus ex 2. Sam. 7. v. 14. 15. ut qui nobilissimus fuit Christi typus, scriptor Canonicorum librorum seu propheta verus, & Ecclesiaste, quem senex scripsit, suam pœnitentiam satis est testatus: post mor-

tem laudatur 2. Chron. 11. Idem statuit Polanus in LL. CC. syntagmate fol. 486. b.

*Verùm enimverò quanto pietatis fervore in juventute sua radiavit, tanta impietate & idololatriæ tam institutione quàm cultu, non duntaxat ab alijs, sed ab ipsomet quoq; cummisso, sese conspurcavit 1. Reg. 11. v. 5. Confer, quæ supra in eandem protulimus sententiam in diversis locis.* Denique, *non tàm perfectum fuit cor illius coram Domino, ut cor patris Davidis, nec unquam egisse pœnitentiam, nec idola & falsos cultus destruxisse & aboleviſſe, legitur, sed potius contrarium. Accedit, quod septingentas concubinas aluerit, soliq; libidini vocârit. Itaq;* Chrysostomus *in 2. Cor. Hom. 2.* Ambrosius *in Apol. Davidis &* Augustinus *in ps. 127. &* Prolegom. *ipsum damnant. Et propter has causas* Sohnius *dubitat, utrum unquam renatus fuerit; nec ne p. 780. 781. Nos 4. Concludimus de ipsius temporibus posterioribus.* Nullus idololatra, qui deliberato consilio & electione idololatriam committit, publicè introducit ejus cultum, ac defendit; nec, monitus à Deo, resipiscit: Sed etiam Dei ordinationem, (in Jeroboamo) vult tollere: fœdis libidinibus æstuavit & deditus fuit: tunc ex fide vixit & regenitus fuit. Salomo ista omnia fecit. Ergo.

Sohnius *extenuat p. 781 putans posse dici* Salomonem, in gratiam mulierum tantùm idola insti-

instituisse, non ipsum idolorum fuisse cultorem. 2. cor illius non fuisse tam perfectum non simpliciter, sed, comparatè, ut cor Davidis fuerit. *Resp. Scriptura utrumq; disertè tradit:* Salomonem scil. ipsum *idololatram fuisse. Nam ita cor ipsius uxores alienigenæ flexerunt, ut non tantùm consentiret sceleri,* sed & ambularet secundum Deos alienos *1. Reg. 11. v. 4. 5. Quis enim claritatem horum infringere verborum valebit?* Uxores ejus inclinarunt cor ejus post Deos alienos (אַחֲרֵי אֱלֹהִים אֲחֵרִים (*quæ formula primi præcepti decalogi sunt*) & non fuit cor ejus rectum (שָׁלֵם)coram (*vel cum*) Jehova Deo suo, ut cor Davidis patris ipsius v. 5. & ambulavit Salomo post (אַחֲרֵי) Astaroth Deum Sydoniorum &c. *Jam certum est, neminem, non duntaxat qui idololatriam instituit (quod & ipsum fidem destruit) verùm etiam qui eam sequitur; variosque Deos adorat; idque per multos annos & volens, Deo placere & fidem retinere posse.*

2. Non comparat nudè scriptura stabilitatem & rectitudinem Davidis & Salomonis, *sed turpitur suam Salomoni apostasiam exprobrat, ac toti Israëli impietatem patrij cultus dereliĉti detegit & vituperat. Hanc explicationem flagitat ista phrasis, eodem modo de alijs sequentibus Judææ Regibus idololatricis repetita. Quare Spiritus S.*

flis-

*filium patri non in cultu fuiſſe ſimilem ſed diſſimilimum indicat.*

*Miratur* Crocius *p. 235.* ſanctos patres tam audacter de Salomonis defectione & damnatione pronunciare, cum tamen nihil in publico Dei cultu mutaſſe legatur. *Reſp. Annon hoc ſufficit ad defectionem illius evincendam, quod præter verum Deum, etiam idola coluit, defendit, illiſq; templa erexit & privilegia conſtituit? Nunquid Ethniciſmus cum vero Dei cultu conſiſtit?* Certè Samaritani *propterea graviter culpantur 2. Reg. 17. v. 27. & ſeqq. & gentilibus annumerantur. Quid? An is eſt verus Dei cultor, qui Deos gentilium, & quidem non unum, ſed plures pluriumq; & diverſarum gentium colit? Certè ſcriptura negat. 2. Reg. 17. 29. 36. Job. 4. 22. Matt. 4. v. 10. Ex 20. 3. 4. 5.* in ſumma: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, Mat. 6. Hoc igitur mirari eſt hominis non pij, ſed omnem religionem ſuſq; deq; habentis & commiſceri poſſe exiſtimantis.*

*Alio* principio *igitur* Polanus *in Syntag fol. 486. & cum eo* Crocius *p. 235. utuntur, quam Sobnius. Hic enim dubitabat, illi propè certi eſſe volunt. Sed quo argumento?* Deum, ajunt, Salomoni promiſiſſe per Nathanem ſe gratiam & miſericordiam ab illo non ablaturū *2. Sam. 7. v. 14. 15. R. Non loquitur Dominus in iſto vaticinio* πρώτως & primò de Salomone, *verum de* Chriſto, *ex ſemine*

mine Davidis oriundo. Nam de illo agit Deus, quem post mortem Davidis excitavit & regnare fecit in solio Davidis. *Inquit enim*, cum completi fuerint dies tui & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo & firmabo regnum ejus. Atqui Christus, & non Salomo, post Davidis tempora suscitatus est & regnavit. *Salomo enim Davide adhuc vivente, eoq; authore suscitatus est, & regnum accepit.* Ergo de Salomone in hisce verbis non loquitur. *II.* De illo agit, cui Dominus regnum confirmavit in æternum. *Confer Luc. 1. Ubi isthæc verba de æternitate, fine carente, explicantur. Atqui Salomoni regnum non confirmavit in seculum: Sed decem tribus, a filio ejus auferendas, ipse ob scelus prædixit. Quam veritatem* & Polanus *vidit, scribens*, de corporali regno intelligi non posse, quod maxima pars regni posteris Salomonis sit adempta, postremis successoribus totum regnum. *Neque etiam Salomo in æternum, sed quadraginta ferme annis regnavit.*

Dicas, ergone Messias, sanctus ille sanctorum, peccabit? Nam de filijs illius peccata prædicantur? *Resp. Verba de Christo, capite Ecclesiæ dicta, de membris esse accipienda, supra demonstravimus. Confer ps. 89. v. 30. 31. 33.* Ipse Petrus Martyr in comment. 2. *Sam. 7. fol. 219. b. refert ad* Christum, *distinguens inter naturam & corpus*

quo

*quo nostra peccata luit.* Non quidem in natura sua, inquit, Ira enim peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: *Sed* vel *quia suscepit in se, & luit peccata nostra in corpore suo &c. Vel, quia peccata, quæ hærent in corpore, & in membris, videri possunt aliquo modo pertinere ad corpus. Porro: de Christo explicanda esse testatur* Martyr *ibidem fol. 219. Quum tamen (quæ est inconstantia & vertigo Calvinistica) idem* Martyr *ad Salomonem etiam reducat: illius objectiones, ὡς ἐν παρόδῳ notabimus. Igitur Ad nostrum argumentum (quod Salomo, vivente Davide, & natus & regnare factus sit) excipit fol. 219.* Salomonem tantum Regem fuisse designatum. *Resp. Historia 1. Reg 1. reclamat; Siquidem non tantum designatus, sed etiam 1. electus 2. coronatus 3. in solium regium fuit collocatus. 4. regnum administravit & rexit cū plenâ potestate 1 Reg. 1. v. 33. 34. 51. 53 Deinde & verba* (egredietur de ventre tuo, cum exacti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis) *repudiant objectionē illius: quasi post tempora hujus promissionis, vivēte Davide, possint impleri. Quæ nostra fuit quoq; veteris Ecclesiæ, & in eâ* Augustini & Ambrosij *sententia; quod* Martyr *non negat verba* Augustini *quia sunt insignia adscribemus:* Qui putant, ista intelligi posse de Salomone, illi id spectant, quod Salomon ædificârit templum. Sed illud non considerant, quod sequitur, Et

dabo

dabo illi domum fidelem, & regnum, quod mansurum sit in æternū. Nam Salomon accersivit ad se mulieres alienigenas, coluit idola, despuit, breviter, non habuit fidelem domum. Nec regnum ejus duravit in æternum. Et Deus sciebat Salomonem peccaturum, ut istæ promissiones non potuerint in illo esse veræ. Et Ambros. *in c. 3 Luc. dicit:* Nec fines Salomonis prolati sunt extra Judæam, nec pax ejus erat æterna. Deinde etiam & natus est & regnavit vivente patre. Quare istæ promissiones non possunt spectare ad illum. Itaque erravit Salomon, ne nos erraremus, & peccavit, ne nos peccaremus: quasi ex usu fuerit nobis ejus error, ne quod in Christum solum conveniat, in illum transferamus. *Idem sentit* Cyrillus Hierosolym. Cathechesi Duodecima fol. 97: Vides, *clamat*, quod de Christo, & non de Salomone sermo hic est. Neque enim sedes ejus sicut sol permansit.

*Objicit* autem 2. Martyr: certum esse hic agi de externo ædificio templi: & Davidem oraculum accepisse à Deo de templo visibili. *Citat* 1. Paral. *c.* 22 *v.* 10. 11. *Resp.* 1. *Templum duplex ædificandum promittitur:* alterum *externum*, alterum *spirituale*. Illud *hujus est typus:* illud δευτέρως, *hoc* πρώτως *promittitur* 2. *Salomo fuit filius Dei, sed quandiu erat pius; at* Christus *in æternum. Quare, monente* Eucherio, *non tantum*

*tum hoc modo attendendum est, quod dicitur, Ipse mihi ædificabit domum: Sed illud etiam firmabo regnum ejus super Israel in perpetuũ. 3. De typis quos urget* Martyr, *optimè & plenè scripsit* Dn. D. Ægidius Hunnius *p. m. in suis Pareis Judaizantibus: ubi vide. Non ergo* primò *ista de Salomone, sed Christo dicta sunt, ut quem propriè & verè concernunt.*

II. Quod etiam ista de castigatione in Salomonem quadrent, ex adversarijs ipsi excitatis, *eruere conatur 1. Reg. 11. Resp. Frustra! Nam veram sententiam; (scil. de Ecclesia, corpore Christi, dici) ipse* Martyr *ex ps. 89. supra recitavit, & approbavit. 2. castigatus fuit, & obduruit, non pœnitentiam egit Salomõ.*

*III. Promittitur Salomoni regnum in æternum & fidelis domus. Resp. 1. Davidi regnum æternum promisit & firmum: quod scriptura Novi Testamenti ad Christum restringit Heb. 1. v. 5. Luc. 1. a. 32. ps. 89. v. 36. 37. 30. Hæc est ipsius Spiritus Sancti & vera ac primaria acceptio 2. Si tamen etiam umbratenus ad corporalem sedem Davidis restricturus es, propter verba hæc:* Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amovi à facie tua: *Et Davidi aliquod regnum esse promissum corporale, dicturus sis (quod tamen in successoribus tandem corruit, ut non nisi præeminentia quædam & legislator in Domo Davidis*

dis permanserit) sic habeas In historia Salomonis & Regum Judæ quædam ex hoc fonte ad regnum illud aptantur & referuntur; qualia sunt illa, de ædificando templo: de Salomone; deq; lumine Davidis solio servando: verùm quorundam, & quidem omnium, quæ habentur in Psalmis; nihil sibi tribuit Salomo, aut ullus merus homo. Nam quæ in Salomonem non quadrant, ea nec de illo dicta noveris. Deinde hæc ipsa verba πρώτως Christum & Ecclesiam N. T. spectare perhibet ps 89. Adeoq; ipsum regnum est perpetuũ, ac Christus rex perpetuus in solio Davidi promisso: modus autem regni nonnihil variat: quatenus in Ecclesia; & inprimis quatenus in corporalibus successoribus Davidis consideratur. Confer vaticinium de Juda Gen. 49. quod cum hoc, respectu regiminis, coincidit. Proinde vaticinium non propriè de Salomone, ac typicè de Christo sumitur: Sed quæ prædicuntur, utrinq; propriè prædicuntur. Interim tamen aliâs Salomonem gessisse Christi typum non negamus.

Utrum verò Salomo sit salvatus, nec nè, tum quoquam acriter desceptare nolumus. Crocius quidem id probare nititur: quod sit 1. nobilissimus Christi typus 2. Sam. 7. 2. scriptor Librorum Canonicorum. 3. Propheta verus. 4. Senex Ecclesiasten scripserit, qui actæ pœnitentiæ sit testis locuples. 5. post mortem laudetur 2. Chron. 11. v. 17. Verùm respondemus ista argumenta certam

tam salutem Salomoni nondum spondere; ipsiq; adeo Calviniani, ut Sohnius & Crocius quodammodo dubitant. Itaq; repono ad argumentum 1. non esse universaliter verum & certum: Nullum scilicet, qui fuit nobilis Christi typus, fuisse damnatum, sed quemvis salvatum. Nam quis nobilior typus Christi fuit, quam Reges, quam sacerdotes V. T? Omnes enim sacro oleo ungebantur. Quod oleum spiritum S quo Christus unctus est, designavit; Reges & prophetæ verò ipsum Christum. Nonnullos autem Reges & sacerdotes æterna perijsse morte, constat. Accedit, quod typus non æstimetur ex vita & obitu, sed tertio comparationis, quo typus & figuræ Christi fuerunt. Verùm si omninò nullus typus periit, sed certò omnis salvatus est; quid fiet agno paschali? Quid hirco emissario? quid alijs?

Ad secundum argumentum & tertium respondeo: Prophetici & canonici libri scriptorem & prophetam egisse nõ esse sufficientem demonstrationem salutis scriptoris vel prophetæ illius. Nam Bileam vera & divina inspiratione locutus est clarissimas & optimas de populo Dei, Davide, Christo, Romanis, Græcis, alijsq; gentibus prædictiones & vaticinia: de cujus tamen damnatione & violentâ morte certi sumus. Idem Johannes cap. 11. de Caiphâ Sadducæo refert. Quare cum Augustino tempora destinguamus, ut concordet scriptura. Fuerunt Salomo & alij sancti viri sancta Dei organa in actu & of-

& officio docendi, prophetandi, & scribendi: non quando vel lapsi sunt, vel desperarunt & mortui sunt in peccatis suis.

*Ad* quartum: *Salomonem quidem* Ecclesiasten *post acceptas divitias, exstructum templum atq; ædificia reliqua Regia & magnifica; eoq; posterioribus scripsisse temporibus: sed tamen, utrum post conversionem scripserit illum, non liquet. Quin scripsisse ante lapsum, haud inique colligitur ex c.2.v.17.18.ubi de filio dicit:* Quis novit an sapiens futurus sit (הֶחָכָם יִהְיֶה) an stultus? *Id quod in temporibus ultimis, ubi Rehabeam trigesimum annum excesserat, non nisi per hypocrisin dicere quivisset vir tam sapiens. Utiq; ergo de illo in teneriori ætate, quâ adhuc spes bona futura fuit, hoc scripsit. Sic cap. 11. v. 9. legimus.* Quo magis fuit Ecclesiastes sapiens, eò magis docuit scientiam propalàm, & auscultare fecit, & investigavit & cõcinnavit parabolas. v.10. Et perquisivit Ecclesiastes invenire verba, quæ placerent, & rectã scripturã, verba veritatis. *At posterioribus suis temporibus Salomo nihil minus quam hæc; imò contraria, fecit. Utiq; ergo ista scripsit circiter tempora, quibus* Regina Sabæ *Hierosolymas venit: quæ ipsum & famulos ipsius, ob sapientiam, quam quotidie audiebant, felices deprædicabat: item, quo tempore suas loquebatur parabolas, & adhuc auscultare curabat populum verbo: non cum recessisset*

*sisset, & voluptuarius ac mulierosus factus, sapientiam amisisset: & desipiens, ut loquitur* Augustinus, *evasisset. Quin illa tempora nominat, quibus omnia sapienter investigavit: quæ non planè ultima fuêre.*

*Nec denig;* Quinto, *locus 2. Chron. 11 v 17.* Crocium *juvat. Cum enim scriptura Levitas & alios,* tribus annis, in vijs Davidis & Salomonis ambulasse refert; *nõ Salomonis tẽpora ultima, quibus Deo exosus: Sed priora, quibus Jedidiah & Deo carus fuit, intelligenda sunt. Neq; enim ejusmodi comparationes, latius quam scriptura patitur, extendendæ sunt. Illustremus historiâ aliâ: Videmus 2. Chron. 32. v. 22. 2. Reg. 22. v. 19. 20. 21.* Joramum fecisse malum, *dici,* ut pater ipsius Manasses: *ubi non ultima* Manasses *tempora, quibus conversus, annos duodecim, quod pium, rectum & bonum fuit, fecit, sed prima usq; ad captivitatem suam. Confer 2. Reg. 23. v. 26. c. 24. v. 3. 4.*

*Proinde Salomonis vitam in politia & pietatis cultu defendendo, principalem Spiritus S. attendit, non pauca illa & minus principalia mali regiminis tempora.* Accedit *denig;, quod conversio Salomonis non tantùm non legatur, sed continuasse idololatrian; & columnas atq; idololatriæ simulacra reliquisse scribatur; quæ demum Josias Rex sustulit 2 Reg. 23. v. 13. Si Salomonis pœnitentia fuisset vera, etiam idololatricum cultum, & idola*

*atq;*

*atq; simulachra gentilia abolevisset. Quod cum non fecerit, absit ut pios levitas & cultores Dei in vijs Salomonis impijs ambulasse dicamus.*

*Quid igitur nos? Certè cum* patribus *& alijs pijs viris concludendum est, rem esse incertam & judicio divino committendam.* Augustinus *scribit lib. 2. contra Faustum, cap. 88:* De Salomone quid dicam? Quem vehementer arguit scriptura, atque condemnat, nihilque de pœnitentia ejus vel in eum indulgentia Dei omninò commemorat. *Tom. 8. in ps. 126. condemnatum censet, inquiens:* Salomo erat tempore suo filius David, magnus ille, per quem multa sancta præcepta & salubria monita & divina sacramenta Spiritus Sanctus in divinis literis operatus est: Nam ipse Salomon mulierum amator fuit & reprobatus est à Deo: & usque adeo laqueus illi cupiditas ut à mulieribus etiam idolis sacrificare cogeretur, sicut de illo scriptura testis est. *Post pauca:* Quid mirum, quia in populo Dei cecidit Salomo? In paradyso non cecidit Adam..? Non cecidit angelus de cœlo, & Diabolus factus est?

## 6. An de Petro?

*Petri trinam abnegationem Christi, cum pejerationibus & execrationibus sui auctam, describit Lucas cap. 22. v. 57. Et Matth. 26. v. 72.* negavit, inquit, cum juramento, quia non novi ho-

minem. *vers. 74. Tertia vice interrogatus*, cepit se ipsum devovere (*ubi καταναθεματίζειν significat æterno exitio, absq; ulla gratia devovere. Conf. Rom. 9. v. 3. Gal. 1. v 8. Act. 23. v. 12. Apoc. 22. v. 3.*) & jurare dicens: non novi hominem. Si nullus abnegator Christi est ipsius, ut illum sit Christus confessurus: multò minus abnegator, abnegationem cum execratione sui & juramentis exaggerans, erit Christi, ut illum sit confessurus in novissimo die. Atqui Petrus &c: Ergo.

*Excipit* Sohnius Tom. 2. p. 778. Petrum ex infirmitate lapsum esse: Sed non defeciisse illius fidem: quia ne deficeret Christum rogasse, *Luc. 22. v. 32. Joham. 20. v. 42. Heb. 5. v. 7. Resp. 1. Infirmitatem duplici modo accipiendam, supra meminimus: uno modo in quotidianis lapsibus & erratis alijs, ubi fundamenta fidei & fidem non convellit.* Altero, *cum atrocitate & conscientiæ violatione horrenda, exasperatam: cui Spiritus S. pœnam æternam denunciat & infligit.* Posteriori *modo lapsus est Petrus. 2.* Locus *Heb. 5. v. 7. huc non facit: quippe qui universalē Christi pro omnibus intercessionem & satisfactionem, qua omnes redempti sunt, propugnat* Ad testimonium *Christi Luc. 22. v. 32. supra respondimus. Nec. Joh. 12. v. 42. quicquam de precibus Christi agitur. 3. Ipse* Calvinus apud Marloratum *super h l. scribit:* Si coram infirmis Christum abnegamus, quia nostro exemplo

plo concussi labascunt, totidem perdimus animas, quantum in nobis est. Si vero coram impijs Dei contemptoribus & Evangelij adversarijs Christum fraudamus debito testimonio, omniū ludibrio exponimus sacrum ejus nomen. *Et iterum*: Horrendus Petri stupor, qui magistro denegato, non modo nulla pœnitentia tangitur, sed ipsa peccandi licentia sic indurat. *Et in seqq. dicit*, quod Christus Petrum à ruina tam lethali sanârit. 7. An de Thoma?

Thomas *verè crediderat ante passionem Dominicam, teste* Petro *Joh. 6. v. 69. At tempore passionis & resurrectionis defecit, & articulum resurrectionis, Christumq; verum Deum & redemptorem suum verè non credidit. Ioh. 20 v. 25. 27. Ubi os veritatis ipsum convertens ait:* Noli esse incredulus, sed credens. v. 29: Quia vidisti me Thoma credidisti, Beati (μακάριοι) qui non viderunt & crediderunt. Illa fides, qua sumus credentes beati, Thomæ defuit. Ergo non credidit salvificè 2. Quorum unum oppositorum, contrariorum, in actu oppositionis, uni tribuitur eorum alterum denegatur ei. Atqui incredulitas Thomæ tribuitur. Ergo fides illi denegatur; *& quidem salvifica v. 29.* 3. Qui non credit Jesum esse Deum & Dominum suum: is fide vera caret. At verò Thomas id non credidit, ibidem, nisi viso Christo. Ergo.

## 8. An de Simone Mago?

*Actor. 8. v. 12.* Cum autem credidiſſent Philippo (Samaritani) Evangelizanti de regno Dei, deque) nomine Jeſu Chriſti, baptizabantur viri ſimul & mulieres. v. 13. Tunc Simon & ipſe credidit adhæſitq; Philippo. Hinc cōcludo, una eademq; fides, quæ de reliquis Samaritanis prædicatur, etiam de Simone prædicatur. Atqui de illis prædicatur ſalvifica fides. Ergo, & fides ſalvifica de Simone prædicatur: *Quare defectio v. 18. ibidem de ſcripta, non negationem fidei, ſed inconſtantiam arguit.*

## 9. An de Judæis?

*Luc. 11. v. 24.* cum immundus ſpiritus exierit &c. *Spiritus immundus exit ab hominibus per veram pœnitentiam & fidelem ad Deum converſionem Marc. 9. v. 29. Matth. 17. v. 21. In hominem autem carnis ſocordia, ſecuritate, alijsq; peccatis occupatum & preſſum redit, ac domum ſuam priſtinam recuperatam fortius obſidet: ut homo non tam facile eluctari & ſpiritui pulſanti locum dare poſſit.* Sic etiam factum eſt impiæ generationi Judaicæ, inquit Chriſtus. *Qua redditione, & parabolica eſſe verba, & ad Judæam regionem applicanda monet. Fuit igitur illa fide in baptiſmo & circumciſione ornata, & a peccatis mundata: parsq; Judæorum per prædicationem verbi converſa. Deficiens a. rurſus, malitioſe calumniando*

&

& *Evangelium persequendo, infidelis permansit, majoremq; cæcitatem & pœnam in sese derivavit.* 2. Spiritus malignus non redit corporaliter in eundem hominem liberatum. Nulla enim exempla dantur, ullum corporaliter obsessum à Diabolo, liberatum à Domino, denuò obsessum, 3. Domus otiosa & ad nutos Satanæ rursus ornata, caret fide: quæ fuerūt Judæi. Ergo quam habuerunt, antea, tunc carere fide. 4. Ad quam domum pervenerat regnum Dei, Satanâ spiritualiter ejecto; ea ex fide vixit. Judæi tempore Christi fuerunt ejusmodi domus, ex quâ ipse Satanā ejecerat regnoq; suo ornarat. Ergo. 5. *Christus Satanæ atrium fortiter custodienti superveniēs, vicit eum, & universam armaturam ejus, in quâ confidebat, abstulit. Si universam armaturam, in qua Satanas confidebat à Judæis abstulit; sanè & peccata abstulit.* 6. Fiunt postrema regionis Judaicæ deteriora prioribus. Nō a, corporaliter: quomodo non est obsessa tota, sed tantū pauci in ea. Ergo spiritualiter rursus obsessa est; idque in tantum, ut nec à Christo, nec ab Apostolis colligi se pateretur, sed horribiliter adversus Deum fureret. 7. Qui non est mecum, est adversum me: & qui non colligit mecum spargit, inquit Christus. Judæi qui ante erant conversi, non erant cum Christo, nec colligebant: sed spargebant, tanquam domus περιφωμένη & Satanæ κεκοσμένη

μεία. *Concludimus ergo fuſſe Judæos non duntaxat in circumciſione ſed multos quoq; in adulta ætati ex Chriſti concione converſos: quorum poſteà plerique relapſi ſunt.*

10. An de Galatis?

*Nos ſupra id multis & invictis demonſtravimus argumentis.*

11. An de Hymenæo & Alexandro?

*Hymenæum & Alexandrum fuiſſe verè renatos, & à fide rurſus defeciſſe, ac naufragium circa eam feciſſe, capite præcedenti demonſtratum eſt.*

12 An iterum de Hymenæo & Phileto? Alijs?

*Sic de illis ſcribit Apoſtolus 2. Tim. 2. v. 17.* Quorum de numero eſt Hymenæus & Philetus. *v. 18.* qui circa veritatem aberrarunt ἠστόχησαν. *Confer 1. Tim. 6. v. 20. ubi monet ſuum Timotheum* renatum, ut devitet novitet vocum & oppoſitiones falſæ ſcientiæ, ne exemplo aliorum circa fidem aberret. Qui igitur aberrat à vera fide, is eã ante poſſedit. *Ibid. ab alijs factũ ſcribit Paulus 1. Tim. 1. v. 6.* A quibus (pura conſcientia & fide non ficta (ἀνυπόκριτος ἀστοχήσαντες) quod aberrarunt quidam, deflexerunt ad vaniloquiũ. *His addantur, quæ cap. præced. de Hymenæo & Alexandro annotata ſunt; & patebit, illos à verâ fide omnes aberraſſe. Aberraſſe autem à fide verâ, ſupponit in fidei veræ via, (de qua agit Pſ. 1.) fuiſſe & ambulaſſe, ad ſcopumq; vitæ æternæ collimaſſe.*

13. An

13. An de Dema?

Da operam (*inquit Apostolus 2. Tim. 4. v. 9. ad Timothee*) ut venias ad me citò. Nam Demas me reliquit, amplexus (ἀγαπήσας diligens) præsens seculum. Crocius *dubitat, utrum unquam fuerit renatus p. 204. Sed præter rem.* Nam Demas Apostolum, (cui antea adhæserat, serviendo ei & assistendo in prædicatione Evangelij) dereliquit, ita, ut gaudia mundana rursus amarer. Ergo fuit omninò cõversus. *Antecedens, præter allegata verba, Epistola ad Philem. v. 24. confirmat, qua* Philemonem nomine Demæ, quem cum alijs suum coadjutorem vocat, salutat. *Sed illa ad Philemonem posterior est hac; sequitur quod rursus sit conversus, & qualis postea coadjutor Apostoli fuit, talis & antea fuerit. Sin prior; ut videtur, saltem antea fuit bonus Christianus & coadjutor in Evangelio prædicando.* Porrò: *lapsus non fuit levis.* Quicunque enim mundum ita diligit, ut ejus concupiscentias, vel certè persecutiones ex Evangelio nascentes Christo præferat: non retinet fidem & bonam conscientiam: contraria nanque sunt mundum diligere & Deum deligere: ministerio sibi commisso fungi: vel ob luxum & crucem abijcere. Idem nobiscum *sentit Augustinus l. 3. Hypognost. c. 13. in hunc modum scribens: Habet enim modo malum meritum, cùm vitio suo jam baptizatus declinat*

(*à bono*)

*à bono, & facit malum, id est, cum, derelinquit Deum, & diligit seculum, sicut feciße Demam & Hermogenem testatur Apostolus.*

*Proinde immeritò* Crocius *eum à fide omni defeciße negat: immeritoq; regerit,* de Crescente qui in Galatiam, deque Tito, qui in Dalmatiam profectus fuerit, etiam tale quid concludi posse. *Absit enim, ut obedientes Pauli discipulos & coadjutores, quos scriptura non apertè accusat, nos seceßus & apostasiæ accusemus. Verisimile igitur est Paulum non de his Doctoribus pijs, scribere: Sed de alijs conversis Christianis, tam Romanis, quam alijs.* Si verò Apostolus *(fac ita esse, ex hypothesi) loquatur de illis, nihil absurdi erit. Siquidem magni viri magnos etiam incurrunt lapsus.* Qui enim videt fratrem suum egentem & occluserit cor suum, quomodo manet Charitas in eo; *1.* Johan. 3. vers. 17. Qui non diligit fratrem, manet in morte, cap. 3. vers. 14. cap. 2. v. 3. 6.

## 14. An de Nicolao?

Nicolaitarum, *velut peßimæ & prodigiosæ sectæ fit mentio Apoc. 2. v. 15. & nomen sortita, est à* Nicolao, *uno ex septem Diaconis Actor. 6. creatis & Spiritu Sancto miraculosè ornatis: utrũ verò ipse* Nicolaus *sit impietatis author; an sub prætextu ejus nominis, sua sielera, suamq; hæresin sparserint* Nicolaitæ, *non æquè constat.* Augustinus *quidem* De hæresi ad Quodvult Deum *cap. 5 ita.*

*it a scrib.* Nicolaitæ à Nicolao nominati sũt, uno, ut perhibetur, ex illis septẽ, quos Apostoli Diaconos ordinavetant. Iste cũ de Zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi sui causâ permisisse fertur, ut eâ, qui vellet, uteretur. Quod ejus factum in sectam turpissimam versum est, in qua placet usus fœminarum indifferens. Eodem ferè sensu Eusebius *lib. 3. c. 29. hoc factum enarrat, & ex* Clement. Alexand. *lib. 3. Stromat. addit*, sibi compertum esse, quod Nicolaus nullam prorsus agnoverit mulierem, præter eam, quam in matrimonium acceperat. Ejus etiam filium, & pietatẽ & filiam casta virginitate ad senectutem servatâ, laudat. *Postremò subjicit hæc*: Quæ cum ita se habeant, constat illud, quod in medium Apostolorum præ Zelotypiæ suspicione produxit uxorem, ex contemptu vitij vel Libidinis gestum: quo per hoc continentem se ostenderet ejus rei, quam nimiẽ putabatur expetere contemnendam magis quam expetãndam carnis voluptatem. Quoniam quidem nolebat, (ut opinor) secundum salvatoris præceptum duobus Dominis servire. *Hæc ille: quæ quomodo cum casta conjugij cura consistant judicent alij. Certe dicto modo prostituere uxorem nemo, salvâ fide, poterit: quod tamen dicti author et & ipse adeò* Dæneus *in Cõment. in l.* Augustini de hæresib. *c. 5. p. 15. de Nicolao refert.*

*Ali-*

*Aliter ſtatuit* corpus Canonicum *cap. 24.* cauſ. *24. quæſt. 3. ex Iſodor. l. 8. cap. 5.*

*Propius verò ad rem accedunt alij, quod in gratiam* Crocij verbis Danæi *indicabo, ſcribentis:* Aliam verò hujus tàm furioſæ impietatis & turpitudinis cauſam affert Epiphanius l. 1. Tom. 2. quæ mihi videtur longè probabilior, Nimirum quod cum Nicolaus iſte ad quorundam continentiam & virginum incitationem ἐγκρατεύεσθαι, & perpetuò à conjuge ſua abſtinere contra Pauli præceptum 1. Cor. 7. promiſiſſet, impatiens coitus iterum ad uxorem rediit, & propter intermiſſam conſuetudinem intemperantius ea, quæ fortiſsima cenſebatur, uſus eſt. Cum ſe inconſtantiæ & intemperantiſsimæ libidinis vitio apud Eccleſiam prægravari ſentiret, ἀπαχθυνόμενος τὴν ἑαυτοῦ ἡδονὴν, ut ait Epiphanius. Primum dixit, omninò neceſſarium eſſe uxores haberè, & cum ijs concumbere; adeò, ut quemadmodum ſcribit Epiphanius, dixerit, εἰ μὴ τὸ κατ' ἡμέραν λαγνεύει ζωῆς ἀθάνατον μετέχειν αἰωνίου: niſi quis quotidiè ſalax eſt aut ſemen ejicit, non particeps eſſe poteſt vitæ æternæ). *Conſentit* Irenæus, his antiquior lib. 1. adverſus hæreſes c. 27: *Item* Tertullianus de Præſcriptionibus *cap. 46. qui eum ita exagitat:* Alter hæreticus Nicolaus emerſit: hic de ſeptem Diacó-

Diaconis, qui in actis Apostolorum allecti sunt, fuit. Hic (*Nicolaus*) dicit tenebras in concupiscentiâ luminis, & quidem fœdâ & obscena fuisse: Ex hæc permixtione pudor est dicere, quæ fœtida & immunda. sunt & cætera obscœna & c. *Fidem igitur* vel *planè ejuravit Nicolaus, & totum Christianismum abjecit*, vel *ad minimum naufragium circa fidem commisit.*

*Fuisse autem verè justificatum dubitari prorsus non debet: multo minus sine impudentia negari potest*; *teste* Luca in Actis *cap. 6. v. 3. Omnis enim qui est plenus spiritu & sapientia Christiana: est regenitus. Quod negari nequibit.*

16. An de alijs id narret scriptura?

*Affirmat* Petrus *2. Pet. 2. v. 20.* Satius eis fuisset, nunquam cognovisse, viam justitiæ, quam cognita illâ regredi, à sancta doctrina illis tradita &c. Regerit Sohnius pag. 776. Petrum loqui de falsis doctoribus & hypocritis, non de verè fidelibus, quod versibus præcedentibus appareat. *Idem sentit* Crocius *p. 206. Resp. Nequaquam. Nam 1.* de illis loquitur qui verè effugerant ab inquinamentis mundi, & *2.* qui verè ab errore effugerant: & in eo jam versantur, v. 18. quique 3. viam justitiæ per agnitionem Domini cognoverant, ita, ut fuerint purgati & lori *Quæ de hæreticis & hypocritis dici nequeunt.*

Instat

*Instat tamen* Sohnius, Apostolum non tribuere eis regenerationem fidelium propriam, & in corde hominis potissimum sitam: Sed cognitionē doctrinæ: *Quæ &* Crocij *est exceptio* p. 232. qui insuper duplicē fingit cōversionem. *R. Fides & regeneratio est propria electorū ratione finis & retentionis sive æternæ durationis nō* subjectivē nec efficiēter: *quasi Deus illis, & nō alijs, dare velit. 2. Apostolus significanter affirmat*; refugisse *eos ab* inquinamentis mundi & peccatorum, *non hæreticorum & hypocritarum. 2. fugisse ex eis* per agnitionē (ἐν ἐπιγνώσει) *Jesu Christi; & quidem illam, quæ est via justitiæ, v. 21. 3. Fuisse revera lotos à peccato, ab inquinamento mundi & cognovisse viam justitiæ: in qua purgati fuerunt v. ult: Et deinceps, velut sus lota, ad volutabrum redierint, & ad μιασμα omnium peccatorum, à via justitiæ reversi sint; & ita quidem, ut sanctum præceptum fide non servent. Atqui hypocritæ & infideles, qua tales, non sunt spiritu loti: multò minus purgati revertuntur ad volutabrum; desertâ salvifica cognitione Jesu Christi, & justitiæ ejus salvificæ, Ergo non hi, sed illi intelliguntur.* Propositio *magis perspicua evadit explicatione vocis μιασμος, quæ fidelium puritati opponitur Tit. 3. 15.* quorum mens & conscientia est polluta *Rom. 1. vers. 24. 2. Cor. 7. v. 1. Præterea dicuntur sancti mundati à peccato, ab inquinamentis omnibus,*

non

*non ab inquinamento doctrinæ, Ezech. 36 v. 26. 1. Cor. 6. vers. 10. 2. Pet. 2. v. 18. Heb. 1. v. 3. Actor. 15. v. 19.* Quicunque verò ab inquinamentis impietatis effugerunt; fuerunt verâ & salvifica fide præditi. Atqui illi ita effugerant. Ergo.

17. An scriptura id factum deploret?

*Affirmatum est supra de Hebræis, & contra* Crocij *objectiones defensum.*

18. An eadem id factum exprobret?

*Ait scriptura Jesai. 1. 21. & seqq. cap. 30. v. 1.* Væ filij desertores. Jer. 2. Duo mala commisit populus meus: me dereliquerunt scaturiginem aquarum perennium & foderunt sibi cisternas fractas, quæ non capiunt aquam.

*Regerit* Crocius *p. 260.* tria esse genera filiorum Dei: *1.* justificatos electos 2. qui Christum intellectu & cognitione teneãt. *3.* filios ore tantũ.

*Respondemus 1. nos, dari etiam, &* propriè quidem dictos, filios Dei *regeneratos, & secundũ præsentem fidei justitiam justificatos. 2. Quod a. verè regenerati fuerint Israëlitæ, ex capite 1. Esa. paulò ante docuimus. Quare aliena est exceptio multos dici filios, qui non sint regeniti; cum Judæi non simpliciter filij,* sed filij desertores vocitentur. *Filius autem desertor Dei, licet non sit jam filius, verè tamen fuit.*

19. Utrum Judas fuerit verè renatus?

*Id affirmamus, & supra* in Resolutione *Joh. 6. v. 57. p. 173. & seqq. demonstravimus.*

20. An ſcriptura id futurum prædicat?

*Atq; hoc nos quoq; affirmamus ex 2. Petri c. 2. v. 1. 2. Tim. 4. v. 1. Actor. 20. v. 30. De loco primo egimus ſupra.* Secundus hic eſt: Spiritus autem diſertè dicit, quod in poſterioribus temporibus deſciſcent quidam à fide. *De quo itidem actum eſt*, Demonſtratione præced. Tertius eſt Actor. 20. 30. Ex vobis ipſis exorientur viri, loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe. *Licet hic ex præcedentibus radiet locus, tamen vox eſt inſignis:* Quos Apoſtolus per triennium, nocte & die monuerat. 2. quique erant ex ipſis Epheſijs converſis Epiſcopis: ac tunc temporis fideliter docebant: illi erant renati. Atqui hæretici ex Epheſijs exſurrexerunt tales erant. Ergo. Denique *loco 1. Joh. 2. v. 19. ſupra eſt ſatisfactum:*

## Cap. V.

## Demonſtratio tertia, à naturâ finis & adjunctorum juſti, quæ conditionaliter proponuntur.

Qui poteſt fine ſuo excidere, ita ut Deus nullam prioris ipſius juſtitiæ habeat rationem, fiatque reprobus, & in mortem animæ pariter & corporis, inque irreparabile exitium incurrat: is poteſt juſtitiam ſuam finaliter deſerere. Juſtus poteſt fine ſuo excidere, utpote, qui tantum conditionaliter, non verò abſolutè neceſſ.

necessarius ipsi propositus est; & quidem ita potest excidere, ut Deus nullam prioris ipsius justitiæ habeat rationem. &c. Ergo justus potest suam justitiam deserere.

*Vel sic;* Si justus non posset justitiam suam deserere: finis ipsi non esset conditionalis, sed absolute & immutabiliter necessarius, neq; unquam contingeret, ut Deus posthabitâ priore illius justitia, illum reprobum mortisq; æternæ reum pronunciaret. Atqui finis non est ei absolutè & immutabiliter necessarius, sed conditionalis; fitque interdum, ut Deus, posthabitâ priore justi justitiâ, illum reprobum, mortisque æternæ reum pronuncier. Ergo justus potest justitiam suam deserere.

*Utrunque syllogismum arrodit* Crocius, *negans in* priore Minorem. *Resp. Eam nos jam satis invictè probabimus.*

In posteriore *negat* consequentiam *p. 215.* quod fiat vitiosa necessarij & conditionalis oppositio. Distinctionem necessarij hic non simpliciter & absolutè sumi, sed finem justorum esse certum, ex hypothesi, ad obtinendum propositum. Conditio, quam Deus requirat, sit talis ut ab ipso gignatur, foveatur, perducatur ad finem, ut à nemine vinci queamus. *Resp. 1. Nos hic 1. notabimus* Crocij libertatem, pag. 213. *ita scribentis:* Fatemur fœdus Dei non esse ejus-

modi, ut hominem amare velit & ſalvare ſimpliciter: Sed ut velit obedientem, credentem, juſtum. Fatemur, Deum amare obedientiam magis, quam creaturam &c. Rurſus: Fatemur, ceſſante obedientia, ceſſare Dei obligationem. Fatemur, & hoc intueri præmiorum promiſsiones: hoc pœnarum comminationes ſpectare fatemur *Hactenus Crociana libertas & largitas, ſcripturæ quidem conformis, ſed non ad rem; Imò ipſi contraria. Non n. cohærent: Si obedierit, crediderit & juſtum ſe exhibebit, inq; juſtitiâ ſtabit, eum conſervabit Deus: Et, hominem ex abſoluta electione & in gratia inſeparabiliter permanente conſervari.* Quicquid enim ex abſoluta gratia fluit, conditionatum eſſe nequit. *Quare etſi non negamus omnia eſſe extra nos, & ſolius Dei: non tamen neceſſaria & fatalis illa perſeverantiâ, Lib. 1. p. 47. 48. 49. depicta, locum habet. Quam vult fortiter aſtructam, Et p. 186. alibiq; neceſſariam; & quidem ita neceſſariam eſſe defendit, ut à nulla creatura, nec ab ipſomet homine irritari poſſit. Proinde fruſtra effugium in vocibus,* neceſſitatis & conditionis, *quærit. 11. contradictio: Deus obedientiam magis amat, quam creaturam, & tamen creaturam rationalem converſam, ob peccata nefanda ſuperius enarrata, non odit ita, ut gratiam & fidem ab illa demat. 3. ceſſante obedientia ceſſat obligatio: & tamen fœdus Dei in peſſimis ſupra*

*pra recensitis peccatoribus, non cessat, sed in aternum durat. 4. Istæ promissiones omnes sunt conditionatæ, & tamen immutabiliter necessarium generant effectum.*

*Deinde: quæ nova condetur nobis distinctio* necessarij & conditionalis? Possibile n. est, quod potest esse verum, teste Laërtio. Axioma necessarium est, quando semper verum est, nec falsum esse potest. *Aristoteli definitur,* τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, quod non potest aliter se habere. *Atqui secundum Calvinianos, nullus renatus potest amplius excidere gratia & fide,* propter absoluti decreti necessitatem, authore Crocio *p. 186. Ergo est ipsis axioma necessarium. Hoc autem, cum veritate nõ consentiente, dicimus nos, axioma contingẽs esse & possibile. Instas,* est conditionatum; si credat justus, salvabitur. *Resp. justus tibi, ob absolutum decretum, necessario & constanter credit; necessario acceptat promissiones fide, perstat in ea, salvatur. Nulla in his est causarum & effectorum, nisi immutabiliter necessaria cohærentia.* Contra: *ubicunq; est necessitas ex conditione, ibi effectus potest non sequi: eoq; si justus ex conditione fidei stat, potest salus ejus tolli et intercipi.* Denique: frustra disputat de conditione hypothetica, quæ promissionem aut comminationem habet, cum conditione alicujus rei præstandæ. *Licet enim nihil determinatè statuat de singulari aliqua per-*

sona inesse, tamen semper potentiam ponit: vox facilè abit in categoricam. Probo. Nam conditionata ista (E.G.) justus, si carnis ductum sequitur, morietur: est conditione impossibilis aut possibilis. Nos posterius asserimus. Nam facilè coalescit in hoc axioma affirmatum: justus potest ductum carnis sequi. Tibi verò, Croci, est illud negandum: unde habebis axioma negatum impossibile: justus non potest unquam carnis ductum sequi. Quod cum veritate minimè consentit. Nam 1. Apostolica adhortatio non est impossibilis, cum opponatur isti axiomati: Impius non potest sequi ductum spiritus: non potest sese a sua impietate ad Deum convertere. Secundo, Non est negatum; cum Apostolus non neget justos posse sequi carnis ductum: posse sese avertere à fide & justitia sua. Ergo conditionem illam sæpe in actum deduci nihil obstat. Itaq; nos pergimus ad probandam Minorem.

## I. An Deus nullam sit habiturus rationem prioris justitiæ justorum?

*Aff. Ezech 33 v. 13.* Aio Crocius *p. 215.* graviter errare eum, qui non demonstrârit prius, 1. Hic agi de justo ex prædestinatione 2. Talem æternâ mortem obire, 3. justum ex prædestinatione, propriæ confisum justitiæ, in iniquitate sua ad finem usque perdurare posse. *Resp.* 1. Etsi justus ex prædestinatione finaliter stat, non tamen temporaliter. 2. justum præsenti justitiâ, non esse verâ justi-

tiâ

*tiâ fidei justum*, est Crocianum figmentum, *non Augustini* sententia: *quam suo loco adscripsimus 3. Verum justum, sive præsenti justitiâ, sive etiam finali justum, fidem deserere omnem posse, tum alibi, cum supra in hujus loci (Ezech. 18. v 33.) confirmatione astruximus.*

2. An justus fiat reprobus?

Bertius *hoc fieri posse docuerat ex Heb. 10. v. 38: quem locum supra à corruptelis asseruimus, liberavimus. Quare negans* Crocius, *electos posse fieri reprobos, non habet nos contradicentes: Sed* Bertium. *Quem & nos satis suo loco repressimus.*

3. An justus quidam in mortem animæ pariter & corporis & irreparabile exitium incurrat?

*Aff. I. ex Ezech. 33. v. 18: testimonio optimo, paulò ante à corruptelis asserto. Et II. Joh. 15. v. 2.* Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit. v. 4. Manete in me & ego in vobis Sicut palmes non potest fructum ferre à semetipso, nisi manserit in vite: Sic nec vos nisi in me manseritis. v. 6. si quis in me non manserit, ejectus est foras, sicut palmes & exaruit: *Theophylactus super hunc locum scribit:* meliorem nunc eis ipem dat. Quæ qualitatem & vitam eorum commendans, quæ dantur à se his, qui sibi placent. Nam sicut ille manens in vite fructum facit, eo quod ab illo vivendi operationem ac-

cipit: Ita & vos si manseritis in me per observationem mandatorum majorem fructum afferetis. Qui autem non manet, aridus fit, hoc est, abijcit, quod à fide habuit. Si quod spirituale beneficium accipiebat, privatur eo, & nudatur auxilio & vita, quæ ab eo datur: *Hactenus ille. Secundo:* Nullus palmes est in Christo nisi per fidem. Omnes palmites non manentes in Christo fuerũt palmites. Ergo in illo nõ nisi perfidẽ fuerunt. *Minoris verba clara sunt:* ἐν ἐμοὶ, *in me, dicit Christus: quæ verba non de congregatione externa, cũ* Polano *possunt sumi; ex qua tollantur infœcundi. Ita enim ait os veritatis:* Pater cœlestis palmites non ferentes fructum tollit, & omnem ferentem purgat, ut copiosiorem ferat fructum *Hæc de palmitibus utrisq; , quandiu in Ecclesiæ militantis cœtu versantur, pronunciat. At verò non tollit eos ex numero visibili Ecclesiæ, sed ex numero credentium. Nullus autem non renatus & incredulus ex numero renatorum & credentium tolli potest. 3.* Quicunque palmes aresçit, vivus fuit & vivos fructus tulit. Atqui palmites nonnulli in vite exaruerunt. Ergo antea fuerunt vivi & fructus vivos tulerunt. *Denig; 4. rectè colligit* Bellarminus: Palmes *inquiens,* esse non potest, qui aliquando non vixerit in vite. Non enim palmites aliunde inseruntur, sed nascuntur ex vite: & non mortui sed vivi nascuntur. Sic igitur

tur fideles renascuntur in Christo, *& cum renascuntur, non mortui sunt, sed vivi: & tamen si, postquam renati sunt, fructum bonorum ferre recusant, arescunt, præciduntur, & pereunt. Ubi notandum*, arescentem *non statim ejici ex Ecclesia & cœtu vocatorum, sed renatorum numero, & in sterilitate perdurantem, eundem per mortem in ignem conjici & verè separari â pijs.*

*III. Rom. 8. v. 12.* Proinde patres debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus. v. 13. Nam si secundum carnem vixeritis moriemini: Quod si Spiritu facta corporis mortificetis vivetis. *Loqui Apostolum de renatis, neminem arbitror negaturum, cum res ipsa clara sit.*

*IV. Heb. 6. v. 4.* Fieri non potest, ut, qui semel fuerint illuminati, gustaverint donum cœleste & participes facti fuerint Spiritus Sancti, v. 5. gustaverintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi. v. 6. Si prolabantur, ut denuò renoventur ad pœnitentiam, denuò crucifigẽtes sibimetipsis filiũ Dei & ludibrio exponentes. *Hic locus nobis argumentum invictum præbet. Nam I. peccantes istos fuisse verè renatos ex capitibus præcedentibus demonstratum fuit: Liquet 2. ex hoc capite, quo suos conversos Hebræos à segnitie ad perseverantiam cohortatur. II.* Omnis qui est verè illuminatus est quoque regeneratus.

Atqui nonnulli, qui peccant in Spiritum Sanctum; fuerunt vere illuminati. Ergo & regenerati. Propoſitio eſt immotæ veritatis. *Nam fuerunt* φωτισθέντες *& illuminati v. 4. Et cap. 10. v 32 Hebræi verè illuminati ſcribuntur, & monentur ne cadant, & à fide relabantur, quoniam multa certamina & afflictiones perpeſſi erant.* Porrò: *illuminatio omnis ſpiritualis, quæ fit per verbum & miniſterium ſpiritus, opponitur cæcitati ſpirituali. Ubi igitur hæc eſt, illa ceſſet neceſſe eſt. Hæc tam manifeſta ſunt, ut ipſe* Calvinus, *vi veritatis adactus ſuper h. l. ſcribat:* Obiter notandum eſt, ajens: quibus elogijs Evangelij doctrinam inſigniat, vocat illuminationem: unde ſequitur cæcos eſſe homines, donec Chriſtus, qui lux eſt mundi, illis affulgeat.

III. Guſtarunt bonum Dei verbum. v. 5. guſtarunt donum cæleſte. *Guſtatio hæc non eſt nudus & ſuperficialis tantummodò verbi & doni cœlectus tactus: Sed vera cibi perceptio & manducatio Quam ſignificationem nobis confirmat* David *pſ. 34. v. 9 inquiens: Guſtate & videte,* quam ſuavis ſit Dominus. *Nec ad mentis tantum, ſed & cordis guſtum nos hortatur.* Et Petrus *1. Epiſt c. 1. v. 3. renatos guſtaſſe perhibet,* quod benignus ſit Dominus. *Similiter in corporali eſu guſtus pro ipſa manducatione non raro ponitur, ut Act. 10. v. 27. c. 20. v. 11. 1. Sam. 14. v. 29. v. 9. Job. 12. v. 11.*

*ubi*

ubi est in Heb. יִטְעַם gustabit. Septuaginta verbum טעם taham reddunt quandoq; per ψωμίζειν nutrire, Dan. 4. v. 22. c. 5. v. 23. & nomen טעם per βρῶμα cibum, Proverb. 23. v. 6. Denicq; uti cibum, sic & mortem pij non gustare dicuntur Matth. 16 v. 27. Joh. 8. v. 52. Christum verò oportuit, ut gratia Dei pro omni(homine) gustaret mortem Heb. 2. v. 9. Est igitur ista significatio frequentissima, à qua, nisi materiâ id jubente, non discedere licebit. Accedit quod ejusmodi gustatum sanctis adscribat scriptura, quo fuerunt illuminati, & participes redditi Spiritus Sancti. Quid inde? Qui ita verbum Dei audit & gustat, ut non duntaxat dona Dei, verùm & futuri seculi virtutes (inchoativè) gestet, (hoc est, pacem conscientiæ, gaudium spiritus & alia spiritus & regeneratorum dona accipiat): is fuit verè renatus. Atqui isti peccatores in Spiritum S. peccantes, ita gustarunt. Ergo &c.

VI. Quicunque ita particeps factus est Spiritus Sancti, ut ab illo sit illuminatus: is est verè regeneratus. Atqui illi prolapsi denuò in peccata, participes erant facti Spiritus Sancti, ut essent illuminati. Ergo verè fuerunt regenerati. Propositio est manifesta; cum μετέχειν & participem esse Spiritus S. non externam, sed veram & internam participationem describat. Spiritus à nomine

*nomine omnia intelliguntur Spiritus Sancti dona, quæ in renatos effundit, cum ipſius eſſentia. Quod* cùm *alia teſtimonia,* tum *quoq; Paulus teſtatur Rom. 5. v. 5.* Quod dilectio Dei effuſa ſit in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, *Cap. 7. v. 6.* Serviamus nos per novitatem ſpiritus. Sic *Cap. 8. v. 13. v. 14. 15. Cap. 15. v. 16.* Gentes fiunt oblatio acceptabilis, ſanctificata per Spiritum Sanctum. v. 13. exuberetis in ſpe per potẽtiam Spiritus S. 1. Cor. 6. v. *19.* An neſcitis, quod corpus veſtrum templum ſit ejus, qui eſt in vobis Spiritus Sancti: *quo* innovantur *renati Eph. 4. v. 3. Tit. 3. v. 9. & paſſim.* Porrò: *Participatio Spiritus Sancti eſt* vel *ſpiritus miraculorum & prophetiæ:* vel *veræ fidei.* Non ille; *quum Apoſtolo non ſit ſermo de illis, qui miraculoſe erant cõverſi. Quin quibus ſpiritus miraculorũ, linguarum & aliorum donorum communicabatur; illi tempore dati ſpiritus, fuerunt renati.* Ergo de his. *Suffragatur nobis* Marloratus, *vel potius* Calvinus apud illum, *inquiens,* ſpiritum gratiæ vocat ab effectu, per quem & hujus oblatam gratiam accipimus. Nam is eſt, qui fide mentes noſtras illuminat, qui Dei adoptionem obſignat in cordibus noſtris, qui nos regenerat in vitæ novitatem, qui nos in Chriſti corpus inſerit, ut vivat in nobis & nos in ipſo. Meritò itaque ſpiritus gratiæ appellatur, per quem noſter ſit Chriſtus

stus omnibus suis bonis. *Idem sentit* Piscator *super Cap. 10. Heb. Schol. 29. Proinde* Crocius *infra p. 296. imprudenter* spiritum sanctificationis opponit spiritui regenerationis, *cum Spiritus S. sive sanctificationis sit spiritus regenerationis. Aut quæ, quæso, illis sanctificatio spiritus, abq; ejusdem gratiosâ regeneratione communicata est? Nulla plane.*

*V.* Qui non possunt rursus renovari ad pœnitentiam: illi antea renovati fuerunt. *Nam què* πάλιν ἀνακαινίζονται (rursus sive denuò renovantur) *illos antea renatos fuisse oportet; siquidem privatio non est nisi præcesserit habitus: ne dicam temporis particulam frustra esse positam, nisi actio, quæ in tempore isto contigit, exprimatur.* Deinde: *renovationē non qualemcunq;, sed quæ ex pœnitentia & fide promanat, author hujus Epistolæ lapsis assignat, quæ illis reddi nequeat. At verò renovatio, quæ est ex pœnitentia vera & fide est salutaris. Tandem, notandum est* ἀνακαίνισιν *per spiritum nullam agnosci in ministerio verbi aliam, quâm quâ homo fide donatus, renovatur. Confer præter allegata superius loca Col. 3. v. 9. Gal. 6. v. 15. Ezech. 36. v. 26. ps. 51. v. 11.* Minorem *ipsa textus verba exprimunt: Unde* conclusio *firmæ infertur.* Ergo prolapsi isti antea fuerunt verè renovati.

*Verùm clamat* Crocius *p. 216.* omnia ista loca habe-

habere. Si. Conditionalis autem nihil ponat inesse. *Resp. 1. Conditionalis in sacris, inprimis in exhortationibus, à vitijs & peccatis, aperte apostasiæ arguit possibilitatem & potentiam, in actum non raro prorumpentem. Ut hæc,* si secundum carnem vixeritis: aut, si justus sese averterit à justitia, morietur: *exemplum nobis in Davide, in Israëlitis ob oculos proponit. Sic hæc propositio 1. Reg. 9. v. 6.* (*quâ Deus* Salomonem *verè renatum alloquitur.* (Si aversione aversi fueritis vos & filij vestri &c *auferam* Israël de superficie terræ) *est non tantùm in Israëlitis, sed in ipso quoq;* Salomone *impleta. 2.* Quare licet conditionalis nihil ponat inesse actu, ponit tamen aliquid inesse potentiâ & *possibilitate: ponitq; non effectum, sed causam, quæ facilè in actum deducitur.*

## Cap. VI.

## Demonstratio quarta â metu sanctorum.

QUi metu rejectionis in officio continetur: is potest de statu suo excidere. Sancti metu excidendi, se aliosq; in officio continent. Ergo sancti possunt de statu suo excidere.

*Vel sic*; Si sancti non possent excidere suo statu: irritus esset ipsorum hac de re metus; & frivolæ exhortationes, quas ad alios ex hoc loco

duri-

dirigunt. Sed non est irritus ipsorum metus, nec sunt vanæ exhortationes. Ergo sancti possunt de statu suo excidere.

*Negat* Crocius *p. 217. utriusq; syllogismi* Majorem. *Nam metus* & exhortationes, non arbitratur eo tendere, ut nobis persuadeant posse nos penitus cœlo excludi & perire, qui ad vitam æternam semel prædestinati sumus: sed quod eis moneamur: 1. ne otiosi simus 2. moneamur de imbecillitate nostra, ut quàm propensi simus ad lapsum agnoscamus, & nos ipsos ad divinum auxilium invocandum excitemus. 3. Doceamur etiam, hanc esse fidei nostræ alimoniam. *Resp. 1. hanc esse putidam & falsam subordinatorum oppositionem. Quamobrem nanq; monemur, ne simus otiosi, agnoscamus nostram infirmitatem: nostramq; fidem exhortationibus fidei alamus; nisi ut agnoscamus, nos quotidie excidere posse? ut peccata vitemus? utq; lapsum caveamus? Itaq; invertimus argumentum.* Qui monetur, ut suam imbecillitatem agnoscat, ne torpeat; otiosus sit: fidemq; exhortationibus alat: ille potest elabi fide & excidere. Atqui sancti id monentur. Ergo. *Verùm infra Crocio utemur meliore p. 251. ubi, quæ hic inficiatur, admittit: Quod homo, ajens*, Vult est à gratia præveniente: ut possit etiam dat per gratiam comitantem & subsequentem. Ita ergo perseverantiæ radix est in

Dei

Dei omnipotentia : neque de causis boni & perseverationis in bono æquali causatione disputandum est. Hoc sensu concedimus apostasian vitari studio integræ conscientiæ 1. Tim. 1. 19. cura & attenta beneficiorum divinorum observatione, Joh. 5. 18. 1. Tim. 1. 6. Matth. 13. 2. Tim. 1. 14. & 4. 14. scripturarum sacratum lectione & meditatione 1. Tim. 4. 13. 2. Tim. 3. v. 17. sanctorum exhortationibus 1. Cor. 15. 58. 2. Chron. 20. 20. precibus & vigilijs, solicito & sancto timore: examine sui anxio, Hæ nanque sunt causæ conservatrices & nutrices perseverationis.

II. Si exhortationes sunt vitæ nostræ fidelis alimonia: ijs abjectis vita fidei conservari nequit. Atqui prius est, teste Crocio. Ergo & posterius. *III. Verùm num sancti interdum istam fidei alimoniam non abijciunt? Utinam! Attamen multos abijcere*, Davidis, *Salomonis, aliorumq; prolapsorum exempla quotidie ostendunt. Videamus alia exempla Christus hortatur & alios: & suos discipulos Matth. 10. Luc. 9. &* Paulus *inquit Rom. 10 v. 9*: Si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitavit à mortuis, salvus eris. *Exhortatio legitur; ergone omnes confitentur? Imo quidam possunt illum non confiteri, ut* Petrus. *Ergo exhortationes non duntaxat fiunt ob infirmitatem; suntq; simpliciter fidei alimonia: verum*

aut

aut possibilitatem defectionis aut actum & historiam in aliis factam, innuunt. Similiter Matth. 6. 14. si remiseritis hominibus offensas suas, remittet & vobis pater vester cœlestis. v. 15. Quod si verò non remiseritis, nec pater remittet errata vestra. Estne hoc impossibile renatis? At Matth. 18. v. 32. enarrat Christus in servo, cui Deus omnia peccata condonârat, factum esse, inquiens: Serve iceleste, totum debitum illud remisi tibi, cum obsecrasses me. v. 33. Nonè oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus eram? v. 34. Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusq; solveret totũ, quod debebat ipsi v. 35. Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis suo quisq; fratri de cordibus vestris delicta illorum. Offerunt sese hic nobis sequentes Aphorismi: 1. Servus rogarat Dominum, ut sibi remitteret peccata sua, debitum suum 2. Dominus servi misertus condonavit. 3. Servus, veniâ peccatorum suorum acceptâ, justitiâq; fidei datâ, non fuit conservi misertus, ut peccata ipsius remitteret illi. 4. Dominus ut judex, servum, ob utrunq; peccatum, condemnat ad mortem 5. Prioris debiti remissionem irritam reddit & suum debitum ac satisfactionem urget. 6. Dominus Deus & judex cœlestis, sic faciet, (ut Dominus hujus servi fecit: toq; redditio parabolæ ad totũ antecedens refertur.

Hallucinatur ergo Sohnius Tom. 2. p. 772.

*prætendens*, scopum esse Christi, confirmare doctrinam de condonandis fratrum injurijs. Nam significet Christus necesse esse, ut qui velint, sibi à Deo remitti peccata, ipsi quoque fratribus remittant. Sensum ostendat Christus ipse in explicatione parabolæ. *Hallucinatur aio; Plus enim i. in argumento sæpe probatur, quam in quæstione continetur, imò quo latiora & ampliora sunt argumenta, eo firmiora sunt & convenientiora. 2. Deus quotidiè nobis fidelibus (qui, quod orant, impetrant Matth. 21. v. 22. 1 Joh. 5. 14 Joh. 16. v. 23.) remittit in oratione Dominicâ, siquidem quotidiè peccamus. Ipse pro sua inexhausta misericordia, in suo ministerio verbi & baptismo, peccata baptizatis aufert: nisi infantes à regno Dei excludere Calviniani, & sub irâ manere velint; quorum tamen est regnum Dei, Marc 10. v. 14. Quid multis? Dominus petenti servo decem millia talentorum hoc est, totius decalogi debitum condonat: quod postmodum, propter remissionem fratri denegatam, revocat. Atque Christum non propositionis particulam, sed integrum antecedens parabolæ respicere arguit*, redditio, οὕτω καὶ sic faciet vobis (*apostolis & renatis alij. Renatos enim alloquitur solos: quod parabolæ scopus arguit*) si non remiseritis suo quisq. fratri de cordibus vestris peccata illorum. *Idcirco duplici, vel potius multiplici vice, Deus peccata remittit.*

Pri-

Primùm *in regeneratione & baptismo*, deinde *quibuvis pœnitentibus: quæ remissio quotidiè in illis, qui fideliter orant, continuatur. Si verò in irâ contra proximum sint perseveraturi, & in peccatis sese rursus, sine pœnitentia, voluturi, non tantum non condonantur quotidiana peccata, verum etiã antegressa remissio & continuata, revocatur, & peccator ad pœnam pro omnibus peccatis luendis deposcitur, abripitur.*

*Instat p. 773.* peccatorum remissionem non fieri irritam, quoniam Deus ajat *se conversi peccata non amplius recordaturum Ezech. 18. v. 22. sed deleturum Esai. 44. v. 22.* in profundum maris abjecturum, *Mich. 7. v. 19. Resp. 1. Aperta sunt verba prophetæ Ezech. 18. v. 24.* Cum justus se averterit à justitia sua & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat (*antea in fide vivens. Nam hypocrita non facit justitias coram Deo valentes & renatum decentes*) non memorabuntur. 2. *Agit igitur de convertenti se impio: cujus, si in sua obedientia fidei perseveraturus sit, se peccata non recordaturum, sed abjecturum pollicetur. Non igitur simpliciter peccata delet, abjcit, tegit; sed fidelibus perseverantibus: reliquorum peccata, jam abjecta, deleta, facit impietas iterata, ut rursus scribantur & memorentur. Hactenus de loco*

*Matth. 18. Nunc ad propositum revertamur. Itaq; exhortationes non tantum infirmitatem & securitatem præcavent, sed etiam defectionem à fidei justitia possibilem esse sanctis; arguunt & prima fronte innuunt, eamq; de multis evincunt. Sic Joh. 8. v. 31.* Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis. *Qui licet crederent, essentq; in tali sermone, quo possent salvari, tamen murmurarunt & recesserunt. Et de pijs stantibus pronunciat Apostolus 1. Cor. 10. v. 12.* Qui videtur stare videat ne cadat. *Labi autem eosdem & fidem amittere posse, Israëlitarum historia simili declarat Esaias cap. 1. instigat Judæos, ut sient & audiant, qui nihilominus transgrediebantur. Deus Davidem hortatur, ut perseveret diligere Deum: qui & ipse peccavit, non servato præcepto Domini, ac gravia scelera commisit 2. Sam. 11. 12.*

*Ex his apparet dissimile esse simile* Crocij *p. 218. Quod quemadmodum hortetur pater filium equo impositum, quem manu teneat, ne cadat: Sic & Deus nobiscã agat. Ubi admonitio utriq; sit ad illud utilis ut infirmitatem agnoscant & auxilium implorent. Nã Deus quidem sustentat credentem, sed ita, si ipse non deficiat & deserat Deum. Si autem renatus deserat Deum & retrò sese ab eo avertat; non amplius sustentabitur. At filius ita à parente tenetur, ut non possit cadere. Ille ordinatè, conditionaliterq; in fide nobiscum agit; hic absoluta*

luta & simplici virtute. Ille *non adhibet absolutas & omnes vires, sed in verbo promissas; at* hic *simpliciter cavet, ne quid filio periculi creetur. Nihilominus filius potest cadere, sese à patre avellens: Sic & renatus deserens Deum. Hinc conficitur exemplum, non tantùm esse dissimile, sed fortassis plus ad nostræ sententiæ, quam adversæ, defensionem facere.*

*Verùm ait* Grocius *p. 219.* Paulum 1. Cor. 9. v. 27. non secus docere suo exemplo. *Resp. Verba* Apostoli hæc sunt: Contundo corpus meum & in servitutem redigo, ne quo modo fiat, ut cum alijs prædicarim, ipse reprobus fiam. *Paulus electus & conversus, per opera suam electionem probat, ne malè vivendo reprobus evadat: Sed ijs sese vas Dei electum ostendat, vivendo secundũ ordinem, quem Deus in suo æterno propositio pijs, ad vitam æternam ingrediendam & suam electionem firmam faciendam, prædestinavit & præordinavit. Si igitur, deserta fidei probatione, potuit Paulus reprobus fieri. Ergo & alij homines.*

*Regerit* Sohnius *Tom. 2. p. 775.* reprobum hic non opponi electo, sed probato: ac significet eum, quem experientia ostendat, non esse talem, qualem esse oportebat, ut sensus sit: Ego Paulus vitæ regulam præscribo alijs: vel, mea vita alijs regula vitæ esse debet. Proinde me sic gerere studeo, ut doctrinæ meæ & vita & actiones meæ respondeant. *Resp. 1. ut* ἀποδοκιμάζειν

significat reprobare, respuere Luc. 20. v. 17. Heb. 12. v. 17. ac δοκιμάζεσθαι est probari Deo, 1. Thes. 2. v. 4. & 2. Cor. 8. v. 22: Sic & ἀδόκιμος significat reprobus. 2 Logica & scopus Apostoli hanc seriem orationis efflagitat: Paulus Corinthios hortatur, ita currant ut brabeum accipiant: ita certent ut coronam accipiant vitæ æternæ. Probat a. suo proprio exemplo, quod scil. ita certet & castiget corpus, ne, dum alijs prædicârit rationem accipiendæ coronæ, ipse reprobus fiat. Adeoq; non de reprobatione, quæ est non probatio fidei in operibus & periculis, sed de divina & æterna loquitur, qua impij à vita excluduntur. Si autem contrarium ingrediaris iter, atq; sic explices: quod nimirum ita currat & certet Apostolus domando corpus: ut, postquam alijs prædicavit certandum, ne ipse reprobatus evadat; vix connexio postremorum verborum cum scopo Apostoli comparebit. Confirmat ipse Piscator in Analys. & Scholijs hujus capitis nostram sententiam, dicens: ἀδόκιμος γένωμαι id est, exitio æterno damner, atq; ita reprobus esse declarer. Metonymia efficientis. Hanc explicationem confortat antithesis. Confer eundem Doctrina ejus capitis ultima. Consentit & Syrus: אלא פגרי הו כבש אנא ומשעבד: אנא דרלמא אנא לאחרנא אכרזת אנא קנמי אסתלאלי. Sed corpus meum castigo, & in servitutem redigo, ne forte ego, postquam alijs prædica-

dcarim, ipse reprobus sim. *Verbum autem* מָאַס *significat reprobari, reïci, abominationi haberi.*

*Videns* Sohnius & Crocius *pag. 220 suam exceptionem (quam ipsis* Calvinus apud Marloratum & Beza in Annot. *Majoribus,, communicarunt) non consistere aliam quarunt elabendi rimam vstando, Apostolum* non docere quid fiat in fidelibus, sed non fiat. *Nam 2. Cor. 13. v. 16.* dicat fore ut cognoscatis nos non esse reprobos. Non igitur valere consequentiam. Laboravit Paulus, ne reprobus fieret. Ergo id fieri potuit. Nam illa solicitudo pugnet non cum electionis certitudine, sed cum carnis securitate. *Resp. 1. Hæc glossa Paulinam adhortationem ad fortiter currendum, ducto argumento, a periculo reprobationis vitandæ 2. Coronæ vitæ æternæ consequenda, & non per peccata & securitatem amittenda, omnino evertit. Si enim ita ab æternâ electione fluit perseverantia, ut non possint renati non stare; quid opus est exhortationibus? Imò terriculamentis (ex hypothesi) tam falsis. 2. Quare docet Paulus quid contingere possit illis, qui à via ad salutem ordinata divinitus, discedunt; imò quid sæpe contingat: nimirum quod viam reproborum calcent, &, si non agant pœnitentiam, se reprobos esse doceant 3. Temporalis enim lapsus electo non raro accidit, sed non æternus. Et, si maximè temporaliter non de-*

*ficiat, potest tamen. Quare Paulus etsi non est reprobatus, nec reprobari quivit, quum castigaret corpus: male tamen* Crocius *a negato effectu, ipsum etiam finem adhortationum & deficiendi possibilitatem ex sanctis ob amorem electionis tollit. 4. Neq; tamen Paulum immediatè vocatum, neq; sua salute certum, dubitasse; neq; alios dubitare Christianos, asserimus absit! Verum quo loco futuri essent, si corpus suum non castigarent. Itaq; 5. urgemus iterum:* Omnis, qui non castigat corpus suum, est reprobus, vel certè in via ad reprobationem tendente, ambulat. Atqui omnes scortatores, securi, avari, homicidæ, idololatræ, helluones &c. non castigant corpus suum. Ergo sunt reprobi, vel certè in via ad reprobationem tendente, ambulant; *ideoq; nec sunt filij Dei, sed fide carent. Rursus: quicunq; castigat ex fide corpus in bonis operibus, & viam ad salutem tendentem calcat: est electus, vel certè juxta Dei præscriptum ad salutem tendit. Proinde cum Deus ab æterno prævidisset, Paulum ita corpus suum esse castigaturum & viam electionis in fide, divino adveniente auxilio, cursurum, ipsum elegit: non electurus si contrarium prænovisset. Atq; ita salutem suam Christianus piè cum timore & tremore operatur Phil. 2. 14.*

*Citat quidem p. 219.* Chrysostomum *pro sua sententia* 1. Tim. *Homil. 5. Frustra. Resp. enim* Chrysosto-

solomus *nostram sententiam non infringit*, sed *doctorem Ecclesiæ, exemplo Pauli, auditores suæ vita bona præire debere docet. Quin in Comment. 2. Cor. 9. nostram sententiam ex professo confirmat.* vide *l. 4. c. 13. 3.* Augustinus *Tom. 3. de* Agone Christiano *c. 6. nos tuetur scribens:* Qua in re intelligendum est, etiam ipsum Apostolum in semetipso triumphasse (*domando & castigando corpus, ne reprobus efficeretur*) de potestatibus hujus mundi, sicut de Domino dixerat, cujus se imitatorem profitetur esse. Imitemur ergo & nos illum, sicut hortatur & castigemus corpus nostrum, & in servitutem rediga mus, si mundum volumus vincere: quia per illicitas delectationes suas & pompas & pernitiosam curiositatem nobis dominari potest. vid. eundem Tom. 10. de verbis Apostoli *Sermon. 19. Summa: qui impie vivit, cunctis habetur reprobus, quia per opera suam vocationem & electionem, nec sibi nec alijs firmam facit, & si perseverat, damnabitur.*

*Videamus jam exactius* Crocianam *consequentiæ negationem;* Paulus laboravit, ne fieret reprobus. Ergo potuit fieri reprobus, quod illa solicitudo non pugnet cũ electionis certitudine, sed cũ carnis securitate. *R. 1. Mirum* nî Crocius *nobis novam sit fabricaturus Logicam, in qua exhor-*

*hortationes à fine suo sumta, non sint illius, sed alterius finis? Apostolus sanè ait: castigo corpus meum, ne fiam reprobus: secundum Crocij explicationem ipse dicendum fuisset*: castigo & subigo corpus meum servitute, ne fiam securus. 2. *Verùm esto ex Crocij sententia, non tamen concessa hypothesi; castiget Apostolus corpus & hortetur alios, ut castigent, ne securi fiant & peccent: quorsum tendit securitas? quorsum dehortatio ab illa? Annon illa ad damnationem & haec ad vitam? Qui enim in securitate vivit, quandiu vivit, non est certus de sua electione, nec eam alijs certam facit. Si verò certus esse voluerit, ut securitatem abijciat, atq; ex fide opera bona praestet, necesse est. Proinde desinat Crocius subordinatos fines adhortationum vitiosè opponere, & ex securitatis positione (quam tamen non ponit Apostolus) ipsam excidendi possibilitatem negare; desinat pro* reprobi *voce substituere* ne securus fiam, *cujus in textu Apostolico nulla sit mentio.*

*Nec locus* 2. *Cor.* 13. *v.* 6 à Crocio *objectus, nobis obest, sed prodest. Nam hortatur* Corinthios *ut probent se, utrum in fide sint, nisi sicubi sint reprobi.* At spero, *inquit Apostolus,* vos cognituros, quod nos non simus reprobi. *Quomodo? Nempe quod viam in electionis mysterio ad salutem perveniendi, à Deo in codice sacro ordinatam divinitus, ingrediatur & illi firmiter insistat.*

Reli-

*Reliquis locis alibi* partim est *satisfactum*, *partim infra satisfiet.*

## Cap. VII.

## Demonstratio. V. A. causis apostasian conciliantibus.

QUi potest peccare contra conscientiam, torpescere, occasiones oblatas gratiæ cõtemnere, horrere & deficere in persecutionibus, illecebris voluptatum transverso cursu rapi, studio divitiarum suffocare sermonem, deceptionibus fidem adhibere, æmulatione & contemptu fratrum laborare, ac tandem negligere pœnitentiam, indurare cor, & obniti Spiritui Sancto: is potest justitiam priorem deserere. Atqui justus aliquis hæc omnia potest. Ergo justus potest justitiam priorem deserere.

*Vel sic*; Si justus non posset deserere justitiam, nunquam peccaret contra conscientiam: nunquam torperet, occasionesq; gratiæ oblatæ negligeret, non horreret & deficeret in persecutionibus: non abriperetur studio voluptatum &c: Sed justus sæpe hæc experitur, semper autem potest. Ergo justus potest justitiam priorem deserere.

Crocius 224. 1. *limitat conclusionem*, quod universalis justitiæ desertio, cum particulari

con-

confundatur. *Respondemus distinctionem esse inanem vel etiam contradictoriam.* Inanem; *Nã universalitas defectionũ*, vel *adjunctum* tempus, *quo durat, respicit*, vel *rei substratæ, fidei scil. Salvificæ, ablationem.* Si posterius; *tum adversarius propria cedit vineta, cum antea negârit, fidem salvificam unquam totaliter ab homine renato auferri.* Si prius; *damus quidem electos ad tempus posse elâbi fide & gratia omni, sed non in æternum, nec ad mortemq; usq;.* Contradictoria *est, si Crocius gradus quosdam fidei auferri non neget, ita tamen, ut radix, vel semen aliquod, aut habitus remaneat. Nam justitia renati non nisi una est, consistens in remissione peccatorum, justitiâ Christi in merito ipsius per fidem applicatâ: quã* vel *gradus* vel *partes admittere omnium absurdorum est absurdissimum: siquidem (E. G.)* tàm *pater lunatici fide sua verè credebat* quam *Abraham:* tam *Nicodemus* quàm *Petrus aut David. Utring; enim sua fide Christum apprehendebant & salvabantur, licet horum fides adjuncto robore donisq; pluribus ornatam, calamitatib. plus probatam, magis* πληροφορηθναι *& plenitudine fiduciæ ferri, ac radiare cernamus, quam illorum.*

*Deinde negat* Minorem, quod affectiones dictæ, simul sumtæ, de justo aliquo nec prædicentur uspiam scripturarum, neq; illi propter im-

immutabilitatē gratiæ ita periclitari possint. R. In unum eundēq; justum, (vel qui studuit regeneratus justitiæ) si cadere possent omnes, verum non uno & eodem tempore: quid contradictorium foret? Annon enim (E. G.) Salomo peccavit contra conscientiam? In studio pietatis torpuit ante ἀκμὴν sui lapsus? Imò & in illo? occasiones conversionis & Dei adhortantis monita contempsit omnia? Non quidem metu persecutionis hostium: Sed (quod indignius est) ira & blanditijs mulierum? Illecebra voluptatum pium illum transverso cursu abripuerunt? studio, non tàm divitiarum, quàm voluptatis & prodigiosæ πολυγαμίας suffocavit sermonem & fidem? Deceptionibus gentilium fidem adhibuit? Æmulatione & contentione contra Jeroboamum, tunc adhuc immerentem, laboravit? Tandē anne pœnitentiam neglexit & cor obduravit? Deo & prophetis meliora suadentibus, eoq; Spiritui Sancto per ministerium verbi agenti, reluctatus est? 2. Etsi quidem non omnes recensitæ affectiones in quoslibet fidei naufragos, cadunt: tamen quælibet earum, vel una etiam, ad apostasiam sufficere potest; cum nullus carnis ductus, & cupiditatum dominium, studiumvè peccandi cum fide stet. Nulla quippe harum partium omnium syllogismi, quarum multæ sunt, facit, quin fidem excutiat mortemq; æternam attrahat impœnitentibus. Neq; enim necesse est, ut membra omnia syllogismi in

unum

*unum quadrent subjectum, ubi vel unum ad damnationem impœnitenti sufficit.*

*Tertio: negat* propositionem *syllogismi, &* quærit *p. 224.*

1. An qui peccat contra conscientiam, is fidem penitus deserat?

*Affir. 1. Tim. 1. v. 19. unde infero:* Qui ita peccat ut circa fidem fecerit naufragium, & conscientiam habeat judicatricem & damnantem: is fidem amisit & abnegavit. At vero quidam renatus ita peccavit. Ergo. Alter locus à Bertio citatus Rom. 1. v. 2. est à scopo alienus.

2. An is justitiam suam penitus deserat, qui est securus, languidus, torpidus?

*Affirmamus nos cum* Bertio *qui adducit testimonium Matt. 13. v. 12.* Quisquis n. habet, dabitur illi & reddetur abundantior. Quisquis a. non habet, quod habet, tolletur ab eo. *Loquitur Christus de auditoribus quadruplicis seminis, quorũ* tres *classes crediderũt, Quarta sola perseveravit, tertiâ & secundâ rursus desciscentibus. Ergo plurimi credentes rursus abeunt, & quod fidei palladium & donum sibi adhuc possidere videntur, amiserunt. Imò etiam illud, quod adhuc credunt fiducialiter (quomodo hoc verbum accipi videtur Joh. 5. v. 39. 1. Cor. c. 7. v. 40. c. 10. v. 12.) posse eis rursus eripi arguit. Quare dona divina non duntaxat dantur, sed abutentibus & impœnitentibus iterum auferuntur.*

tur; & quidem sæpe una cum intellectus & rationis pristinæ plenitudine: Quod Sauli & Salomoni contigit. 2. Mat. 12. v. 43. Regerit Crocius p. 228. Christum hoc dixisse, ut doceret, Judæos esse pejores quàm si nunquam Dei cognitionem vel legem accepiscent. Diabolum enim per legem in veteri Testamento à Judæis esse quodammodo ejectum, ut per legem Deo uni ac vero, non idolis, non Diabolo servire edoctis: qua Dei gratia contemta digni facti sint, ut septem in eos pro uno immundo spiritu, spiritus ingrederentur, qui priora illorum crimina novis augerent. Voluit enim Christus (concludit Crocius) rationem reddere, cur Pharisæi non crederent.

Resp. Nova & inaudita est doctrina, quæ asserit, Diabolum exire & ejici per legem, toti scripturæ incognita; imò diserte contraria. Veritas enim cœlestis inquit Matth. 17. hoc genus non egreditur, nisi per deprecationem & jejunium, hoc est, per pœnitentiam & ardentes in Spiritu factas precationes. Quid? Lex peccatum, ob nostram infirmitatem, auget Rom. 7. v. 13. 14. non levat, nec spiritum malum expellit. Rursus: Crocius aut internam legis obedientiam spectat, aut externam. Si illam; tum omnes in mundo homines pœnæ subjacerent Crocianæ. Atqui is finis legis, respectu repetitionis, non fuit, Galat. 3. v. 21. 23.

24.

24. 25. Sin hanc; *fatemur quidem, legem perfectius prohibere peccata, quam leges Romanorum sapientes: Sed tamen illas in ijs, quæ externum spectant forum, non tantùm, quæ bona sunt, præscripsisse, & etiamnũ præscribere in corpore civili patet: Verùm in ipsa quoq; natura fundari Rom. 2. v. 14. Ergone & lex naturæ ac gentium expellit Diabolum? Id sanè hactenus fuit inauditum. Quod si illud asseris, cur hoc ob parem causam negas? Quare ut summatim complectar: spiritus non datur per legem, sed Evangelium. Si igitur Diaboli vis per legem abolita est; certè regnũ Dei ad Judæos per legem venit.* ἀδωάτον. *Consequentia est firma ex v. 28. c. 12. Matthæi, ubi inquit servator. si spiritu Dei ego ejcio dæmonia, ergo pervenit ad vos regnum Dei. Dei autem regnum propriè designat gratiam in Evangelio per Christum oblatam; item pacem & lætitiam spiritus: non verò etiam legem, nisi quis ad totum respiciat ministerium verbi, in quo & usus legis est. 3. Numquid Judæi, nihil præter nudam habuerunt legem? Annon & gratiam regni Dei, ex N. T. in vetus irradiantem? Habuerunt certè, & omnes, saltem infantes, fœderales Abrahamitici fœderis illustravit: quemadmodum & credentes adultos.*

*Nec ratio* Grocij *est melior explicatione hujus loci. Non enim Christus vult rationem reddere cur Pharisæi non credant: Sed dato signo, Messiæ offi-*

*officium sacerdotale designante, comminatur illis pœnam & damnationem æternam: quam parabolâ concludit, qua causam indicat, quare tam asperam pœnam & judicium sint subituri Judæi: nimirum quod prius regenerati fuerint, & sua rursus malitia & incredulitate gratiam & fidem abjecerint. Unde & gravior pœna illos maneat. Ideoq; non de solis Pharisæis loquitur Christus, sed de tota generatione judaica mala v. 45. Deinde ratio* Crociana *ista misera est*, nulla est: Judæi non credidêrunt, *quod legem violarint & non audiverint. Proba consequentiã Croci.* Deniq; *observamus* Crocium *concedere isthinc describi* parabolam *inquiens:* Ita hanc parabolam Hilarius, Hieronymus & Beda expositerunt. *Quæ præterea ad hujus loci explicationem pertinent, supra notata sunt.*

*Tertiò: Matt. 13. v. 19.* Siquis audit sermonem de regno, & non animadvertit, venit ille malus, & rapit quod satum est in corde ipsius. *Reponit* Crocius p. 229. non agi hîc de fidei amissione, sed ignorantia & non intellecto verbo. *Quod non indistinctè verum est. Nam licet* pars prima *auditorum verbum, abripiente Satana, non intellexerit & credidisse videatur: tamen reliquæ partes & classes auditorum omnes crediderunt.*

3. An is justitiam deserat, qui occasiones oblatas conversionis contemnit?

*Probavimus nos exemplo* Salomonis, *nec Dei, nec prophetarum sanas admonitiones admittentis.* Simonis Magi *Actor. 8. qui vere credidit*; Saulis, aliorumque circumcisorum & baptizatorum: item illorum, *qui peccant in Spiritum Sanctum. Heb. 6. v. 10. Heb. 12. v. 15.* Curam habentes, ne quis sit, qui deficiat à gratia Dei; ne quà radix amarulentiæ suppullulans obturbet & per hanc inquinentur multi. *Loqui Apostolum de subjectis conversis, persuadet nobis, præter superiora capita, adhortatio ne deficiāt à gratia Dei. 2. Et quidem Observata, & non per oblivionem deleta exhortatio divina, Judæis tanquam filijs loquens. v. 2. 5. 3. Eorum decertatio in fide & tolerantiâ in comminationibus, persecutionibus & calamitatibus v. 1. dicens:* onus omne deponentes, & circumcingens vel circumstans peccatum (τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν) per tolerantiam curramus propositum nobis certamen. *Hortatur enim Judæos exemplis credentium in capite 11. recitatis, & ipsius Christi cap. 12. v. 2. propositis, ut in fide perseverent.* Denique: *loquitur de ijs, qui ex radice amarulentiæ suppullulante* ἐνοχλοῦνται *turbantur & molestantur, qua multi, non omnes, inquinantur. Cum verò radice peccati originalis prorsus omnes inquinentur, de eo præsens inquinatio efferri nequit. Ergo notamus 1. in renatis semper residere & manere radicem* πικρίας *amarulentiæ. 2.*

qua

quæ suppullulat, molestat & obturbat pios suppullulando, 4. idq; in tantum, ut per eam multi verè conversi & pij inquinentur & à gratia deficiant. Cum enim radix originalis mala per se inquinet & impurum faciat Esa. 64. v. 6. Gen. 6. v. 5. c. 8. v. 21. de ea sanè hic non loquetur: illam renatus inquinationem potest fugere, non hanc. Ab illa, & non ab hac Apostolus dehortatur. Accedit, quod verbum μιαίνω cum alibi sæpissimè, tùm plerumq; in N. T. pro horrenda contaminatione & impuritate sumatur. Significat manus sanguine polluere Es. 59. v. thr. 4. 4. 14. polluere domum Domini 2. Paral. 36. v. 14. polluere terram Deut. 24. v. 4. Sanctã Dei Esa. 43 v. 28. Levit. 20. v. 23. filiam Gen. 34. v. 1. miscere prohibitis gradibus & concubitu illicito, Levit 18. v. 24. 27. 28. Sic Tit. 1. v. 15. τοῖς δὲ μεμιαμμένοις, pollutis & infidelibus nihil est purum. Judæ v. 8. Similiter somniantes, carnem quidem polluunt (μιαίνουσι) & dominationes spernunt. 2. Pet. 2. v. 10. Impectæ, ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ in cupiditate impuritatis vivere dicuntur. Budæus ex Paulsania in Corinth. refert μιασμα cum προσκομίσω conjungi, id est, piaculo. Quare & Heb. 12. v. 15 non communis & omnibus inhærens pollutio, sed pessima, & horrenda, quæ multis accidit, eaq; qua deficiunt, gratiam q; amittunt, describitur.

4. Annon in persecutionibus nonnulli deficiant?

*Matth. 13. v. 20.* At qui in petricosis est consitus, est qui verbum audit, ac protinus cum gaudio suscipit illud, v. 21. Verum non habet radicem in semetipso, sed temporarius est: porrò cum inciderit afflictio aut persecutio propter sermonem, continuò offenditur. Lucas cap. 8. dicit credere ad tempus. *Verè autem credidisse istos* πρόσκαιρος *est in confesso.* Nam quicunque verbum cum gaudio suscipiunt, verè credunt. *Videsis loca Actor. 8. v. 14. c. 11. v 2. Heb. 10. v. 34. 1. Cor. 2. v. 14. 1. Thessi. 1. v. 6. c. 2. v. 13.* Hi verò πρόσκαιροι cum gaudio susceperunt. Ergo. 2. In quibus verbum non tantum fuit seminatum, verùm etiam enatum: in illis est vera fides salvifica. Omnis enim fructus enatus, vivit. Atqui verbum in illis fuit non tantum seminatum, verùm etiam *enatum Luc. 8. v. 6.* exortum est & sese in altum tollere cepit, *Matth. 13. v. 6.* 3. Quæ fides in afflictis, & calamitatibus pressis & persecutiones passis πρόσκαιρος plerisque manet: ea hic nō intelligitur. Atqui fidei historia & assensus sive interna, sæpe cōfessio ex afflictis calamitibus pressis, & persecutiones passis πρόσκαιρος plerisque manet, teste experientia. *Murmurant quandoq;* & scandalizantur, sed non semper

per & omnes à fidei *professione desciscunt, sed à salvifica. 4. Loquitur de fide, à qua in tempore tentationis ἀπίστωντω & deficiunt. Qua utiq; salvificâ est fides, non alia. Tentatio enim non tam fidem historiam, aut civilem, quam salvificam tentat: ut quam Satanas præcipuè impugnat. Conf. Rom. 5. 1. 2. 3. c. 8. 34. & seqq. Heb. 11. v. 4. 7. 19. 26. 33. & seqq.* 5. Qui à perieverantibus in fide & πλεσφερῶσι non nisi tempore discriminantur: non fide ab illis discriminantur. Atqui fideles, πρόσκαιροι à perseverantibus & πλεσφορῶσι in fide, nō nisi tēpore discriminantur. *Ergo. VI. Quicunq; à fide ἀπίστωντω & deficiunt, in qua πλεσφορῶντες salvantur: illi à vera & salvifica fide deficiunt. Atqui πρόσκαιροι ita deficiunt; Nam privatio supponit habitum; & defectus à fide, in qua alij perseverant, φθόν in ea. Confer apud Lucam cap. 8. v. 13. cum. 14. v. 15. collato.*

2. *Bertius citat* Paulum *2. Tim. 4 16. querentem:* In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt: ne illis imputetur. Oganit adversarius pag. 231. Potuisse illos Paulum sic deserere, ut discipuli Christum', quibus in ore & vita confessio propter persecutiones deficeret, non autem fides in corde. Quod certe (Apostolus) de eis non desperet, eò indicetur, quod oret, ne eis imputetur. *Resp. In Apostolis*

*fugientibus, Christum deserẽtibus. seſe occludẽtibus, insuperq́ de resurrectione Christi dubitãtibus, mãsisse fidẽ, mihi vix persuadebis. Fides n. est fiducia firma in Christo, ejusq́ merito: Nec fuga, desertioq́ Christi & dubitatio cũ fide & fiducia consistit. 2. Accipimus quod largitur* Crocius, fidem in ore & vita Sociorum Apostoli, & confessionem ad tempus propter persecutiones defeciſſe, indeque inferimus. Nullus in cujus ore & vita confeſsio fidei ad tempus deficit, eſt verè renatus. Qui enim confeſſus fuerit ore ſuo Jeſum Dominum, & crediderit in corde ſuo, ſalvus erit, *Rom. 10. v. 14. 15. Et contra*: quemcunpuduerit mei & meorum ſermonum, hujus filium hominis puduerit, *Luc. 9. v. 26. Marc. 8. v. 38. Matt. 10. v. 33. ubi non ſimpliciter odium, contemptumvè ſui intelligit Chriſtus: ſed etiam, ſi quis Chriſto mundanam gloriam & favorem, ob Evangelij ignominiam & odium veritatis, præponat.* Quicunque igitur juſtus fidem, ubi opus eſt, non confitetur, ſed abſcondit; amicum & ſocium in periculo deſerit, ſeſeque ab illo metu periculi, & perſecutionis abripit: is fidem deſerit & abnegat. Atqui Socij Pauli, & inprimis Demas, hoc fecerunt. Ergo. *Fatetur ipſe* Crocius Paulum gravius de Dema loqui, eum ſcil. amplexum eſſe præſens ſeculum: quod ſonet ac ſi ab Eccleſiæ communione ſe ſegregârit.

*Meram proinde principij petitionem præſe ferunt*

*runt verba ista* Crocij: Si fidelis fuit, ab *(Ecclesia)* segregatus manere ac mori non potuit: *Imò veritati ipsi manifestè contrariatur; cum multi, qui crediderunt antea, ad finem usque ab ea segregentur.* 2. *Sic arguo ex* Crocij *largitione*: Qui sese ab Ecclesia Dei & communione ejus segregat: non est membrum Ecclesiæ, nec fidem habet. *Electi enim, teste* Philippo *in LL.CC.* non nisi in cœtu vocatorum sunt quærendi, non in cœtu infidelium, fidemque deserentium. Atqui Demas, præeunte Crocio, sese ab Ecclesia Dei & ejus communione segregavit. Ergo &c. *Fuisse deniq; Demã verè renatum & cõversum, in præcedentibus satis luculenter probavimus.*

## 5. An qui sectatur voluptates & illecebras carnis, fidem penitus deserere & amittere possit?

*Affirmarat* Bertius *ex 1. Epistola Petri 2. v. 18.* Crocius *fidem Græcam tentat p. 232. inquiens,* Robertum Stephanum in N. T. annotasse, in aljis exemplaribus, loco ὄντως reperiri ὀλίγως propemodum: in alijs ὄντως sic. Lapsum a. ex ὄντως *in* ὄντως esse perfacilem. *Resp. Particula* ὄντως *ab ipso contextu & cohærentia respuitur. Quæ enim cohærentia? & qui hujus adverbij usus?* Inescant per cupiditates carnis & voluptates eos, qui sic effugerant, qui in errore versantur?

*Nuncquid fortassis ita effugerunt, ut in errore versarentur? Atqui non est id effugere, sed altius labi. Aut ad quid referes vocem,* sic? *Quare retineamus lectionem consuetam, ac dicamus* verè *aufugisse? vel etiam ὀλίγον* (scil. *χρόνον si modo vera est lectio Complutensis*) & jam rursus in errore versari. *Vulgata legit* paululum, *cui fontes opponimus: quos ita graviter reddidit* Pagninus, qui utique Complutense *exemplar improbavit, & suspectam habuit lectionem:* Prætumidam enim vanitatem loquendo per carnis cupiditates & lasciviis, eos qui verè aufugerant ab ijs, qui in errore versantur, inescant. Porrò *: nec adverbium ὀλίγως ferri potest. Nam participium præsens* (*τὰς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους in errore versantes*) *opponitur aoristo ἀποφυγόντας, qui effugerant. At qui semper versatur in errore, non aufugisse* verè *dici potest. Et contra:* Si rursus inescātur errore, non amplius versati fuerunt. *Qui n. isti, qui in errore adhuc aliquomodo versantur, ad errorem rursus inescarentur? Quare nisi ista lectio ratione subjectæ materiæ & temporis applicetur, rejcienda erit.*

Altera *exceptio p. 232.* (*quod Apostolus* non de plena loquatur conversione ad pietatem ab impietate, sed duntaxat de externa conversione non simulata, ad professionem religionis, hoc

est

*est, fidei doctrinam) pariter inepta est. Nam 1. verè effugerunt. A quo a. effugerint docet v. 20. qui hic est:* Nam si postquam refugerunt ab inquinamentis mundi per agnitionem Domini & salvatoris Jesu Christi &c. *Quæ 1. est veræ & salvificæ fidei descriptio Joh. 17. v 3. Col. 1. v. 6. 1. Tim. 4. v. 3. Eph. 4. v. 13. Col. 1. v. 9. 10. 1. Tim. 2. v. 4. Heb. 10. v. 26. 2. Pet. 1. v. 2. 3. 8. 20.* Deinde, *talis hæc est agnitio, qua fugerunt ab inquinamentis mundi. Per nudam enim doctrinæ cognitionem non verè receditur ab illis, nec* rursum involuti superantur, & facta sunt illis postrema pejora primis. *Tertiò, idem confirmat v. 21.* Satius fuisset viam non agnovisse *(vera fide & dilectione, Job. 19. v. 25.)* quam ubi cognoverunt converti ab eo, quod illis traditum fuit, sancto præcepto. *Idem denique probat simile suis lotæ, quod nullum esset, nisi illi apostatæ fuissent verè loti. Nulla enim apostasiæ ab eo, quod non fuit, datur. Nihil jam dicam de peccantibus in Spiritum S. Heb. 6. qui verè fuerunt regeniti. II. In 2. Epist. c. 1. v. 9. inquit. Petrus:* cui hæc (charitatis & tolerantiæ operæ) non adsunt, is cæcus est, oculos comprimens, oblitus purgationum veterum.

*Sohnius p. 776. hunc locum, luce meridianæ clariorem obfuscare nititur, ac dicit,* „ Petrum ita secundum judicium charitatis loqui, quo omnes qui baptizantur & fidem profitentur, etsi

fide hypocritica præditi sunt, appellet justos, sanctos, à peccatis purgatos. *Resp.* 1. *Verba sunt perspicua, quæ, si nuda Sohnij negatione distorta vacillarent & infirmarentur; nihil esset tam, sanctum, clarum, ac firmum, quod non ab hæreticis violari per eos, subrui posset.* 2. Quicunque sunt obliti, se accepisse olim purgationem suorum peccatorum veterum: illi fuerunt verè renati & rursus lapsi sunt. Atqui nonnulli sunt obliti se accepisse olim purgationem suorum peccatorū. Ergo. *Verba emphatica sunt,* λήθην τῆς καθαρισμοῦ, obliti sunt accepisse se purgationem, (*quæ fide fit Actor.* 15. *v.* 9. *in sanguine Christi* 1. *Joh.* 1. *v.* 7.) suorum peccatorum 3. *Verbum* λαβὼν, accepisse, *fortiter reclamat* Sohnio. *Acceperunt enim non fictè, sed verè, non judicio hominum & charitatis, sed salvificè & consilio Dei bono. Vult enim ut omnes credant & baptizentur baptismo, quæ est lavacrum regenerationis; lavacrum aquæ in verbo, nos verè salvans, non judicio charitatis, non hypocriticè. Tandem* acceperunt alij credentes, quos Apostolus hortatur v. 10. ut in fide & tremore vocationem & electionem firmam faciant,

6. An qui studio divitiarum & solicitudine hujus mundi suffocant sermonem, & & alij avari, deserere justitiam penitus possint?

Affir-

*affirmat* Bertius *ex verbis Christi Matth. 13. v. 22.* Qui in spinis consitus est, hic est, qui verbum audit: & cura hujus seculi deceptioneque divitiarum suffocat sermonem & infrugifer redditur. Crocius *pag. 235. 236.* audientiam à fide distinguit, atque Ecclesiasten hic docere, quid diviti auditori divini verbi accidere soleat, non quid verè & salutariter credenti. *Resp. Non auditum verbi duntaxat illis Christus largitur, verum & fidem salvificam, cum illi semini tribuat vitam & augmentum, v. 7.* Alia autem ceciderunt inter spinas & insurrexerunt spinæ & suffocarunt ea Luc. *8.* v. 7. Aliud in medio spinarum, & simul enatæ spinæ suffocarunt illud. v. 14. à solicitudinibus & divitijs ac voluptatibus vitæ eunte suffocantur, nec ferunt fructus ad finem usque (πλεσφορῶσι). *ubi Notamus 1. Verbum fuisse enatum in illis. Quod non nisi fide fieri quivit. 2. est enatum simul cum spinis (συμφυέισαι) Quo modo igitur spinæ habuerunt vitam vegetantem? Sic spiritualiter & verbi semen est enatum. 3.* spinæ suffocarunt. *Fides non mortua, non civilis, non hypocritica in illis (quod non prohibendum, sed optandum erat) suffocatur, quam retinent: Sed viva & salvifica. 4.* πλεσφορεω *significat;* vel tuo Pastore attestante, *ad finem & maturitatem perduce. Quod & compositionis ratio confirmat. Quâ*

*fru-*

*fructus n. qui ad finem & maturitatem meſſis non perducunt ſeſe: ij profectò initia habuerunt & in tantum ſuccreverunt; aliâs verbum τελεσφορῆσι, eſſet hîc alienum. 5. ab oppoſitione verſ. 15. v. 16. ubi τοῖς non τελεσφορῆσι, hoc eſt, qui non ad maturitatem meſſis divinæ & cœlum perveniunt, opponit τὰς καρποφορέντας, fructus afferentes ſermonem retinendo.*

Alter *locus eſt 1. Timot. 6. v. 10.* Radix omnium malorum eſt amor pecuniæ: quam quidem dum appetunt, aberrarunt à fide, & ſeipſos undiquaque transfixerunt (περιέπειραν, quod Eraſmus vertit implicuerunt) multis doloribus. v. 9. Nam qui volunt diteſcere, incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnoſas, quæ demergunt homines in exitium & interitum. Crocius *p. 236. repetit conſuetam contilenam*, agi non de verè credentibus ſed aberrantibus à fide ſeu confeſſione Evangelij, non de verè juſto, ſed de homine. *Reſp. Cantilena conſueta quidem adverſario ſed levicula. Nam 1. Sermo eſt Apoſtolo de hominibus, non extra cœtum Eccleſiæ (qui non aberrarunt à fide) ſed in ea viventibus: qui fidem confitentur omnes.* Ex qua igitur fide exciderunt avari, qui in Eccleſia degunt, iſtam hîc intelligit Apoſtolus. Atqui avari non â fide hiſtorica & confeſſione excidebant: Sèd in Eccleſia manebant:

*Verùm*

*Verùm â fide salvifica.* Ergo. 2. De illa fide monet Apostolus auditores Timothei & Ecclesiam ne deserant eam, quâ deserta 1. multis doloribus se implicabant & 2. undiquaque transfigebant. 3. in tentationes & laqueos incidebant. 4. in exitium & interitum demergebant. Atqui non historiæ sed salvificæ fidei ista competunt.

*Quæ p. 236. de Juda inspergunturin explicatione loci Johan. 6. sunt enucleata, ut hic novâ repetitione non sit opus.*

7. An qui deceptionibus, sive grandibus sceleribus aut falsæ doctrinæ, fidem adhibent, deserant fidem justificantem?

*Affi. ex Mat. 24. v. 11:* Et multi pseudoprophetæ surgent & seducent multos. v. 12. Et propter multiplicatam iniquitatem frigescet Charitas multorum *v. 13.* Qui autem perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit. Crocius *p. 241: nihil novi habet, quod afferat,* nisi præstantissimos interpretes inde impossibilitatem, defectionis, propter certitudinem prædestinationis, confirmare. *Quod quomodo sit, verũ ex resolutione hujus oraculi suo loco patuit.* Porrò, *solidum robur & argumenta inde promanantia.* in Demonstrationis primæ *confirmatione, eluxerunt.*

Alterum *testimonium est 2. Cor. 11. v. 3.* Metuo nequa fiat, ut quemadmodum serpens Evam de-

decepit versutia sua, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ erat erga Christum. Crocius *ait pag.* 242. Apostolum metuisse iis, qui corruptis mentibus erant, ne degenerarent à simplicitate Christianismi, quam profitebantur. *Resp. contra: 1.* potuerunt deficere. *Apostolus enim metuit ne decipiantur: qui metus esset nullus nisi posset in actum deduci. Nec simplex error describitur, sed qualis Evæ accidit, qua totali gratia Dei excidebat. 2. Agit quoq; de tentatis. Nam à quali simplicitate decepta est Eva & sensus illius corrupti, à tali &* Christiani Corinthij poterant corrumpi. Atqui Eva à vera simplicitate fiduciæ divinæ decepta est, & sensus illius corrupti. Ergo & alii à vera simplicitate fiduciæ divinæ poterant corrumpi. Propositio liquet. *Eva enim non fictâ, nec civili justitia & simplicitate fiduciæ sed divina & vera fuit ornata.* Minor æquè *certa est; siquidem,* cujus sensus possunt corrumpi, is adhuc integris & sanis est sensibus, & qui decipitur à justitiæ simplicitate & fide: is in ea huc usque stat. 2. De illis Paulo est sermo, qui in fide sua poterant salvari, seu, quâ erant Christo viro, virgo casta desponsata. *Nam verbum, ἁρμοσάμην, non dissonantem mentibus & dissidentem, sed omnibus modis aptam & congruentem denotat conjunctionem. Ne dicam, si Christo junctam esse virginem civiliter fidelem, garrias, fidem omnem evertas Eph. 5. v. 27. 32; Vel statues* Chri-

*Christo suum conjugium esse cum spirituali & perpetua adultera, quæ ipsi fidem unq. promiserit; εοῦ non ἁρμονία sed ἀναρμοσία foret 3.* Quorum sensus & νοημάτα sive cogitationes non sunt corruptæ: ideoque nec hypocriticæ nec legaliter justæ: Sed 2. sunt in simplicitate, quæ est erga Christum, quam ipse verbo suo requirit: illi verè credunt. Atqui tales Corinthiorum sensus erant. Ergo,

## 8. An justitiam prorsus deserant, qui æmulatione & contemptu fratrum laborant?

*Affirmamus nos ex parabola ejusd. scopo & explicatione Matt. 18.* item: *admonitione Apostolica Rom. 11. v. 20.* Benedicis: per incredulitatem de fracti sunt, tu vero fide constitisti (τῇ πίστει ἕστηκας) ne efferaris animo, sed timeos. Nā si Deus naturalibus ramis nō pepercit *(vide)* ne qua fiat, ut nec tibi parcat. v. 22. Ecce igitur bonitatem ac severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt severitatem: in te vero bonitatem, si permanseris in bonitate: quoniam & tu excideris. v. 23. Et illi rursum si non permanserint in incredulitate, inserentur. *Observemus 1. Apostolum describere* Romanos *fide verâ justificatos.* Nam illa fides intelligitur, in qua stant fideles, & ex qua excisi sunt Judæi. 2. Ramos non nisi per fidem salvifi-

cem

eam oleæ, Christo inseri posse. 3. Per eandē fidem in Christo stare, & eâ recedēte, excidere. 4. Fuisse Judæos in bonitate Dei, olea, Christo & fœdere non externo sed interno, & Deo placente, v. 20. 5. Illam intelligi fidem per quam infideles Judæi, poterant rursus inseri oleæ. 6. quæq; incredulitati, quâ damnantur impij, opponitur. 7. verè Judæos excidisse, cum sint gentes extra Ecclesiam & interitum ruant.

Excipit Crocius *p. 242. non arguere* Paulum defectionem à Deo, sed excitare in electis modestiæ studium. *Resp. 1. Etsi electi finaliter non deficiunt: tamen renatos & temporaliter & finaliter excidere interdum, evidenter inde colligitur. Et omninò est verum,* Quibus timendum est, ne efferantur & excidant: ij profectò excidere possunt; *cum finalis exhortatio posita, & ab effectu malo interitus exaggerata, supponat rei possibilitatem. Deinde:* Sicut Judæi, posita fide, poterant inseri: ita renati, posita incredulitate, poterant excidere: *Quæ pariū collatio nulla esset, nisi utrig, in alterum extremum declinare potuissent. Quare* Crocius *immeritò infidelitatem in renatos cadere, cum manifesta τῇ ἐν ἀρχῇ λήψει, inficiatur.*

*Verùm tumultuatur Sohnius p. 774. Tom. 2.* committi ignorationem elenchi. Non enim loquatur Apostolus de individuis, sed de gentibus

bus & Judæis in genere: In gentibus autem multi fuerint, qui fidem magis professi sint, quã habuerint. *Resp. Quid tum si de gentibus loquatur?* De Romanis *salvifica fide credentibus loqui Apostolum jam ostendimus, nihil curantes, an individuæ & singulares quædam personæ duntaxat hypocriticam aluerint fidem. Hypocritæ enim fide salvificâ, quâ destituuntur, non excidunt: Paulus* 2. *loquitur de gentilibus, qui excidere poterant fide, idq; in tantum, ut Judæi denuò inseri possent.* 2. *Itaq; invertamus argumentum*, si tota gens potuit excidere. Ergo etiam individua. *Nullum enim privilegium individui ullius proferre quibis majus, quam totius gentis: estq; apostasia deficiendi à fide, aut standi in eâ, πάθος utriq; & accidens, non impossibile, sed de utrisq; prædicatur; utriq; ne accidat, à Spiritu Sancto præmonentur. Nec enim est conditio quædam, quæ nunquam in actum transeat, Nam.* quod in voluntate sanctorum æquè est positum, id de eâ perperam in dubium vocatur. Atqui æquè in sanctorum voluntate est positum, ductum spiritus trahentis sequi: aut ductum Satanæ & carnis malæ. *Utrunq; enim sancti in sese experiuntur & sentiunt. Spiritus quidem sanctus reluctatur fide carni, sed ordinatè:* Rursus; *caro impugnat actiones spiritus. Homo autem renatus, aut illum aut hanc sequi potest,*

*quod exempla sanctorum, horribiliter lapsorum, & tota scriptura evincit.*

Ultimò ; infideles non cadere in malignitatem, quam Moses Deut. 29. 18. describit, *dicere est impium.*

9. An nonnulli, qui pœnitentiam negligunt, indurant cor, & obnituntur Spiritui Sancto ; justitiam & fidem deserant ?

*Probamus nos testimonijs scripturæ, ceu 2. Pet. 2. v. 18. 20. 21. 22. 1. Thes. 5. v. 19. Heb. 3. v. 8. & seqq. Eph. 4. v. 30. Apoc. 2. v. 5. &c.* Crocius *p. 241. negat* verè credentes se unquam taliter obstirmare. *Atq; idcirco ad locum Apoc. 2. v. 5. regerit,* angelum Ecclesiæ Ephesinæ non defeciſſe, sed à fervore charitatis remisisse. *Respondimus nos in* Demonstrat. *1. Tim. 11. De reliquis omnibus actum est suis in sedibus, ad quæ adversarius nihil novi refert.*

Judæos *Actor. 7. v. 51. resistentes Spiritui Sancto, fuisse in sua infantia in circumcisione regenitos, supra meminimus : Neq; illos tantum, sed multos quoq; ex patribus eorum fuisse fœderi æterno insertos, & nihilomin · exacerbasse & irritasse Spiritum Sanctum, ac periisse, ex superioribus constat.*

Bertij argumenta *duo,* (alterum, *à libertate* Chri-

*Christiana, quæ multis est causa standi, nulli verò* per se *causa excidendi*; alterum *à rebus secundis petitum*) *per accidens sanè, eas res multos à veritate & constantia ad lapsus & exitium allicere, probant. Quod ut* Crocius *p. 245. de pereuntibus non-renatis, non negat: ita de renatis probamus exemplis Salomonis, Saulis, Davidis, Judæorum Ezech. 16. vers. 49. Rom. 11. vers. 20. & passim aliis locis.*

## Cap. VIII.

## Demonstratio sexta â causis, apostasian avertentibus.

QUi studio integræ conscientiæ, curâ, precibus, vigilijs, solicito & sancto timore, fide & accurato examine sui, apostasian vitare potest: ille istorum amissione potest à justitia deficere. Quilibet justus ex fide, in hac vita potest illorum observatione vitare apostasiam. Ergo quilibet justus ex fide, in hac vita potest omissione istorum deficere à justitia.

*Vel sic*; Si justus non posset deficere â justitia sua; non opus esset illi conscientiæ studio, cura, vigilijs, precibus, timore, fide, solicito sui examine. Sed istis omnibus justo opus est. Ergo justus potest deficere à justitia sua.

Crocius *p. 247.* prioris. *Syllogismi* conclu-

ſionem mutati ſtatus accuſat. Status enim ſit, An juſtus poſsit penitus deficere? concluſio vero ſit iſta: Quilibet juſtus in hac vita poteſt omiſsione iſtorum, quæ apoſtaſian avertunt, deficere à juſtitia. Hîc falſam aſſui hypotheſin, ait, ſi nempe juſtus ea omnia omittat, quæ apoſtaſian avertunt: quam non concedat, quod juſti à gratioſa Dei electione & promiſsione conſerventur. *At reſpondemus* 1. Bertij ſyllogiſmum *potentia duos includere, qui ſic evolvi poſſunt.* Qui ſtudium integræ conſcientiæ, curam, preces, vigilias, ſolicitum & ſanctum timorem, fidem & accuratum examen ſui omittit: juſtitiam deſerit omnem. Atqui multi omittunt renati *Quod ſupra fuit evictum.* Ergo. Major *probatur: quia per iſta media apoſtaſian poteſt vitare. Contraria n cum ſint contrariorum parium jura: ſequitur, ſi illis medijs perſeverent ſancti, illorum omiſſione labantur.* 2. *Argumentum eſt ſumtum ex cauſarum ſalutis utrinq; confeſſarum, contrario ſenſu, quo hæc quæſtio per ſyll. connexum probatur: juſtus omiſsione cauſarum ſalutis poteſt elabi, imò elabitur. Rem declaro ſimili hoc: Quærat peccator,* An poſſit ſalvari. *Reſpondebis, ſi credat in Chriſtum, poſſe. Quærat ulterius: Annon etiam ſine fide? Negas tu. Unde non immeritò colligit.* Si per fidem ſalvabor ſolam: utique non ſine ea. At per fidem

salvabor solam. Ergo non sine ea. *Et contra. Quare non assuitur falsa, sed vera hypothesis & conditio: Tua a.* Crocii *hypothesis de ἀδυναμίᾳ apostasiæ, quam inepta & falsa sit, in apricam jam produximus lucem.*

Deinde *p. 249. negat* Crocius Majorem, quoniam in ea fallacia pariũ ut patium deprehendatur. Nam, inquit, qui ex novitate spiritus, studio bonæ conscientiæ, cura, precibus &c. apostasian vitare potest; non illico hæc omnia potest omittere: quoniam is, ut fœderatus Dei, à spiritu Christi agitur ac custoditur, ne fumigans, licet aliquando fidei linum exstinguatur, Matt. 12. *Resp. 1. Simili de lino fumiganti, hic verè alieno, in lib. 2. Respondimus. 2. Dum nobis* Crocius fallaciam patium *affricare tentat, ipse τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνει. Scriptura enim apertè homini renato vires ad utrunq; adscribit: scil. standi in fide, ex virtute spiritus, ipsum ducentis & sustentantis, quatenus ipsi obedit: & elabendi fide ex suis innatis viribus. Militat igitur* Major; Si homo renatus potest in fide per Spiritum Sanctum stare, poterit per infidelitatem excidere. Item; si in novitate spiritus studio bonæ conscientiæ, precibus, vigiliis, fide ac timore sancto, suique examine, accurato potest stare & apostasian vitare: relicto ductu spiritus, relictisque reliquis jam nominatis, poterit excidere. *Contraria enim sunt*

*contrariorum parium jura, quæ scriptura confirmat. Si tu non firmius argumentum ad infringendam* Majorem *afferes, quam ordinatum Dei fœdus, omnibus quidem fidelibus firmum, id servantibus, non autem irritantibus: operam & oleum perdes.*

Tertio ad Minorem *excipit*, eam insufficientem causarum apostasian avertentium continere enumerationem. Quod his causis, ex humani arbitrij flexibilitate, ut causa sua natura indeterminata & mutabili consideratis, Spiritus Sanctus sit accensendus. *Resp. 1. Meminerit* Crocius minorem *istas causas, de illo, qui per justitiam fidei justus est, recensere; eoq; Spiritus Sancti & fidei effecta, ex spiritu fluentia describere. 2. Si autem aliquis humano arbitrio, cum* Pelagianis & Bertio, *adscribere tantas vires conetur: nos sanè ab illo alieniſſimi sumus. 3. Interim Crocio etiam atq; etiam videndum est, ne sub auxilio Spiritus Sancti, (quem p. 249. & seqq.* libere quidem, *& constanter (h. est. immutabiliter & ex absoluto decreto)* & usque ad finem, propter voluntatem suam, promissione electis facta, determinatâ, NECESSARIO operari scribit) *homini jam renato omnes naturales vires arbitrij deroget, ita, ut nec Spiritui S. operanti, reniti & contrariari possit:* Quod Manichæum, & Stoicum foret.

*Ait p. 250. ibidem,* semen dici principium incorruptum, quod Deus ita firmum in animis ho-

hominum ferat; ut non possit emori, præsertim quia ipse foveat & riget illud: Unde, nascatur perseverantia, quam homo semper velit: *illud, inquam præter veritatem asserit. Nam ut Christus est panis vivificus & cibus vivificans, nec tamen actu fidei omnes vivificat, sed credentes, & cum fide admittentes spiritualem illum cibum: Ita verbum Dei est incorruptum* 1. ratione naturæ suæ, *qua divinum est, & nihil humani fermenti, quo corrumpatur, admixtum habet. Est enim ab incorrupto Deo.* 2. Ratione incorrupti effectus: *quem largitur, non quando torquetur à perversis ingenijs, ubi per accidens corruptũ profert effectum: Verùm quem per se largitur; hominem scilicet syncerè credentem.* 3. respectu voluntatis Dei, *cujus consilium de salvandis hominibus non corumpitur, sed idem manet. Quarta autem acceptio, qua Croeij est, evanida est: dici videlicet* incorruptibile, quod hominem id deserentem, à peccatis enormibus & ipsa quoque à fide defectione conservare velit. *Hinc etsi Johannes in sua Epist. 1 cap 3. v. 9. quidem dicit,* semen Dei in ipso manet; *scil.* sequenti Spiritum S. *& non carnem suam, tamen idem quoq; cap. 2. v. 24. ait:* Vos igitur, quod audistis ab initio, in vobis permaneat, si in vobis permanserit, quod ab initio audivistis & vos in patre & filio manebitis. v. 27. Unctio manet in vobis. Et sicut do-

cuit nos, manete in ea. c. 4. v. 12. Si diligamus nos invicem, Deus in nobis manet. *In non nullis, quibus enatum erat, non manet, sed rursus suffocatur Luc. 8. Matth. 13.*

*Pag. 151. notamus Crocij munificentiam, scribentis*, perseverantiam studio bonæ conscientiæ, cura & divinorum beneficiorum observatione, timore & tremore &c: conservari: quod supra negavit, & adhortationes non fieri, quod homo possit labi & lapsus avertatur, sed aliisde causis pugnavit: hic concedit; *sed ita*, ut fluat à gratia divina (*quod hactenus verùm: at non quod sequitur*) quæ amitti in solidum nequeat & omnipotentia (absoluta.)

*Observemus ibidem simile* Crocij *scribentis*: Neque ab homine renato (*causæ conservatrices perseverantiæ, quales in superiori syllogismo sunt expressæ*) in solidum & perpetuum, intermitti queunt, nisi quum animam nunquam posse esse otiosam Philosophi statuant, Spiritui Sancto vivificanti ocium tribuere, pium videatur. *Unde manat istud axioma: Ut anima in corpore nunquam otiosa est, sed semper agit: Sic spiritus, qui est quasi anima renatorum, & eos vivificat, nunquam in eis quiescit, sed per gratiæ suæ dona operatur. Quod verissimum est, modo gradus operationis discernantur: quorum respectu spiritus, tam in eysdem, quam diversis personis, nunc validius, nunc remis-*

remissius, dictas operationis divinæ causas operatur: & quatenus caro operaturum admittit. Nos inde ulterius inferimus. Ubi est spiritus, ibi instar animæ, operatur istas operationis causas. Atqui in Davide, Salomone, alijsq; tempore lapsus non est illas operatus: nec illi admiserunt operaturum. Ergo ibi non fuit. Aut; si operatus est, illi sua horrenda peccata non sunt operati, sed Spiritus Sanctus, Aut; ad minimum studium peccandi cum fide & spiritus Sancti inhabitatione consistit.

*Pag. 251. 252. negat* Crocius in *altero syllogismo* consequentiam, *additâ hac causa.* Sicut enim nemo mori possit ante tempus sibi divinitus statutum, interim tamen cibo & potu catere non possit: ita etiam, licet, qui credit, perseveret, tamen causas apostasian avertentes negligere non debeat. Deus enim (*pergit*) per certa media ordinariè ducit ad finem. *Resp. 1. Imperitè? Quod clarius videbis, hypothetica in categoricam mutata, ita:* Cui opus est studio conscientiæ, curæ, vigilijs, precibus, timore, fide, sollicito sui examine: is potest à justitia sua deficere. Remotis enim causis, removetur effectus. Atqui justo his est omnibus opus. Ergo. Contra: Quibus non est opus dictis causis ad suam perseverantiam: illi non possunt excidere gratia & justitia sua. *Si jam subsumeres*, justis non esse dictis

dictis causis opus, absurdè subsumeres. *Quare & simile* Crocij *inverto*, Cui est opus cibo, is potest mori: non potest absque illo vivere. *Vel ita*; Qui in vita per cibum vivit & se sustentat: ei denegato cibo est moriendum. *Posita enim vel dempta causa, ponitur, vel demitur effectus. Et contra sequitur certò*: Qui non potest mori, illi nec opus est cibus.

II. Neminem posse mori ante tempus divinitus sibi constitutum, *ambiguè asseritur*. Si enim Epicuri de grege porcis, (qui dicunt, fortuito sumus nati, fortuitò moriemur Sap. 2. v. 2.) *opponas, omninò approbamus*; *dicturi certum & non fortuitum, unicuiq; hominum, finem vitæ constituisse Deum. Nam dies ejus* חרוצים *sunt determinati, præcisi Jobi. 14. v. 5. Confer & Matth. 10. v. 30. Ps. 31. v. 16: adeoq; providentia divina firma stat*; *qua nec desinit operari Deus, Joh. 5. v. 17. nec ullum abjicit*. Si autem respicias stoicas poeticasque Parcarum Tabulas, & illos, qui omnia necessariò evenire putant; certum est, hominem sibi tempus vitæ aut *abrumpere* aut *prolongare posse*. Illud *probat Psaltes ps. 55. v. 24.* viri sanguinum non dimidiabunt dies suos. *Sic αὐτόχειρες longiorem vitam vivere, per naturam, potuissent: Item illi, qui in bellis, moriuntur* vel *alibi tolluntur*. Hoc, *quod Deus suis longævam promittat vitam, ad eamq; conservandam* medicinæ usum

sum commendet *Syrac. 38. v. 3. & mediorum usurpationem. Apostolus inquit Actor. 27. v. 31.* Nisi hi manserint in nave, vos salvari non potestis. *Alia argumenta nunc prætereo. Quare ut summatim complectar:* 1. alijs Deus finem constituit ita certum, ut ab hominibus non quivisset mutari. *Quorum ex numero sunt infantes isti, Sap. 4. v. 11. 12. Heb. 11. v. 5. 2. Etsi autem plenissimè metam & momentum mortis non absolutum, sed ex prævisione vitæ in mundo instituendæ prævidit, tamen omnibus, ex eadem immutabili & certâ divina præcognitione, certum prævidit. Proinde* alium finem *& metam homini intemperanti, ingrato rebus bellicis, facinoribus & temeritate victuro prævidit & constituit:* aliam *verò temperanter & cautè victuro:* aliam *pio,* aliam *impio:* aliam *patriarchis & longiorem:* breviorem *verò nobis.* Nullam *verò decrevisset, nisi homo peccasset. Unde fluit Deum* quibusdam *præfixisse metam, quam non alterat:* aliis *quoque suam absolutè consideratis, posuisset aliam, quam tamen* pio *ex gratia interdum prolongat, ut Ezechiæ Regi:* impiè viventi *decurtat, ut Nabali. Ideoque ob conditionem variat. Cum igitur finis suus cuique non sit absolutè necessarius, quamvis certus: possent scelerati, qui pereunt in impietate sua terminum vitæ mutare & non obedire; utpote quibus, ob præscientiam Dei indeque manans secundum ipsius sapientiam, judicium*

*cium, est finis certus præfinitus, sed non fatalis & absolutè necessarius; siquidem violento mortis genere non occumbere, sed naturali, quivissent.*

## Cap. IX.

## Demonstratio septima, sive argumenta alia secundum scripturas.

Si quis verè est justus, ita ut ipsi sint remissa peccata, is potest finaliter relabi & damnari: certè dogma de Perseverantia immutabiliter necessaria est falsum. Atqui prius est. Ergo & posterius. *Syllogismo ita structo evanescunt Crocianæ cavillæ. Quamvis verò & hujus syllogismi consequentiam foret negaturus, ut ex pagina 253. apparet, quod* Parabolæ *Matth. 18. v. 27.* propositæ scopus sit attendendus. 2. Nec ista parabola doceat, hominem verè justificatum, nunquam remittere. Nam quibus remissa sint peccata, ij accipiãt spiritum regenerationis, quo conserventur: *nihil tamen efficit. Repete quæ supra annotata sunt. Quemadmodum* & ad illam *Luc. 11. & Matt. 12. quam irrito conatu torquet adversarius p. 254. Nam ita argumentamur.* Omnis ex quo spiritualiter est ejectus Dæmon & per fidem: is est verè justificatus. Omnis ex quo spiritualiter & per fidem est ejectus Dæmon, potest sua securitate & negligentia relabi in statum priore deterio-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0568
DFG

teriorem. Ergo quida, ex quo spiritualiter & per fidem Dæmon fuit ejectus, potest relabi in conditionem priore deteriorem. Crocij *exceptionibus fuit supra satisfactum*: qui, *cum tunc dixerit, Satanam per legem fuisse quodammodo expulsum; hic a. non nisi de corporali ejectione accipiat, sibi diserte contradicit.*

*III.* Quod potest minui, potest etiam perdi penitus. Atqui fides potest minui. Ergo. *Limitat* Crocius p. 253. Majorem, nisi scil. à primâ causâ conservetur in perpetuo fluxu. Atqui custos Israel non dormiens Ps. 121. id faciet, ut unctio maneat 1. Joh. 2. *Resp.* Crocio *demonstrandū esse, quod Deus custos Israel ita sanctos defendat, ut, quum carnis ductum sequuntur, spiritum contristant, exacerbant, eig; contradicunt, ac verbum contemnunt; eos nihilominus tueri in bono velit. Quod cum non possit; tutius est nos Dei verbo, quam adversarij præconceptæ opinioni inhærere. 2 Unctio nos manebit, si nos in illa maneamus.* 1. Joh. 2. v. 28.

IV. Si justitia non deseritur, aut, fides aut sanctitas; nulli erunt apostatæ. At sunt. Ergo. *Regerit N. C. quod, qui deficiunt, ab externa professione, ordine, cœtu & amore justorum deficiant. Resp. Gerræ? Nam 1. ejusmodi homines non fuerunt verè justi. 2. Apostatæ omnes fuerunt ad minimum in tenera ætate conversi ac justi.*

V. Si

V. Si justitia non deseritur, nemo potest deleri de libro vitæ. Atque fieri potest, ut aliquis deleatur. Ergo. *Resp. Agnoscimus ipsi istud argumentum esse alienum & scripturæ contrarium. Nãq; Theologi sani fatentur omnes, Deum omnia, quæ fuerunt, quæq; futura sunt, per essentiam & immutabiliter prænoviſſe. Cum igitur scriptura Deo attribuat libros; & quidem non unum duntaxat, sed tres: non designat* notitiæ imperfectionem ratione Dei, *quasi is scripturâ, ad rerum memoriam conservandam, opus habeat:* Sed ratione hominum, *qui res memorabiles solent infigere libris.* Sic Deo. 1. ratione providentiæ *adscribitur* liber, *qui ab ipsa divina providentia, rerumque scientia & gubernatione non differt. Conf. Ps. 139. v. 16. Apoc. 5. v. 1.* Alter liber est judicij, *quo habet notitiam hominum eorumq; factorum omnium, in novissimo die in lucem proferendorum. De quo loquitur Dan. 7. v. 9.* Johannes *Apoc. 20. v. 12.* Ultimus *est* Liber vitæ, *de quo sermo est* Mosi *Exod. 32. v 32.* Davidi *Ps 69. v. 29.* Danieli *cap. 12. v. 1.* Christo *Luc. 10. v. 20.* Paulo *Phil. 4. vers. 3.* Johanni *Apoc. 20. vers. 20. c. 3. v. 5. c. 17. v. 8. c. 22. v. 19. c. 13. v. 8. Unusquisq; complectitur Dei omniscientiam, & præscientiam, sed cum certo suo objecto, determinatam.* Primus *eam quæ est regiminis & providentiæ universalis rerum omnium.* Secundus *rerum & hominum in*

*novissimo die judicandorum, cum approbatione aut rejectione.* Tertius *præscitos in Christo, in eos, ab æterno electos: Unde* Libet vitæ agni *appellatur, Apoc. 13. v. 8 quod Electi, qui secundum ordinem ad vitam sunt ingressuri, quem Deus in Christo ordinavit, ut ingrediantur) in eo prænogniti sunt: Hinc Ecclesia ipsum* Christum, agnum, illum librum vitæ *appellat.*

*Nuncquid possunt* ex isto libro deleri, *ut habet objectio* Bertij? *Nunquam. Nam locus Exod. 23. v. 32. variè explicatur. Simplex autem sensus videtur esse, verba* affirmativa pro negativis *poni, ut sententia sit:* Si populum deleturus es Domine: certè & me ex libro vitæ deleto. *Respondeat Dominus, Illum delebo, qui in me peccaverit, non acta scilicet pœnitentiâ, ante finem vitæ. Ubi verbum DELEBO, pro non inscribi in libro vitæ, accipiendum esset; cum liber sive Dei scientia tàm contingentium, quam immotè certorum, tam certa sit, ut non aberret, eos, nec scientiæ oblivio aut deletio de Deo affirmari queat.* Alij *relate accipiunt verba Dei, proter verba* Mosis, *ut sensus sit: Si quem deleturus essem ex libro vitæ, potius peccantem delerem populum. Sed prior explicatio videtur simplicior. Denig;* Crocius *p. 257. facit cum* Simlero *in comment. in Exod.* duplicem librum vitæ: alterum *vitæ æternæ,* alterum *temporaneæ.* Ex illo, *inquit,* deletur nemo: ex hoc plu-

rimi

rimi & quotquot moriuntur vel naturaliter vel civiliter. Quam sententiam nihil absurdi continere existimo. Alij alias quærunt explicationes, quas mitto.

Nec Ps. 69. v. 19. Apoc. 3. v. 16. c. ult. v. 19. deletio proprie sed Metaphoricè & ἀνθρωποπαθῶς accipitur. Quemadmodum enim inscriptio non nisi humano more, tribuitur Deo, sic & deletio. Cum enim isti homines viderentur inscripti esse & electi, exitus declaravit, non fuisse vere præcognitos, Matth. 7. v. 23. illi enim manent, Rom. 8. v. 29. His quidem regnum tribuitur, opinione sua & voluntate Dei antecedente, sed non manent. Sic 1. Cor. 8. v. 5. Multi dicuntur dij, sed non sunt. Mat. 8. 12. c. 9 12. Hinc scribit Augustinus in Ps. 69. Non sic accipere debemus, quod quenquam Deus scribat in libro vitæ, & postea deleat eum. Si homo dixit: quod scripsi, de titulo, ubi scriptum erat, Rex judæorum, Deus quenquam scribit & delet? Quomodo inde delentur, qui nunquam scripti sunt? Hoc dictum est secundum spem ipsorum, qui se ibi scriptos putabant. Quid est, deleantur de libro vitæ? ut ipsis constet non esse illos ibi.

VI. Justus potest agere secundum principia, quæ habet. Habet autem principia duo. Unum, boni, spiritum: alterum mali, carnem. Sequitur igitur, si secundum carnem vivat, eum ex-

extinguere operationem spiritus: quemadmodum, si secundum spiritum vivat, extinguit paulatim operationem carnis. *Regerit p. 288.* verè justum nunquam ita secundū carnē vivere & operari, ut universum spiritus semen eradicet. *Resp. Si hæc exceptio vera est, verum quoq; erit, idololatriam, homicidia, scortationes, adulteria, aliaq; peccata regnantia, non esse peccata regnantia, nec secundum carnem facta: adeoq; principium petis,* Croci. 2. *Noli quoq; distinguere cum* Hasliacis in Synodo Dordrechtana, inter opera secundum carnem & in carne vivere: & inter carnalia opera: quorum hæc, nō illa patrare electi possint. Illud *actum*, hoc *denotet habitum p. 805. 806 Resp. enim 1. scripturam distinctionem illam ignorare. Nam 1. Joh. 3.* qui occidit, (*quod opus est carnis*) non habet vitam æternam in se manentem. *Sic 1. Pet. 2. v. 11.* Abstinete à carnalibus concupiscentijs, quæ militant adversus animam. *Et Gal. 5. v. 16. 17. 19. 20. 21. 22.* concupiscentiæ carnis & opera carnis *pro æque magnō, imò uno peccato sumuntur. Nec tantum de concupiscentia carnis, sed de ipsis quoq; carnis operibus Apostolus pronunciat, quòd, qui illa faciant, non sint regni Dei hæreditatem adituri. 2. Imò toti decalogo est contraria, ac legem Dei evertit, Quod supra in libr. 1. examine capite 3. concl. 10. patefecimus. 3. Quod autem loca Rom. 8. v. 13. & 30.*

*attinet, cum nihil novi reponatur, nihil quod illis addemus.*

*Aut porro* Crocius: Licet regeneratio nullam physicam hominis præelectioni necessitatem inferat, sed libera maneat voluntas & soluta ad utrumlibet oppositorum: tamen ita Spiritus Sanctus in ea admonet, pulsat, reprehendit potenter & efficaciter, ut quando & quomodo ipse decrevit, homo liberè eligat, & per convenientia media tendat in gratiam & gloriam, à qua in æternum excidere nequeat. *Resp. Contradictionis implicatio est manifesta: voluntas manet libera: Et, Spiritus ita potenter & efficaciter pulsat, ut quando & quomodo ipse decrevit, homo liberè eligat. Esse enim liberum ad utrumq; oppositorum, & non posse nisi bonum velle, non cohærent. Quin ex causa voluntaria facit coactivam. Nam Calvinista electus ex impietate ita potenter & efficaciter trahitur (non ordinatâ Dei virtute, sed absoluta ex absoluta & meræ fluente electione,) ut non possit non ad gratiam & gloriam tendere. Necessitas igitur animadvertitur hic, si non est physica; eam Stoicam aut hyperphysicam appellare poteris. Qui tamen efficax & potens pulsus & tractio, quam aliena sit à veritate, alibi deximus.*

VII. Si non posset deseri justitia; necessarium esset justos semper perseverare, ac proinde nemo de justitia servanda deliberaret. Quis enim de-

deliberaret de impossibili & necessario. *Vide Aristot. 3. Ethic. Nic. c. 4. 5.*

*Frigida est exceptio* Crocij *p. 259. dicentis* Necessarium esse necessitate hypothetica promissionis divinæ, justum non penitus deficere: & sanctior res est perseverantia in justitia, quam de qua institui debeat deliberatio. Unde concludit, deliberare nos quidem de opere & exercitio hoc vel illo, non vero, an velimus justi manere. *Resp. 1. Si justitiæ & fidei ratio est ita certa & immota ex divina promissione, ut nemo illam amittere possit: certe omnis solicitudo, timor ac deliberatio a sanctis esset aliena, esset mala. De impossibili enim nemo timet, nec solicitus est. Atqui vero omnes sanctos timere & tremere; atq; ad perseverantiam moneri, viri accurato examine sui, ipse* Crocius *p. 251 concessit. 2. Falsum quoq; est, justum non deliberare, nec solicitum esse timore sancto de sua perseverantia, sed tantum de exercitijs justitiæ. Cur enim deliberat, solicitus est, ac cum timore & tremore operatur exercitia justitiæ; imo ipsam salutem, nisi ut de perseverantiæ certus sit? Propter quod enim unumquodq; tale est, id magis est tale. Tu vero,* Croci, *actionem ponis, at vero finem imprudenter negas.*

## Cap. X.

# Demonſtrationum univerſitas.

QUod ſcriprura diverſis formulis & apertis oraculis Spiritus Sancti expreſsit: quod eventus variè teſtatur: quod conditionem habet mali certò eventuri; cujus metu in officio continentur ſancti: ipſumq; cauſas ſuas haber, irritamenta & remedia; id ipſum in ſe eſt poſſibile. Apoſtaſian ſanctorum diverſis formulis & apertis oraculis Spiritus Sanctus in ſcriptura expreſsit &c: Ergo apoſtaſia ſanctorum eſt poſſibilis? Vel: quod idem valet; ſancti & juſti in hac vita poſſunt deficere. Propoſitio *per ſe clara eſt & certa.* Aſſumptionem *ſatis ſuperq; in demonſtrationibus antegreſſis probavimus.*

*Opinatur* Crocius p. 261. Concluſionem ſibi non adverſari, cum non quamvis defectionem in ſe ſuâque natura conſideratam neget impoſſibilem: ſed propter gratioſam Dei & conſtantem electionem ac promiſsionem, juſtos tamen nunquam penitus deſerere fidem. Sit igitur perſeverantia certa ex hypotheſi promiſsionis Dei. Reſponſ. quæſtio eſt de juſto, qui accepit ſpiritum, à quo regitur, an is deſerere Deum poſsit & à fide deficere: Non verò de illo, in ſeſe conſiderato, quomodo non defecit in ſeſe, ſed

sed in Adamo, nec justus est, ut à justitia deficere possit. *Quare 2. Contradictio replicatur:* justus ipsese, (quomodo non est justus) sed non, respectu promissionis & electionis, potest deficere: Et voluntatem Dei necessariò, non prorsus contingenter sequitur. *Quæ verba itidem p. 261. leguntur.*

*Regerit ibidem & p. 262.* si in alio sensu accipiatur conclusio, se majorem correcturum. *Resp. Exspectabimus, quid præstitutus sit promissor iste. Tentet sanè vires, quantum potest.*

*Tandem sic κατ' ἀνθυποφορὴν & contrariam illationem concludit.* Quod scriptura diversis formulis expressit, quod exemplis firmatur, varieq; eventus testatur, quod conditionem habet boni certò eventuri, quod promissionibus fulcitur, quibus sancti in optima spe de optimo Deo confirmantur, fore ut is, qui inchoavit bonum opus suum in nobis, etiam conservet ad beatum exitum: id non est contingens, sed necessarium. Atqui perseverantia sanctorum diversis scripturæ formulis exprimitur, exemplis firmatur &c. Ergo perseverantia sanctorum non est contingens, sed necessaria.

*Resp. ad* Minorem *N.C. vid. prædicatum necessariò ex subjecto eo promanare absq; limitatione.* Aliud *namq; est absoluta gratia, exempla, promissiones:* aliud *ordinata & conditionibus determi-*

*nata. Indeq; aliud est necessariò evenire posse; imò certò esse eventurum, si media & conditiones suscipiantur. Dona enim Spiritus Sancti, item perseverantia in fide aliaq; res spirituales non absolutè, aut ex absoluta electione & promissionibus, eveniunt; & necessariò quidem. Eadem tamen omnibus, qui credunt & perseverantibus in verbo Dei, immutabiliter & necessitate promissionis gratuitæ eveniunt.*

Ad Minorem *respondemus distinguendo, inter perseverantiam ipsam fidelium ordinatam & necessariam Calvinisticam.* Priori modo *eam largimur* Crocio. In posteriori *tota nostra Tractatio elidit.*

*Idcirco & falsum est* Crocij Theorema, *quod p. 263. ex falsa isthac demonstratione, ὃ τῶν ἀνλιχειμένων ἀνλδιαχ, id est*, ex oppositis adversarij, deducit. Si perseverantia sanctorum non est contingens, sed necessaria, sequitur eorum apostasian non esse possibilem. Atqui perseverantia sanctorum non est contingens, sed necessaria. Ergo sanctorum apostasia non est possibilis. *Nam si vel maxime*, Minor, *quæ principium petit, vera esset, tamen in* Majore *tempus vitæ exitus, a toto reliquo cursu foret discernendum. Illo enim semper electi stant, in cursu sæpe multi succumbunt: renati autem utroq; excidere possunt.*

Non

*Non quoq; sana, nec vera sunt ista* Crocij *verba, quæ p. 264. recenset:* Merito *inquiens*, abhorremus doctrinam, quæ nihilo certiorem salutis viam, imò multò incertiorem in Adamo secundo nobis facit aut ostendit, quam in primo fuerat. *Resp. enim 1. Bonum signum, ab eorum doctrinâ abhorrere, quos fratrum nomine salutare optat* Crocius! *Certè* quorum doctrinam abhorreo, illos, ut hæreticos, fugio. Qui enim hanc doctrinam non affert, eum nec in domum recipietis, nec ave ei dixeritis; *inquit Joh. in Epist. 2. v. 10. Nostram verò doctrinam* de Perseverantia Sanctorum, eorumquê apostasiæ possibilitate, abhorret Crocius. Quid inde sequitur? 2. *Multum adhuc differentiæ est inter certitudinem viæ salutis in Adamo, & ut nunc est. Nam* ipse *labens non habebat spem conversionis & gratiæ*, nos *habemus*: ipse *potuisset stare in gratia, ut angeli electi*; nos *quotidiè peccata tentant. Rursus*, ipse *poterat salutem relinquere, & deficiens reliquit*; nos *idem possumus.* Ipse *interne erat munitus, & externe promissionibus & comminationibus fulciebatur.* Nos *renati minus adhuc interne sumus muniti, cum habeamus principium nos seducens in nobis: cor & mentem corruptam: Nec denique externe tam fortiter sumus muniti. Satanas enim & mundus multum in nobis potest*, in illo *nihil. Nihilominus*

*tantum habemus præſidij, & abundanter quidem, ut poſſimus ſtare & perſeverare, Spiritui Sancto obtemperantes. Qui a. plura de hiſce cupit, Auguſtini librum de corrept. & Grat. cap. 12. conſulat.*

# FINIS LIBRI TERTII
## De perſeverantia ſanctorum Chriſtiana.



PER-

# PERSEVERANTIAE SANctorum Christianæ liber Quartus.

*In quo*

## Problema pŏsterius, an, quæ deseritur justitia, fuerit vera, examinatur & discutitur.

### CAP. I.

### Problema formatur & explicatur.

IN posteriori hoc problemate quatuor considerat Crocius: Primò, quî illud formetur 2. quo theoremate definiatur. 3. Quibus rationibus demonstretur. 4. Quæ inde consectaria, & ex oppositâ sententia, absurda fluant.

*Hactenus in* libro Tertio *demonstravimus*, justum ex fide, sive verè regenitum, & Spiritu Sancto donatum, sequi aliquando carnem, & concupiscentias suas, ac suam fidem & justitiam omnem deserere: *Sequitur nunc*, Utrum ista justitia & fides, quam renatus deserit labens, sit vera, salvifica, & Deo placens justitia & fides in Christum; An verò civilis, hypocritica aut historica?

*Per* justitiam *intelligimus eam, quæ per & propter Christi meritum, peccatori, ad justum de-*

*claudum, fide imputatur*; fide *inquam, ex quâ salvificè vivit justus. Unde & fides, quæ defertur*, non est virtus vel habitus infusus & qualitas, sed quâ Christum salvificè & fiducialiter apprehendimus & tenemus; quæq; ex spiritu regenerationis fluit. Illam *relinquimus*. Pontificijs, *hanc* agnoscimus salvificam.

*Videamus* ulterius *quomodo hic aberretur*. Tertio vera justitia est virtus (*quod Pontificium est*) hominis conversi & justificati à Deo in Jesu Christo, tribuens Deo & proximo debitam dilectionem, officiaque dilectionem consequentia. Ad quod exemplum posse quoque, ait, veram fidem & veram charitatem definiri. *At verò 1. justitia non est virtus, nec ut virtus justificat. 2. dilectio Dei & proximi non pertinet ad articulum justificationis, sed novæ obedientiæ.* Summa: *Novam obedientiam pro ipsa justitia nostra ponit: quum tamen Christus mediator, cum sanctissima sua & innocentissima morte, sit justitia nostra: quo fide concepta, quæ fiducia est certa in Christo, justificamur Rom. 4. v. 23. c. 5. v. 18. Cap. 3. v. 22. 24. Hactenus habemus* Crocium ὁμώψηφον, *scribentem p. 267.* Intelligitur ea, quâ per imputationem meriti & satisfactionis Christi pro justis à Deo habemur, omnibus peccatis nostris remissis: qui actus Dei nobis persuadetur fide salvifica, verbo & sacramentis edocta:

spi-

Spiritu à Sancto ductâ & stabilita. *Habemus, inquam, consentientem, nisi Verbum, sacramenta ac Spiritum Sanctum divellit in ministerio & conversione hominis.*

*Quæ autem sequuntur non amplius servare τὸν τῶν sanorum verborum videntur:* Deinde, *inquiens p. 267.* quum in hunc censum venit justitia, quâ per inhæsionem justi sumus ac sancti, non intelligitur ea, quæ solo actu atq; exercitio circumscribitur, pro ut eam hîc definitam arguit vox, tribuens: sed quæ habitus instar purissimi vestit corda nostra, actionumque justarum radix est ac scaturigo. Eum in modum de fide & Charitate judicamus, quæ purificant corda electorum, non solum ut actus, sed etiam ut habitus. *Hactenus ille, qui, nisi ita sentiamus, arbitratur in* morientibus, dormientibus, & illis, qui passionibus perturbati sunt animo, non haberi fidem. *Resp. 1. Scriptura justitiam non nisi in imputatione meriti Christi consistere asseverat nullúq; ipsius habitum justificantē, in nobis agnoscit. 2 Salvifica, licet etiam absolutè, ut habitus & assensus est, considerari possit, isto tamen modo non justificat: Sed relatè tantum. Quæ ratione semper respicit Christum Mediatorem: & hinc fides dicitur in Christum Joh. 3. 16. erga Christum Actor. 26 18. in sanguine Christi, Rom. 3 25. Hæc relatio tam in dormiente, (quod habitus fidei*

non

non ceſſat, ſicut nec in tacente Muſico muſicæ ſcientia) quā vigilante, qui exercetur credendo, locum habet, quorum uterq; Chriſtum in ſeſe habitantem retinet. Diſtinguimus tamen inter actum explicitum & implicitum. Illo ſeſe fides non ſemper exſerit, licet Chriſtus nihilominus in cordibus ejusmodi fidelis habitet, Eph. 3. 17. & quid quid facit, ex fide fluat ac ſit ſpiritus fructus Gal 5. v. 22. Qui ſunt ejus ſpirituales motus, quos ſentimus Joh. 3. v. 8. Valetq; illud Eccleſiæ reſpectu uniuscujusq; credentis Cantic. 5. 2. Ego dormio & cor meum vigilat. Manebit ergo Chriſtus in corde illius, niſi petulanter peccatis templum illud Dei deſtruatur 1. Cor. 3 v. 17. Nam tamdiu manet donec non per peccata Spiritus S. abigitur & excutitur. Fides igitur ſalvifica eſt, quæ Chriſtum apprehendit, non aſſenſu, non habitu, ſed fiducia firma in illo recubans: quæ in dormientibus, alijsq; fidelibus, caſu aut mente perturbatis, manet: Atq; ex iſto fidei igne & ardore precum, ac commendatione ſui, Deo facta, quam renatus vigilans & ſanus exercuit, homo conſervatur: quippe Spiritus S. eum facit apud Deum intercedere ſuſpirijs inenarrabilibus, quæ (ut Claramontanus, referente Beza, habet) eloqui non poſſumus, ac movet nos, corq; pultat Joh. 3. v. 8. Neq; enim habitat in nobis otioſus, ſed negotioſus & efficaciter operans; ſiquidem nulla divina præſentia eſt otioſa. Quare licet non opus ſit, ut, quod credimus cer-

*certò, id ipsum semper & omnibus momentis recordemur, inde tamen fidei salvificæ sua fiducialis apprehensio non est subtrahenda. 2. Contra verò certum est, nullam qualitatem infusam & habitum justificare. Vide quæ nostrates de causa formali justificationis contra Pontificios disputant. 3. Æquè absurdum est, infusam fidem & charitatem purificare. Hac enim ratione id, quod est sanguinis & fidei salvificæ, Christum recipientis, adscribitur nostris operibus ac fidei justitiæq; fictæ. Itaq;* Crocius *hic non tantũ Crasse Papizat, sed sibi etiã contradicit, justitiam Christi, nos justificantis, nõ tantum in imputatione meriti Christi, sed etiam in habitu, constituens. Quibus accedit, quod purificationem cordium nostrorum,* fidei & charitati tribuit.

## Cap. II.

### An justitia, quæ deseritur, sit simulata?

PRoponit Crocius Bertio *p. 269. verba sua quibus scribit:* Quia vident *(Calviniani)* quorũdam defectionem, triplicem commenti sunt exceptionem. Prima est, fidem illorum fuisse tantum simulatam, proinde illos non justos fuisse, sed hypocritas. Secunda, quum scriptura sub hac conditione multa sanctis promittat, ut ne fidem, justitiam, sanctitatem deserant, ex talibus hypotheticis dicunt nihil effici posse categoricè. Tertia, fidem quorundam esse dun-

ta-

duntaxat temporalem: hanc verò non esse veram fidem.

*Hinc quæritur* 1. Utrum fides renatorum quorundam duntaxat sit simulata? Negat Bertius, *inquiens*, aliud longè est deserere justitiam, aliud tectam & latentem hypocrisin. *Reponit* Crocius *pag. 270.* justitiâ quæ deseritur, non erat hypocrisis, sed cum hypocrisi. *Nam inquit*, justitia externæ disciplinæ, quantum ad inceros & hypocritas, est eadem substantiâ actionis, at non est ex eodem fonte. Idcirco externa sanctimonia, sive verè fidelis, sive non fidelis, eadem apud homines testimonia meretur. Alia ratio est apud Deum.

Resp. 1. justitia, quæ deseritur, fuit *aut* Evangelica, *aut* legalis, *aut* denique externæ disciplinæ & hypocritica. *Non fuit legalis; cum servari & vivere ex lege post lapsum nemo quiverit.* Nō externæ disciplinæ & hypocritica: *Siquidē multi ad tempus verè credentes deficiunt Ezech. 18. Luc. 8. 1. Pet. 1. v. 19. 2. Pet. 2. v. 18. 20. 21. Et locorum reliquorum nullus est, quin fidem includat veram. Deinde non deserunt justitiam veram, sed manifestant improbitatem latentem.* Ergo fuit Evangelica, *& in merito Christi fide imputato, consistit.*

*Regerit Crocius p. 271.* hypocritam deserere justitiam, non quidem animo impiam, quam

nunqs

nunq. habuit, sed externam, more, opere, ore. *Resp. justitia* Pharisaica *non erat justitia vera*, *sed simulativo justitia; cum pessimi peccatores contra omnia fere præcepta decernantur, Mat. 23. v. 2. 3. 4. & seqq. Luc. 20. v. 19. 20. 46.*

*Instant alij ad testimonium Ezech. 18.* justum deserere justitiam suam hypocriticam, seipsumque patefacere. *Resp. justus Ezech. 18. aversus ab hypocrisi sua 1. non sit impius. 2 non morietur. 3. ipsa hypocrisis est pessima impietas. Ergo ab ea discedens non culpatur 4. Omnia ipsius juste facta non memorabuntur; est ne id tantundem atq. hypocritica non memorabuntur?*

*Male repetit* Crocius suam consuetam cramben, quod Prophera contra externa legis flagitia concionetur, nec de exactissima pietate, sed communi disputet, ut appareat *ex v. 15. 16. 17. 18.* Resp. 1. Si Crocius *in formam redigat argumentum, falsitatem statim apparituram.* Ubi Ezechiel concionatur contra externa legis flagitia: ibi non concionatur contra apostasiam à justitia veri. *Item*: In quo reprehendit peccata externa corporis contra legem, is non deflexit à pietate & justitiâ Evangelij, sed à justitia cõmuni. Hic vero ita concionatur, & in Judæis reprehendit. Ergo &c. *Nam & Davidis, Salomonis, aliorumq. peccata, & à justitia sua Evangelij deflectiones reprehenduntur; quos tamen fuisse*

esse hypocritas, aut à justitia communi deflexisse, minimè largieris. Sic in novissimo judicio Christus, ex vitæ operibus externis malis, condemnabit & cõvincet impios incredulitatis; nõ justitiæ externæ sed internæ violatæ. 2. Ne multa dicas de externa justitia, sive Ecclesiastica sit, sive civilis & Ethica: verissimũ est, quod utrag; coram judicio & tribunali Dei sit hypocritica: ut ut Deus externam obedientiam externo aliquo præmio compenset, ceu Achabo, Philistæis, Nebucadnezari, Romanis, aliisq; gentibus; propterq; externam disciplinam, utcunq; & in foro soli placeant illi. Aliam enim justitiam, quæ non vera & salvifica coram Deo, aut hypocritica sit, scriptura ignorat. Externam ubique in gente suâ exagitat & reprehendit Dominus, ut in Pharisæis Matth. 23. Ps. 50. v. 7. usq; ad finem: odit Apoc. 3. v. 15 ob eamq; excisionem minatus suo est populo, & intulit Zach. 7. v. 4. & seqq. usq; ad finem. Quin contra: quoties Deus peccata populi sui crassa reprehendit, semper transgressionem, non à lege justitiæ externa, qualis non est; sed à lege morali factam, fideiq; veræ desertionem arguit: unde eum semper ex fœdere legali arguit, sese q; ad Abrahamiticum, quod Christum includit, in circumcisione susceptum, convertantur, hortatur. Desinat igitur justitiam Aristotelis in externa quidem vita laudatam, hîc verò idololatricum cultũ involventem, cum justitia bo-

*hominis fide justi conferre, forumq; philosophicum cum Theologico miscere, & aperte τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν.*

## CAP. III.

## An propositio cõditionalis sit mutanda in categoricam?

CAlviniani *ubi suæ causæ jugulum peti cernunt, pervertunt, torquent, negant omnia: ne cerebri sui figmenta deserere & abjicere cogantur. Quod evidenti exemplo, etiam in sana demonstrarunt Philosophia. Cum enim comminationes & promissiones divinæ, ex magna parte sint hypotheticæ*; Conditioni propositionis nihil inesse roboris (*Quod suo quidem modo verum est*) *volunt; eoq; illarum virtutem & arguendi vim, qua apostasian a fide salvifica esse possibilẽ docẽt, etiã exemplis paribus argutam, pernegant, tollunt. Quod aperte veritati repugnat. Nam 1. (E. G.) Propositio*; Si justus deseruerit justitiam suam, morietur; fiet categorica hoc modo: Omnis justus deserens justitiam suam morietur. *Quæ categorica habet limitationem & restrictionem* subjecti: Et quis nescit (*scribit Bertius verè*) omnem hypotheticam, quæ promissionem aut comminationem habet, cum conditione alicujus rei præstandæ, licet nihil determinatè sta-

tuat de persona aliqua singulari inesse: tamen semper ponere potentiam: II. Si hypothetica monitoria non potest facilè mutari in categoricam: omnis adhortatio est vana: ut, si hæc propositio, Si carnis ductum sequemini, morietmini: est impossibilis respectu renatorum; etiam impossibilis erit conversa. Omnis qui sequitur carnem, morietur. Atqui David, Salomo, Saul, Simon Magus, renati, secuti sunt carnis ductum. Ergo & mortui fuissent, non acta pœnitentia, & nonnulli mortui sunt. *III.* Nulla etiam reductio syllogismi connexi poterit fieri, nisi hypotheticis possibilitas perfectionis plenioris; imò virtus egregia accesserit. IV. Acontrario: Omne axioma hypotheticum connexum impossibile æquipollet axiomati simplici negato. Atqui comminationes & adhortationes hypotheticæ perseverandi, apostasiæq; cavendæ non sunt simpliciter negatæ. *Quod supra pluribus est ostensum.* Ergo non sunt axiomata connexa impossibilia V. *Rursus à contrarijs paribus.* Si hæc propositio, Si justus carnis ductum sequitur, morietur: est hypothetica nihil ineſſe ponens: etiam illa erit infirma, nihilque continebit roboris: si Spiritu facta corporis justus mortificat, vivet. Atqui hoc utique absurdum censebis. Ergo & illud talé censeas necesse est. VI. Si nulla hypothetica ponit aliquid in esse

sal-

ſaltem in ſpecie, ſi non in individuis: nulla amplius erit in rebus contingentia, nec rerum firma cohærentia. Quod abſurdum. *VII. Omnis conditio timoris & cultus divini pertinet ad primam Decalogi tabulam: qui cultus violatus ex eadem arguitur. Ergo poſt lapſum homo renatus ope ſpiritus Sancti eum inchoative præſtare* per gratiam *poteſt: aut* per naturam *violare. Nihil enim impoſſibile Deus homini præcipit. Quorumcunq; igitur Deus eſt miſertus, concluſorum ſub peccato: illi aut* per gratiam *converti & ſtare: aut* per naturam & voluntatem *deflectere & perire poſſunt. Alia argumenta paſſim ſunt allata, quæ nunc prætereo.*

*Nec præſidium firmum, Crocio iſte canon logicus præbet. p. 275. nobis objectus.* Prædicatum ſeu adjectum contradictorium nulla limitatione ſubjecto conciliatur. Hîc autem ſit ſubjectū: fide juſtificatus: prædicatum, mors, id eſt, damnatio. Prædicatum involvat ſubjecti contra dictionem, cum Deus, quemcunque juſtificat, eundem & glorificet. *Nam prius* Crocio *erat probandum, fidei juſtitiam eſſe tam inſeparabile adjunctum, quod ab homine ſeparari nequeat renato.* Vel quod idem *eſt; Fide juſtificatum non poſſe deſerere juſtitiam ſuam fidei & morte æternæ mori. Teſtimonium* Crocij *eſt alienum, quod doceat juſtitiam manſuram juſtos ſecundum prædeſtinem*

*nem Dei, non verò juſtos ſecundum præſentem fidei juſtitiam.*

Inſtat *deinde p. 276* : Limitata, *ajens*, hæc propoſitio: juſtus deſerens juſtitiam ſuam, morietur, æquipollet hypotheticæ, ſi tolerari debeat, ita ut nec ipſa aliquid ponat, ſed ſolum ſuſpendat ſententiam: aut tolerari non poteſt, quoniam falſam hypotheſin ſtatuit, quod nempe juſtus juſtitiam deſerat. *Reſp. Quæ hæc impietas! Propoſitio, juſtus deſerens juſtitiam, morietur; Nihil ponit? Item, æquipollet hypotheticæ, quæ nihil ponit? Si ponit tolerari non poteſt? Quare non, Croci? Iſtis ſanè hominibus non eſt veritatis ſtudium cordi, ſed tantùm ſuam* Ἰσην φυλάττειν *& præconceptas opiniones tueri, nihil penſi habentes, ſive ſcriptura & Philoſophia ſalva maneat ſive corrumpatur. Nos nihilominus veritatẽ defendemus frendẽtibus licet & iraſcentibus ejus adverſarijs. Illuſtremus a. rem exemplo. Exodi c. 23. v. 22. dicit Dominus:* ſi audiendo audiveris vocem ejus (*angeli, qui ipſe filius Dei erat*) & feceris quæcunque dixero, tum odio habebo illos, quite oderunt & affligam affligentes te. Quod hypotheticum axioma *facilè tranſit in categoricum hoc*: Quicunque audiendo audiverit vocem filij Dei, illius hoſtes odio habebo. *Quod ſanè Iſraëlitis erat poßibile adjuvante ſpiritu Numquid igitur obediverunt? Nibil minus. Nam la-*

*pſus*

*psius populi describitur Exod. 32. Num. 13. 14. 16. alibi.* Sic dicit Paulus, Si secundum carnem vixeritis, moriemini, congruit illi, Scortatores, adulteri, avari, homicidæ &c: non hæreditabunt regnum Dei. *Confer. Galat. 5. v. 16. 17. 19. 20. 21. 22. Ergone nullus renatorum ista opera perpetrat? nullus secundum carnem vivit? utinam! Et cur hic tantoperè repugnant, hypotheticam abire in categoricam, quod alibi ambabus largiuntur ulnis?*

*Instat 3.* Si concederet hypotheticam, promissione vel commination munitam, facilè abire in categoricam, nihil nos juvare. Conditio enim tantum naturalem deficiendi potentiam nobis det. 2. Quid Deus absoluto jure possit permittere, non quid velit. Resp. Notamus 1. Crocij *contradictionem*: conditionalis & hypothetica nihil ponit inesse, ubi Deus promisit se justos servaturum: Et hypothetica aliquid ponit, ubi naturalis hominis infirmitas declaranda est. *Quare, Croci, inquam, istbic habet vires suas; hic non? causam rogatus non habes nisi opinionem. Nam promissiones ejusmodi necessariæ perseverantiæ nondum produxisti. 2. Distinctioni isti tuæ, in capitis præced. fine, obicem posuimus, & hic ejus vim nullam esse ostendimus. 3. Non est quæstio, quid homo possit vel non possit, sed quid spiritus de illo pronunciet, & quî ma-*

*malum & exitium fugere, & vitam consequi possit. Non sis tu illo sapientior.* Ille *ex comminationibus non tantùm naturæ impossibilitatem arguit, verùm insuper gratiam & promissionum beneficia manere hominem non necessario & absolutè, sed ordinatè; si scil. Deum sequatur, non si deserat; imò, arguit, quod renatus vel deserere vel sequi Deum possit.*

## CAP. IV.

### An fides temporaria sit vera fides?

CRocius p. 277. non negamus, ait, fidem temporariam esse veram fidem, sed salvificam eam esse id verò pernegamus. Veram enim fidem distinguit in salvificam, historicam, temporariam, & miraculosam. *Describit autem* salvificam à notitia, assensu, fiducia in verbo & promissionibus Dei; item ab effectibus, adjunctis totaque adeò hominis nova obedientia. *Quod est confundere doctrinam de fide & bonis operibus; sive articulum justificationis & renovationis permiscere.* Deinde *si hæc requisita omnia ad fidelem pertinent, sine quibus fides non est salvifica* (ut Summæ curæ habendum sit, ne eum tam benevolum & benignum patrem offendamus) *quid fiet peccatoribus enormiter lapsis? Dividi? Salomoni? alijs. Proinde sic eã. describit Fides* tēporaria, *inquiens Crocius p. 279.* præter scientiam Evangelij atq; assensum

sum & approbationem ejus, etiam comprehendit confessionem, sed sine sincero ejus amore, ut Act. 8. v. 23. & nonnunquam progreditur ad res divinas & lætas quæ in Evangelio commemorantur, ut (at) sine vera pace conscientiæ, quum cor non sit conversum, atq; ita nec promissiones Evangelij verè applicatæ. Hæc fides tandem deficit.

*Atqui verò ista definitio, in eo negocio, de quo quæstio vertitur, accepta, petit disertè principiũ. Itaq; velit* Crocius *inter fidem hypocriticam & temporariam justificatorum distinguere.* Illa, *quam nobis* Crocius *in scenam producit*, est hypocritica, non fides temporaria; *siquidem 1. hypocritæ, præter notitiam & assensum Evangelij, illud etiam confitentur, & externè legi qualitercunq; obediunt.* 2. Probo à sententia ipsius Philippi, *loco ab ipso Crocio supra laudato, p. 210. Scribit in LL. CC. edit. 1522 loco de justif. Fidelis videtur fuisse Saul, sed hypocrisin declarat eventus. Et Sohnij qui scribit p. 794; Fides hypocritica est, quã quis in externa Ecclesia doctrinam Evangelij agnoscit & profitetur, & propagatam atq; promotam cupit. Quam dividit postea, ajens: Fides hypocritica duplex est: Vel sine gaudio & lætitia cordis, vel cum aliquo gaudio & lætitia. Imo & ipsius* Crocij *p. 286. scribentis:* Omnia autem hæc (ut esse Deum 2. scripturam esse veram 3.

Sermonem Dei habere pro certissimo oraculo 4. præcepta Dei non prorsus negligere. 5. minis & promissionibus Dei utcunque terreri 6. Christum vitæ & salutis auctorem agnoscere 7. & libentes ipsi nomē dare. 8. credere Deū sibi esse propitium 9. sensu divinæ gratiæ affici) conveniunt temporarijs & hypocritis quibusdam hominibus. III. A consensu scripturæ, *quæ ejusmodi fidem appellat hypocriticam*, Luc. 12. v. 1. Cavete à fermento Pharisæorum (*in observatione legis externa consistente*) quod est hypocrisis. Matth. 7. v 5. Hypocrita, eijce primum trabem ex oculo tuo. *Sic Matth. 23. ista appellatio in hac significatione sæpe repetitur. Ille Matth. 7. verè se proximum reprehendere, & ejus vitia corrigere putabat: hi vero sanctè Dei pietatem, & cultum simulabant. IV.* A descriptione hypocriseos, *quæ duplex est*, Flatio de Clave *scripturæ authore*. Alij enim crassi sunt simulatores justitiæ *& fidei, cum tamen maneant irrisores & Epicuri &c.* Alij occultiores, *quos, Deus dignovit, qui suam hypocrysin vix ipsimet animadvertere possunt. Nec lucrum inde aut gloriolam quærunt, sed ipsam æternam felicitatem. Talis fuit Pharisæus ille secum orans Luc. 18 Et Paulus ante sui conversionem. Hujusmodi, inquit idem Flacius*, sunt multi etiam in verâ Ecclesia, qui non verè semetipsos cognoscentes, aut sui veteris Adami malitiam cer-

cernentes, putant se verè & ex animo agnoscere, & sincere colere Deum. *Eadem est* Polani *sententia in Syntagmate & c. 18. & 33. Ezechielis & aliorum.*

*Nec juvat* Grocium *Lucas in Actis 8. v. 13. qui locus cum satis sit vindicatus lib. 3. Demonst. 3. hîc tantum notamus, quod eadem Simoni cum Samaritanis adscribatur fides; vel verba* (καὶ αὐτὸς, ipse etiam credidit) *innuere; quibus versus iste cum præcedenti connectitur. Nec hypocritica & nuda tantum professio fuit.* Qui enim præter admirationem divinorum donorum & baptismi susceptionem, aliam habet fidem, quæ non sit miraculosa, nec nudus assensus tantum; illa est salvifica. *Quam postmodum turpiter impugnavit, abjecit & persecutus est.*

De *Juda*, vide supra.

*Pag. 281. cum* Bertius scripsisset: Enim verò ad essentiam rei non facit duratio. Visus tam is est, qui unum annum duntaxat durat, quam qui vigenti. Et sive amittatur visus post annos vigenti, sive post annum unum, amissio visus vocabitur cæcitas, verus enim visus amittitur. Eadem quoque fidei ratio est. At inquit Crocius, ad rerum aliquarum essentiam facit duratio, quæ est vel temporaria vel æterna. *Resp. Ens est vel quando & includit durationem, quod*

*aut sine tempore, aut duratione saltem, definiri nequit: vel nulla duratione determinatum, quod citra respectum hunc consideratur.* Illius *quidem essentia durationem includit: ut (E G.) pœnæ damnatorum dicuntur æternæ,* tum *quod infinitæ,* tum *in æternum non cessaturæ prænoscuntur.* Imò: *in ipsa damnatione & abjectione à facie Dei formale illius pœnæ consistit: cui æternitas, ut adjunctum inseparabile, pondus & magnitudinem adjungens, illius essentiam in immensum cumulat.* Aliis *rebus, quæ absq; temporis ratione considerantur, nulla unquam duratio dat esse formale: siquidem* nullum adjunctum est res ipsa aut ejus forma. Duratio autem est rei adjunctum. Ergo non est ejus forma. Deinde: quod in definitione tempus non includit, de illius essentia nec tempus, nec duratio est. Atqui nulla fides in definitione, tempus includit. *Quod vel definitiones Crocianæ ipsæ nobis attestantur.* Ergo nec tempus est de illius essentia.

*Non igitur toleraret acutus* Philosophus *hæc* Crocij *verba p. 282. inquientis:* Æternitas secundum quid dicta facit ad essentiam angelorum, animarum rationalium & quorundam Dei charismatum, quorum essentiæ omninò ex sancto Dei decreto, ac hostiliter repugnat desinere & non esse. *Nam desinere & non esse, ipsis quidem repugnat, non verò rei definitionem ingreditur*

ditur duratio. Quæro igitur ex ipso Crocio: num ejus anima non sit jam rationalis, etiamsi (quod absit statuamus) desineret? Porro: duratio spirituum omnium & charismatum non constituit illorũ essentiam: Sed potius bonitas ordinatioq; divina creationis facit spiritus immortales & durabiles; & charísmata quædam; non omnia. Quare adjuncta rerum non pro causis venditanda, sed accuratè ab illis distinguenda sunt. Deniq;, quam essentiam à duratione ais dari? Durationemnè & repugnantiam non amplius in essentia manendi? Atqui si ista retexas, dicendum erit, durationem dare durationem, & accidens idem esse, continuatum accidens. Absurdum.

Igitur simile Crocianum p. 282. allatum claudicat, ubi scribit: Sicut ergo anima rationalis non est, quæ non eadem sit immortalis. Ita fides salvifica non est, quæ deficit, quæ exstinguitur. Nam præter ea, quæ dicta sunt, quod anima rationalis non exstinguatur, ex beneficio creationis habet: fidem salvificam posse deficere & exstingui, jam ostensum est. De illius perpetuitate certiores nos facit expressum Dei verbum, de hac autem tacet. Illius immortalitas ad classem adjunctorum, non formæ spectat: sic & fidei duratio.

Instat: non est eadem ratio visus & fidei. Ille dependet à natura mutabili; hæc a gratia immutabili. R. Nullum simile extra suum tertium.

*in quo fit comparatio, est extendendum. Proinde cum* tertium *hujus similitudinis in eo duntaxat situm sit; quemadmodum duratio temporis & annorum non est de essentia visus; Sic nec duratio de essentia fidei: Sanè fidei temporaneæ non erit sua salvifica virtus subtrahenda.*

*Pag. 283. 284. 285. 286. de illis inter* Crocium & Bertium *differitur, quæ sint fidei salvificæ & temporaneæ* conditiones, *quæ nos non tangunt, qui ultrò concedimus, posse hypocritas (quos* Crocius *temporarios vocat) ista credere: 1.* esse Deum. *2.* scripturam esse veram &c.

*Pag. 287.* ait Crocius, regenerationem versari in duobus, nempe in illuminatione intellectus per sapientiam, & in calefactione voluntatis per boni amorem. Quum autem hæc in nonnullis etiam esse videantur, qui tamen non sunt regenerati, distinguenda sint tamē lumē & calor ille spiritualis, qui revera penetret fundum cordis, ab ijs, quæ ejus crepidinem duntaxat tangant, ac citò evanescant. *Resp. 1. Vox* regenerationis *est ambigua. Plerumq; & proprie de illis sumitur, qui in remissione peccatorum justificati jam sunt, quiq; per baptismum Johan. 3. v. 5. Eph. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. & verbum 1. Pet. 1. v. 23.* regeniti. *Et licet justificatio & regeneratio sint simul tempore, tamen utriusq; proprietates accuratè discernendæ sunt. Itaq; 2. cum mens & voluntas illustratur, &*

*per*

*per Spiritum Sanctum mundatur ac regeneratur: non ex parte homo regeneratur, sed totus; ut planè absurdum sit dicere, hypocritas in crepidine cordis illustrari & regenerari; attribuere parti, quod est totius, infidelibus, quod est credentium.* Qui enim credit regeneratur, simulac credere verè & salvificè, incipit; & quidem totus regeneratur. *Regeneratio enim in momento absolvitur: at renovatio per totam vitam continuatur, & in aterna demum completur.*

De testimonio Heb. 6. v. 4. & seq. actum est suo loco.

*Illud p. 288. pratereundum non est,* eum scil. propriè esse fidelem, qui usque ad finem stat promissis, & pacta servat: *In quo petit principium. Nec Crocij institutum loca scripturæ adscripta probant; ceu Primus Matth. 25. v. 23. Nam servus (qui perhibetur fidelis, quoniam fidem ex operibus vocationis fortiter demonstravit) in fidelitate perseverans, verè fidelis fuit. At* non contra *omnes qui fideles sunt in fide, ad fidem usq; perseverant, sed ab ea multi delabuntur. Itaq; omnis, qui perseverat, fuit fidelis: Sed non contra.*

Alter *locus est 1. Cor. 1. v. 9.* per quem vocati estis in communionem filij ipsius. *Resp. Non docet Apostolus omnes credentes ad finem usq; perseverare, cum* vel *in Corinthiaca Ecclesia nonnullis de-*

*defeciſſent, & circà fidem aberraſſent: Verùm commemorat Dei erga Corinthios dona & beneficia, quos conſolatur ut perſeverent; Deum n. ex ſua parte, qui eos vocavit, non eſſe deſerturum illos.*

Tertius *Heb. 2. v. 17. Aſt ibi nihil de fide & fidelibus.* Quartus ibidem *Cap. 3. v. 6.* Cujus domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriationem ſpei, uſque ad finem firmam tenuerimus. *Reſp.* Deus *Davidi domum in æternum ſtabilem promiſit 2. Sam. 7. Luc. 1. Pſ. 89. Cujus initium hîc cepit, & in altera vita conſummabitur. Apoſtolus igitur hortans Judæos, ad requiem æternam conſequendam, de iſta domo & requie* ratione complementi & perfectionis *ſuæ loquitur, non negans, qui deficiunt, fuiſſe converſos, & verè in illa domo.*

Quintus *Roman 4. v. 19. Reſp. commendat Apoſtolus fiduciam & πληροφορίαν fidei Abrahami, quod non tantum fidem apprehenderit, verum & conſummatus ſit. Agit igitur de fide in ſummis periculis & tentationibus roborata: juſtos autem à fide poſſe deficere non inficiatur, ſed Cap. 8. & 11. aſſeverat.*

## Cap. V.

*PRoducitur in hoc capite* prima Demonſtratio pro veritate ſalvificâ fidei temporariæ: *Poſſemus ſanè totam hanc quæſtionis tractationem omit-*

*omittere, cum in singulis testimonijs superioris libri, perspicuè & firmiter ostenderimus, accipi in illis veram fidem. Ne quid tamen desit, hic breviter argumenta nostra ad institutum accommodabimus. Quæritur ergo.*

## An justitia & fides, quæ deseritur, sit vera justitia ac fides?

*Probamus* ex Demonstratione superioris libri primâ 1. Omnis enim fides, quâ, justus ex fide vivens, desertâ, moritur & in qua impius conversus non morietur, sed vivet in æternum: illa est vera & salvifica justitia. Quæ cum omnis à nonnullis amittatur & deseratur; vera & salvifica fides ab illis amittitur & deseritur.

II. Quicunque amiserunt spiritum precationis. 2. bene cucurrerunt. 3. habuerunt spiritum Sanctum missum in corda sua. 4. steterunt in libertate, quam illis Christus credentibus acquisivit. 5. tursus tamen ab ea desciscentes jugo servitutis subjecti sunt: illi fidem salvificam amiserunt. Atqui Galatæ &c. Ergo fidem salvificam amiserunt.

III. Omnes renati habent veram fidem. At quidam renati induunt cor malum & infidele, deficiuntque à Deo vivente. Heb. 3. v. 12. Ergo quidam renati habent cor malum & infidele, deficiuntq; à Deo vivente.

Qui

IV. Qui fiunt sal insipidum ex sapido; ij à salvifica deficiunt fide. Atqui non nulli renati id fiunt. Marc. 9. v. 50. Luc. 14. v. 34.

V. Omnes filij Dei desertores fuerunt in Deo & à salvifica defecerunt fide. Atqui pleriq; Judæi tempore Esaiæ, Cap. 1. erant filij desertores &c. Ergo.

VI. Qui possunt deficere à fide salvifica: illi gratiam & fidem salvicam possunt amittere. At verò renati qui attendunt spiritibus Dæmoniorum & doctrinis fallacibus, deficiunt à fide salvifica. 1. Tim. 4. v. 1. Ergo.

VII. Quicunque excidunt à propria stabilitate gratiæ & cognitionis Christi: illi excidunt à fide salvifica. *Nulla enim alia est stabilitas sanctorum, præterquam in fide salvifica.* Atqui nonnulli inde excidunt teste *Petro. 2. Epist. 3. v. 17.* Ergo excidunt &c.

VIII. Omnes renati habent veram fidem. Quidam renati aspernantur & aversantur Deum; eoque deserunt gratiam & fidem, *Heb. 12. v. 25.* Ergo quidam qui habuerunt veram fidem, aspernantur & aversantur Deum; eoq; deserunt gratiam & fidem.

IX. Quicunque ambularunt in veritate; perq; fidem in ea doctrina, in qua manent electi, fuerunt renati; illi habuerunt fidem salvificam. Atqui desertores *Ambularunt 2. Joh. v. 9. 4. 8.*

Ergo

Ergo habuerunt veram fidem, â qua defecerunt.

X. In quibus refrigescit charitas, in qua electi ad finem usque perseverant: in eis fuit fides salvifica, quæ defecit. Atqui in temporaneis charitas &c. Ergo.

XI. Qui renatus ità potest excidere charitate & operibus fidei primis, ut candelabrum ejus loco moveatur: is fidem salvificam potest amittere. Atqui Angelus Ecclesiæ Ephesinæ renatus id potuit, Apoc. 2. v. 4. Ergo.

XII. Cujus renati deficientis, alius coronam accipit, is fidem salvificam amisit. Atqui angeli Ecclesiæ Philadelphiensis deficientis alius coronam accipere potest, Apocal. 3. v. 11. Ergo.

XIII. In quibus exstinguitur Spiritus S. cum donis suis & fide salvifica: in eis fuit. Atqui in nonnullis renatis exstinguitur, 1. *Thes.* 5. *vers.* 19. Ergo

XIV. Qui naufragium fecerunt circa fidem, & conscientiam à se abiecerunt: ij veram abjecere fidem & habuêre. Atqui nonnulli renati id fecerunt. 1. *Timoth.* 1. *v.* 19. Ergo.

XV. Qui possunt abijcere fiduciam, quæ habet magnam retributionem (in cœlo): illi salvificam possunt abijcere fidem. Atqui Hebræi conversii id potuerunt, Hebr. 10. v. 35. Ergo.

XVI. Qui conversi spiritu ceperunt, & carne complentur: amiserunt veram fidem. At qui Galatæ conversi spiritu ceperunt, & carne completi sunt, *Gal. 3. v. 3.* Ergo.

XVII. Si justus ex fide, se potest subducere, potest etiam veram fidem amittere. At prius est, Heb. 10. v. 38. Ergo.

XVIII. Si justi ex fide possunt abnegare Dominum. XIX. possunt reddi scoria, filij degeneres & desertores: XX. Deque cœlo Ecclesiæ & regni cœlorum, decidere, in quo per pacem conscientiæ & fructus spiritus fuerunt: Ergo & veram possunt amittere fidem. Atqui prius est *1. 2. Pet. 2. 1. 2. Ef 2. v. 22. Cap. 11. v. 1. Jer. 2. v. 21. III. Apoc. 3. v. 10. 11. Cap. 9. v. 1.* Ergo.

## Cap. VI.

### Demonstrat. secunda, *ex secunda quæstionis superioris Demonstratione sumta.*

Angeli, Protoplasti, Aaron, Saul, David, Salomo, Petrus, Thomas, Judas, Hymenæus, Philetus, Alexander, Judæi, alijque habuerunt salvificam, & Deo placentem fidem. Atqui angeli, protoplasti, Aaron, Saul, David, &c. amiserunt & excusserunt Spiritum Sanctum & fidem. Ergo quidam, qui habuerunt fidem sal-

salvificam, & Deo placentem, eam excusserunt & amiserunt.

Propositione & Assumptione *in superioris capitis Demonst. 2. demonstratis; ad quæ cum* Crocius *nihil reponat novi, transgredior ad alia; modò si prius locum Hebr. 10. v. 29. addiderim superioribus, qui sic habet.* Quantò putatis pejoribus afficietur supplicijs, qui filium Dei cōculcârit, & sanguinem testamenti profanum duxerit, per quem fuerat sanctificatus, & spiritum gratiæ contumelia affecerit. *Verè tales interijsse constat: restant igitur* duo *probanda.* Primum, *quod fuerint verè renati,* Secundum, *fuisse Christum pro illis, æquè ac pro electis mortuum.*

De primo, itaque, Quicunque fuerunt illuminati, & 2. in fide ingens certamen afflictionum sustinuerunt. 3. In afflictionibus consortes conversantium (Apostolorum & aliorum sanctorum) facti sunt. 4. noverunt se habere potiorem substantiam in cœlo manentem. 5. Monentur, ne abijciant fidem, sed pergant. 6. Fuerunt justi, ex fide viventes: illi habuerunt veram salvificam fidem. Atqui hi Hebræi, de quibus scribit autor *hujus Epistolæ,* 1. fuerunt verè illuminati *Heb. 10. v. 32.* 2. in fide ingens certamen afflictionum sustinuerunt, vers. eodem, 3. consortes conversantium (Apostolorum & aliorum sanctorum) in afflictionibus facti sunt.

*v. 33.* 4. Noverunt se habere potiorem substantiam in cœlis manentem, *v. 34.* 5. Monentur nè abijciant fidem, sed in ea pergant, *v. 35.* 6. Fuerunt justi ex fide viventes. *v. 38.* 7. Habuerunt eam fidem, quæ habet magnã retributionẽ præmij v. 35. Ergo habuerunt verẽ salvificam fidẽ.

De loco 2. Pet. 1. v. 1. actum est l. 3. Demonstrat. 1.

De Secundo; *Quod Christus* omnes homines redemerit & pro illis sit mortuus, Crocius *pag. 292. his verbis negat.* Quod b. Petrus docet falsos Doctores; Dominum qui eos mercatus est, abnegare, id non simpliciter est accipiendum, quasi revera essent redemti, qui Dominum abnegant: Sed secundum quid, nimirũ secundũ ipsorum opinionẽ & gloriationẽ. *Resp.* 1. *Clara sunt* Petri *verba, quæ glossa* Crociana *absq; ratione, non evertit, nec cordatis satisfacit.* 2. *Universalitatem meriti Christi & redẽptionis* in Lib. 1. c. 3. *satis confirmavimus.* Accedit *quod increduli ob incredulitatẽ suam damnentur; & non creditum meritum Christi. Si autem redempti non sunt morte & merito Christi, cur damnantur? Cur illis Christus cum suo merito, fide apprehendendus, proponitur, si pro illis non est mortuus? Fortassis ut credant, Christum* pro se non esse mortuum? Imò ut credant mendacium? Si enim Christus pro illis non est mortuus? & tamen

men debent in ipsum credere, debent certè & jubentur credere mendacium. *Blasphemum!*

*Malè regerit* Crocius, hoc repugnare aliis scripturæ locis: *Quibus, inquam? Apoc. 14. v. 3.* Nemo poterat discere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. v. 4. Hi emti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno. *Resp. 1. empti sunt* ἀπὸ τῆς γῆς de terra: non de hominibus ἐν τῇ γῇ vel ἀπὸ τῆς γῆς) in terra viventibus. Illud *enim terminum à quo*; hoc *verò subjectas personas notat. Itaq; sermo non est angelo de redemptionis acquisitione, & de meriti & mortis Christi particularitate: Verùm in* tertio articulo, *non de salutis oblatione, quæ universalis est: Sed applicatione, quam pauci acceptant. Ideoq; per verbum & sacramenta, inter multas afflictiones & persecutiones, carè emti dicuntur; & quidem primitiæ Deo & agno. Unde 2. emptio, quando in* tertio *articulo symboli Spiritui S. & sanctis tribuitur designat salutis receptionem. Sic hi dicuntur emti. Et Apoc. 3. v. 18.* suadeo tibi, ut emas, (ἀγοράσαι) aurum ignitum ex igni, ut locuples fias. *Quæ emptio vitio hominum, non credentium, fit particularis.* Alia *emptio est* articuli secundi, *2. Pet. 2. v. 1. 1. Cor. 6. v. 20. c. 7. v. 27. Quam esse universalem ostendit collatio hujus capitis & v. 2. Tim. 2. v. 6. Sic Tit. 2. v. 11.* Gratia Dei apparuit omnibus hominibus, ut

redimeret (λυτρώσατο) nos ab omni iniquitate. Luc. 1. v. 68. fecit redemptionem (λύτρωσιν) populo suo. Cap. 2. v. 38. Loquebatur (*Hanna*) omnibus, qui exspectabant redemptionem Hierosolymis. 3. *Unde ait quidem angelus, istos esse emptos de terra: non negat tamen Christum pro omnibus esse mortuum. Sicuti quidem simile valebat de Judais reducibus ex captivitate Babylonica: quod, quicunq; redijssent, ij essent dimissi ex captivitate, & copia divinum redeundi facta:* sed non contra: *illos, scil: qui remanserunt, non esse dimissos, nec eis potestatem eandem factam esse. 4. Ne excipias, istos solos quiviss discere canticum divinum, sic habeas: loqui angelum de electis, qui non tantum agnoscunt vocem & canticum pastoris Christi: Verum & certâ, indubitatâq; fide illi adhærent & fidunt ad finem.*

Secundo *objcit Mattheum c. 7. v. 23.* Confitebor illis: Nunquam novi vos. *Resp. notitia, scil: fidei vera & approbationis, non autem redemptionis. Qua & sententia* Syri est. Nam similiter tenendum, quod verba sensuum apud Hebræos, sæpe affectum aliquem dilectionis & amoris aut odij & improbationis connotent. *Ita q; non novit non-credentes & verbo suo non obtemperantes; noverat autem* generali amore *Johan. 3. v. 16. 1. Tim. 2. v. 4. 6.* & prædicationis *Marc. 16. vers. 16. Eadem est responsio ad testimonium Mat. 25.*

*v.* 12.

*vers. 12. ubi Christus stultis, hoc est, deficientibus, improbis & incredulis virginibus dicit, Non novi vos.*

Locum Johan. 17. v. 9. vid. l. 1. p. 189.

*Nunc ex loco* Petrino *superiori vindicato, sic argumentor.* Quicunque verè effugerunt ab inquinamentis mundi. 2. rursus postquam effugerunt, inescantur malâ doctrinâ & impietate. 3. cognoverunt viam veritatis & justitiæ. 4. fuerunt loti & rursus involvuntur: illi habuerunt veram fidem salvificam, à qua defecerunt. At qui nonnulli, de quibus Petrus loquitur, effugerunt ab inquinamentis &c. *Ergo. Rursus*: Qui habuêre pectus vomitu ita pergatum, ut effugerint errores & incredulitatem; nec amplius impurum haberetur: ij habuere fidem salvificam. At verò relapsi quidam habuêre pectus vomitu purgatum, ut effugerint errores & incredulitatem, nec id amplius haberetur impurum v. 18. 22. *Quod adversarius negare non audet pag. 295.* Ergo habuere fidem salvificam. *Vana est proinde exceptio, non plenè fuisse lotum & purum, & à vomitu purgatum, p. 292, 293.*

*Videns Croc. hoc effugium sibi non constare, ait p. 293.* Si maximè pectus evacuetur, non propterea statim sanatum sit, ita ut nequeat amplius pravos attrahere humores, & calore suo cibos digerere. Resp. 1. Pectus ita purgatum & lotum,

ut ab inquinamentis mundi fugerit. 2. cognoverit viam juſtitiæ, non tantum in doctrina, ſed per agnitionem Jeſu Chriſti, per quam aufugit ab inquinamentis mundi. 3. verè effugerit, & jam rurſus ineſcetur: verè fuerit lotum & vomitu purgatum, ut deficiens rurſus volutetur, & ad vomitum & cœnum redeat: id fuit verè converſum, ideoque deficiens à vera & ſalvifica deficit fide. 2. *Non eſt quæſtio utrum ejusmodi pectus poſſit inquinari; quod Apoſtolus evidenter aſſerit: Sed an verè fuerit lotum & purgatum.* 3. *Deniq; det mihi* Crocius *pectus ullum verè lotum & evolutũ, quod nõ fuerit ſimul juſtificatum. Lotio enim ab inquinamentis mundi fit non verbo, ex tua ſententia, ſi quando prædicatur reprobis, caſſo virtute & ſpiritu regenerationis: Sed ſanguine Chriſti 1. Johan. 1. v. 7. Apoc. 1. v. 5. 1. Cor. 6. v. 11.*

*Hinc de lapſus aliud quærit præſidium, dicens:* Eſto, prorſus abſtineat ab inveterata pravitate, & à Spiritu Sancto per verbum refænetur ac reprimatur, non tamen plenè renaſcitur illicò, & ex fide dein operatur: Sed obliviſcitur ſe à ſuis veteribus peccatis fuiſſe purificatum, *ut eſt 2. Pet. 1. v. 9. Reſp. 1. Contrarium aliquoties eſt evictum. Tu dubitas: ego habeo ſcripturam & literam. Sequamur igitur Spiritum S. 2. conjungo,* monſtrante Crocio, *hunc locum cum illo 2. Pet. 1. v. 9.* & infero: Omnis à peccato ita purgatus, ut aufu-

aufugerit errores & inquinamenta mundi: verè credidit. *Nullus enim hypocrita, nullus (ex hypothesi, non data) temporarius, aut civiliter justus ita purgatur.*

*Instat*, suem lotam, non quidem sordidam esse, sed tamen suem esse & ad volutabrum redire: ita & verbi auditores simulac eo loti fuerunt, redire ad consueta crimina. *Resp.* 1. *Lotio* auditorum & renatorum, nunquam verbo adscribitur, nisi cum baptismi aqua connexo, aut respectus fiat ad sanguinem Christi. *Quo cum impios lotos esse jam negâris, puro & nudo verbo non possunt lavari.* 2. *Nemo nisi verè credens est purus, lotus & non sordidus. Temporarij tui ac civiliter justi, non lavantur, sed impiè agunt: & si non in hoc, certè alio scelere horrendo volvuntur*; Verbo: *sunt pessimi hypocritæ. Ergo de illis Petrus non agit: Sed de salvificè credentibus. Aut nominet mihi* Crocius *ullum, qui verè fuerit lotus, temporarium civiliter justum.*

*Frustra objectat* nobis testimonium Mat. 7. v. 6. de sue: quodque sus lota malum ingenium possideat. *Nam hac ratione baptismus & verbum, non nisi electis esset prædicandum: ne, alijs quoq; propositum, suibus projiceretur & indignè tractaretur. Aut num verbum, quod illis proponitur, margaritæ sunt; quod his, vilis sus, scoria?* 2. *Verus igitur sensus istius loci est, neminem debere impœniten-*

nitenti remissionem annunciare peccatorum, & sacramentorum usum concedere, nisi prius recipiscat. Quid hoc, quaeso, ad praesens negocium? 3. Nobis non obest, canem ad vomitum redire, & ideo resorbere; suemq; evolutã v. 20. 2. Pet. 2. rursus cœno involvi, ibidem & v. 22. Sumus enim natura omnes sues & immundi Es. 64. manemus etiam loti & regeniti ex parte carnales Rom. 7. sumus canes cum Syro-Phœnissa Matth. 15. indigni hæreditate Dei: qui nos tamen adoptat & filios facit. At verò Deum & verbum spiritus relinquentes, rursus canes & sues evadimus. Ita ad hoc modo simile non mihi, sed Crocio nocet.

Ait p. 294. esse proverbialem locutionem. Respondeo, quid tum? Est Proverbiale simile à re, quam arguit, non dissonum, sed consonum. Ut igitur sus lota, nitida est & pura: Sic peccator sanguine Christi lotus & conversus. Ut illa luto rursus involuta, cœnosa redditur, ut ante erat: Sic justus deserens justitiam suam v. 20. ubi est phrasis, πάλιν ἐμπλακέντες, significans, ut animalia laqueo, aves limo, errantes perplexis meatibus, implicantur; utque sues cœno: Sic implicari rursus illos, qui semel veritatem cœlestem amplexi, postea peccatis, sceleribus, aut hæresi involvuntur. Similiter, ut canis æger, vomitu sanatur: at resorbens rursus turpiter se dat: sic, conversus à vomitu peccati, ad peccata reversus, comparatur verè cani.

CAP.

## Cap. VII.

### Demonstratio tertia, ex tertia lib. 3. deducta.

Qui 1. deserit veram justitiam sanctorum, 2. subducit se ab ea. 3. fuit palmes Christo insitus & fructificans. 4. gustavit bonum Dei verbum & donum cœleste, ac particeps fuit Spiritus Sancti; sensitque virtutes futuri seculi; Is habuit veram fidem salvificam, à qua defecit. Atqui nonnulli renati deserunt &c. Ergo habuerunt veram fidem, à qua defecerunt. Propositio partim inde confirmatur, *quod privatio & habitus versentur circa idem subjectum; ex q; privatione habitum præcessisse constet*: partim *à natura palmitum, qui Christo insiti fructum ferunt*: partim *deniq; à natura & effectu verbi divini.*

Minorem *negat* Crocius *p. 295. repetendo veterem cantilenam*, intelligi civiliter justum, quomodo justus, id est, innocens apud homines, non sit occidendus *Exod. 23. v. 7.* Quomodo & justitia capiatur, pro quavis beneficentiâ *2. Cor. 9.*

*Verùm* 1. *respondemus* Crocio, *nolit ulterius Christi tribunal & terreni judicis; forũ poli & soli, judicium divinũ ac humanum confundere.* In hoc *nulla sunt leges, quæ de cogitationibus & figmentis cordis malis, eorumq; pœnis ferant sententiam: Verùm*

*rum externa duntaxat facinora & prævaricationes puniunt. At quando scriptura de justificatione coram Deo, loquitur, nihil justificationis absq; fide vera, agnoscit. Sed ejusmodi justitiam, ut pessimam hypocrisin, ubiq; damnat. jus* forense & civile *attendit justitiam facti, nihil de justitiâ personæ salvificâ inquirens. Ex quibus patet responsio ad dictum Dei Exod 23. v. 7. Unde multi qui in foro externo soli sunt justissimi, in foro poli hypocritæ pessimi decernuntur. Quum igitur agamus de justificatione fidei coram Deo, & argumenta id declarent;* Crocius *non duntaxat confundit utrang; justitiam, sed alienissimum insuper dat responsum. Adeog; omnia nostra testimonia, supra vindicata, frustra allatrat. 2. Locus 2. Cor. 9. v. 10. non necessariò ad proventus justitiæ civilis dirigitur; cujus hæc sunt verba.* Qui suppeditat semen seminanti, is & panem in cibum suppediter, & multiplicet sementem vestram & augeat proventus justitiæ vestræ. *Aptissimè enim de fructibus justitiæ fidei explicatur; cùm faciat verba de renatis eorumq; fructibus fidei: quæ justitia a. morali & civili toto distat cœlo; imò quantum gentilis à converso. Et idem nobis phrasis Paulina confirmat v. 10: Nam γέννημα τῆς δικαιοσύνης,* genimem justitiæ in vobis compleatur, *deducit nos ad vitem, Christum, Joh. 15. v. 1. 2. & seqq: Cui per fidem insiti, fructus fidei & bonorum operum*

*rum ferimus. Et Mat. 26. v. 29. ubi voce geniminis Christus, ad spiritualem fructum, vita in nova cõmunicandum, animat. Quapropter* Crocius *rogatur, ut cautius inspiciat scriptura loca, ut suo satisfaciat officio.*

*De* secundo *membro syllogismi, scil. loco ex Heb. 10. capite, antea fuit actum.*

*Similiter* & de tertio *Joh. 15. v. 7. 4. 6. Regerit* Crocius *pag. 296. fuisse* palmites visibiles, non invisibiles, nec invisibiliter insitos. *Resp. Qui palmes ita est Christo insitus viti, ut ferat in eo fructus, quales sunt omnes verè credentes; is est verus & invisibilis sive mysticus quod palmes: qui tamen aresc̃ere & eradicari potest v. 6.*

*De* loco Hebr. 6. vers. 4. & seqq. *actum est suo loco.*

Locus Col. 1. v. 21. Reconciliavit (vos) v. 22. in corpore carnis suæ per mortem, ut exhiberet vos sanctos & irreprehensibiles & inculpatos in conspectu suo. v. 23. Siquidem manetis in fide fundati ac stabiles, ne dimoveamini à spe Evangelij. *Poterant adversarij veritatis Philosophi,* Colossenses *per philosophiam & inanem fallaciam, depradari cap. 2. v. 8. & fraudare brabejo, ibid. v. 17. Quod non paucis in Ecclesia* Colossensium *evenit v. 20. & seqq.* Si Apostolus dehortatur Colossenses, ne dimoveantur à Christo, sed ut permaneant; ab exemplo illorum,

qui

qui erant dimoti à Chriſto, & ambulabant ſecundum Elementa mundi & non ſecundum Chriſtum: apoſtaſia ſanctorum à fide eſt poſſibilis. Atqui prius eſt. Ergo & poſterius.

Locus *1. Tim. 2. v. 15. etiam apoſtaſiæ poſſibilitatem aſſerit, quo inquit Apoſtolus.* Salvabitur autem (*mulier*) in liberorum generatione, ſi manſerint. Cujus 1. ſalus & ſtandi ratio eſt conditionalis. 2. qui poteſt, ut Eva & Adamus, ſeduci: is à fide poteſt deficere. Atqui mulierum fidelium ſalus & ſtandi ratio eſt talis. 1. Tim 2. 15. 2. Corinth. 11. v. 3. Ergo. *Item:* quæ mulieres non manent in fide, caſtitate, generatione liberorum, ſanctificatione & dilectione: illæ, quandiu hujuſmodi manent, non poſſunt ſalvari. At verò nonnullæ mulieres non manent in fide, caſtitate, generatione liberorum, ſanctificatione & dilectione. Minorem Crocius *negare nequit, niſi etiam adulteria, ſcortationes, odia, verbi quandoq; contemptum, aliaq; peccata grandia ab illis committi, negaturus eſt. Demptis à fructibus arbori bonæ, ipſa bonitas demitur & fides.*

Locus Petrinus *2. Pet. 2 v. 20. paulo ante à corruptelis eſt aſſertus.*

## Cap. VIII.

### Demonſtratio IV. ex demonſtratione Quarta ſuperioris quæſtionis hauſta.

Apo-

Apostoli, Paulus, ac servus, cui remissa erant debita, alijque fuerunt justi. Apostoli & Paulus, metuerunt ne reprobi fierẽt. Servus ab iste Matth. 18. alijque revera defecerunt. Ergo quidam justi pars metuerunt apostasian; pars reipsa lapsi sunt & defecerunt à fide.

*Excipit quidem* Crocius *ad exemplum* Pauli, *sed frustra: Supra n. illi responsum est.*

*De simili sale, cui Apostoli comparantur, excipit pag. 298 inquiens*: Apostolorum exemplo indicatur, ministris etiam verum ministerium posse fieri ad propriam salutem inutile. *Resp. Non de ministris* immediatè *pronũciat id Christus, verùm de ipsis etiam Apostolis, cum absq. ullo loquatur discrimine. 2. Ergo per βίαιον & ex hypothesi Crocij, in ipsum retorquemus.* Si Christus exemplo Apostolorum, omnes ministros, ut sint sal bonum, hortatur, hoc est, fide præditi, exq; eâ diligenter & graviter partes officij sui subeant: certè ipsi apostoli potuerunt fieri sal fœtidus & malus. Consequentia *patet: Nam aliàs adhortatio ab exemplo vel simili alieno esset ridicula. Atqui prius est*, *teste* Crocio. Ergo & posterius.

Demonstratio. V. ex V. quæstionis superioris.

Quicunq; naufragium fecit circa fidem, salvificam, & conscientiam repulit; & propterea

præterea dignus est, qui Satanæ tradatur: is vera justitiam & fidem amisit. Atqui multi renati, ut Hymenæus & Alexander id fecerunt. Ergo.

*Rursus:* Omnes, qui, renati peccant contra conscientiam: laxant frenum securitati & langueſcunt extremè: occasiones oblatas conversionis contemnunt: tempore persecutionis deficiunt: amore voluptatum & illecebris carnis, studioquè divitiarum succumbunt: deceptionibus fidei falsæ & scelerum, fidem adhibent: æmulatione & contemptu fratrum laborant: pœnitentiam negligunt, cor indurant, & obmutuntur Spiritui Sancto: illi à fide vera & salvifica deficiunt. Atqui verò quidam renati sic peccant. Ergo à fide salvifica deficiunt. Minorem *confirmant loca scripturæ Demonstrationis Quintæ superioris.*

*Miserum est tuum effugium*, Croci, *p.* 299. multa esse vera bona, quæ tamen fictitia non sint, ut fides & bona conscientia in civilibus. Hypocritas gaudere in Ecclesia visibili multis præclaris privilegijs, quibus à Deo, simulac in manifestam impietatem sese exonerent, non immeritò priventur: Improbos à summis & vetissimis bonis, quibus citra regenerationem fruiti sint, retrahi. *Resp. n.* 1. *Quæstio est de bono fidei & justificationis salvificæ, non de bonis civilibus,*

bus, nec de privilegijs externis Ecclesiasticis. Unde vix sine impietate asseverare aliquis potest, impios magnis & multis gaudere Ecclesiæ privilegijs. Etsi enim jus ad Ecclesiæ bona & sacramenta habent, tamen nulla verâ spiritualiq; justitia, bonisq; spiritus gaudent internis; imo ex Calvinianorum sententia gaudere nequeunt: ut quibus Christus non mortuus est, nec fides dari potest & debet, tanq. ab æterno non electis. 2. Quid tibi differenti, de verâ hominis regenerati justitia, cum Aristotelicâ & civili est commune: quæ Spiritui S. in hoc articulo non placet? plane nulla est? Quinimo damnat, & illos, qui eâ justi sunt in populo Dei, Ethnicis pejores judicat. 3. A veritate alienius quoq; illud est, impios relabentes, a summis & verissimis bonis retrahi. Quæ enim illa? Hominis regenerati, ex tua hypothesi, non sunt. Ais enim ipse, esse bona citra regenerationem. Ergo sunt externa, sunt hypocritica. At quibus privilegijs & bonis gaudet externa & hypocritica justitia; à quibus excidit & retrahitur impius? Quid privilegij (E G. tribuit scriptura Pharisæis Luc. 18. & Matth. 5 quos supra civiliter justos pronunciasti? Quid alijs? Verbi auditum, inquis, & sacramenta illis communicat, & ut externè illustrentur, & verbo conformes vivant. Quo autem fine? Ut regenerentur & salventur? Hoc negas, quod Deus ex absoluto decreto paucos duntaxat homines elegerit: quorum

*sit Christus cum suo merito & donis spiritus: quæ impijs non dentur.* Ajas, *mandavit ut crederent, quod cum non fecerint, ob incredulitatem damnari eos. Verùm negato, quod illis fides & Spiritus S. dari debeant; nec Christus pro illis sit mortuus p. 311. 312. sequetur sanè, dari illis externa privilegia, ut gravius ob incredulitatem damnari queant. Vel potius: quod non acceptarint bona, absoluta Dei voluntate ab illis abscondita. Imò, quod non mentiti sint se esse filios Dei fide, quales esse non debebant, damnari. En privilegia. En dona!*

## Cap. IX.

## Demonstratio sexta & septima ex totidem superioribus.

STudium bonæ conscientiæ, cultura beneficiorum divinorum, preces vigiliæ, solicitus & sanctus timor, fides, accuratum sui examen, conservant & fovent non simulatum, sed verum bonum. *Cui* Crocius *p. 300. non contradicit. Subsumo:* Atqui studium bonæ conscientiæ, cultura beneficiorum divinorum, preces, vigiliæ, solicitus & sanctus timor, fides & accuratum sui examen in nonnullis deficiunt. Ergo in nonnullis non simulatum, sed verum deficit bonum. *Verum autem, in hoc negocio, bonum non est, nisi justitia fidei, ac fidei opera.*

*Rursus:* Omnis cui sunt remissa peccata, is verâ justus est fide. Quidã, cui sunt remissa peccata,

ta, rursus deficit. Ergo quidam verâ fide justus deficit.

## Cap. X.

## De Demonstratione singulari.

DEmonstratione *singulari ex 2. Pet. 2 v. 18 sumptâ, satis supra enucleatâ & roboratâ: restat jam Demonstrationum universitas; quæ hæc est.* Quicunque condemnatur, est finaliter impius. Quidam, qui antea fuerat justus & vera fide præditus, condemnatur. Ergo quidam, qui fuerat antea justus, fit finaliter impius.

*Distinguit Crocius p. 302.* Minorem, *quoniã in voce* fidei veræ & justitiæ *variè ludatur. Si autem sumatur pro verâ justificante fide, se eandem negare. Respondemus, nos eam hactenus satis demonstrasse, ut nova additione non sit opus.*

## Cap. X.

*HActenus robur nostræ sententiæ proposuimus: jam via, ex verbo Dei, ulterius explanandæ est. Attendamus igitur breviter monitis, quæ* Bertius *proposuit, &* Crocius *subruere conatus est p. 304. & seqq.* Primum *hoc est.*

Justo ex fide cautè & provide est ambulandum. *Deut. 4. 9. 1. Corinth. 10. 12. Pro. 27. v. 1. Confer* Bernh. in vigilia Natalis *Christi sermo. 3.* August. de Dono Perseverantiæ.

2. Proficiendum indies in studio virtutis

Phil. 3. v. 13. 1. Tim. 4. v. 14. Gal. 5. v. 2. Pet. 1. v. 5. 1. Cor. 9. v. 25. c. 11. v. 17. 3. conscientia non est lædenda 1. Timoth. 1. v. 19. 2. Cor. 1. v. 22. 4. Vitanda fugiendaque sunt minima peccata, & leviſſimæ quoque eorum occaſiones, quandoquidem peccatorum hoc est lenocinium, ut ab uno malo in aliud facilè pertraharis, & plerumq; à minore ad majus. Syr. 11. v. 33. 5. si peccaverint sistendus impetus, nec ruendū in deterius, sed pœnitentia agenda tempestivè, Syr. 20. 5. 4. Rom. 2. v. 4. 2. Tim. 2. v. 16. Phil. 2. v. 12. 1. Corinth. 7. v. 1. 6. Pœnitentia & dolor aliquo modo attemperatus esse debet peccato Ps. 7. v. 7. Crocius *concedit. Addimus exemplum Petrinum hûc magis quadrare Matth. 27. verſ. ult. Luc. 22. verſ. 62.*

7. Resipiscentiæ medicina non est negligenda aut contemnenda, ne paulatim omni gratia excidant, Apocal. 2. v. 5. Prov. 1. v. 24. 8. Post pœnitentiam cavendum etiam atq; etiam, ne in eadem peccata revolvantur, cantic. 5. v. 4. Prov. 26. v. 11. Johan. 5. v. 14. Syr. 34. v. 30. 9. Gravius enim peccant illi, qui gratiam Dei posteriorem rejiciunt, per ingratitudinem, quam qui antecedentem nunquam acceperunt 2. Pet. 2. v. 20. Si autem reprobis non debetur *Christus cum suo merito & donis, isti non peccabunt nedum gravius.* 10. Nisi perstarent usque ad finem in veri-

veri-

veritate & sanctitate, certò esset pereundum 2. Paral. 15. v. 2. 2. Timoth. 2. v. 12. Jer. 22. v. 24. 11. Quoniam perstant, salus eis certissimè parata est Heb. 3. v. 6. Col. 1. v. 22. Johan. 8. v. 31. 1. Tim. 2. v. 8. 1. Johan. 2. v. 24. Apoc. 2. & 3. Rom. 8. v. 17. *Regerit* Crocius *inquiens*: *Imò & vice versa.* Quoniam salus eis parata est, certissimè perseverant. *Resp. non est hoc verum de præparatione salutis ex absolutô decreto fluente: Verùm de ordinatâ, maximè ob infallibilem Dei præcognitionem.*

12 Ita vitam instituentibus ex certa & salvifica fide, certa est remissio peccatorum & vita æterna, vicinisque morti solenne est cum fiducia ad Deum *aspirare 2. Corinth. 7. v 11. Joh. 3. v. 21. exemplo Pauli 2. Tim. 4. & Phil. 2. v. 16. Qui vero hæc amittunt, vitam non habent, sed fide & vitæ æternæ hæreditate excidunt.*

## Cap. XII.

### De absurdis, quæ ex Perseverantia necessaria & immutabili proveniunt.

*Et si plura & majora possemus absurda, ex isto dogmate promanantia, proferre & cumulare; hic tamen impræsentiarum, prolixitatis vitandæ gratia, contenti erimus sequentibus.*

1. Est, Non esse veras virtutes ullas, nisi in ijs, qui absolutè dicuntur electi. Crocio *hoc non*

*absurdum videtur*, quod fides, spes, charitas, sint certæ notæ & characteres electorum. *Resp. finalis, non temporaria fides, spes, charitas. Alias enim in Salomone, Saulo, Davide ante lapsum, nullæ fuissent veræ virtutes: Quæ tamen ex precibus & operibus fidei eorum probantur.*

II. Si fides & justitia semel collata, nunquam excutitur & amittitur, sequitur nullam esse apostasian: aut certè affectionem dari sine subjecto. Deficiunt ergo vel credentes, vel reprobi à vera & salvifica fide. *Quod utrum, negat* Crocius. Ergo erit affectio aliqua sine subjecto. *Ait* Crocius, pag. 309. deserere tamen à justitia externa confessionis. *Resp. Atqui ista defectio ab externa fide & confessione bona est. Cupit enim Deus, ut manifestentur, qui non sunt sui Matth. 15. v. 6. 9. Mar. 7. v. 2. 3. & seqq. Apoc. 3. v. 16. c. 2. v. 5. 1. Sam 15. v 9. 10. 30 Os. 2. v. 10. Quare pessima est opinio, homines ab externa legis justitia recedentes, aut fidem historicam tantum deserentes peccare & esse apostatas, de quibus loquitur scriptura.*

III. Actiones morales non formis proprijs, sed subjectis differre: eandemque actionem in electo posse esse honestam ac Deo gratam, in reprobo, utut sese comparet, non posse non esse peccatum. Nec posse alios accipere, nedum perstare, quam qui revera perstant. Eadem

dem mala in electis esse sanabilia, in reprobis non esse. Electis debere remitti, etiam maxima peccata, alijs ne minima quidem unquam posse. &c.

Excipit Crocius pag. 310, Actiones morales subjectis differre, quia secundum canonem logicorum, Actiones seu operationes definiantur mentione subjecti, objecti, efficientis & finis. *Et, duo cum faciant idem non sit idem. Resp. Quare actiones differunt subjectis? Annon ob oppositas formas & efficientis virtutem? Quæritur igitur, annon exempli causa, Davidis adulterium & homicidium sit tantùm scelus, atq; Lamechi cædes, aut Julij Cæsaris adulteria? Si negas, violasti Decalogum, & reliquam scripturam. Si affirmas, tũ assertio erit vana. In actionibus n. diversitas manifesta est, quod justus ex fide, impius vel civiliter justus ex habitu & corde corrupto, agat. 2. Absurditas, quod non alij possint perstare, quam qui perstant; nec alios posse sanari, quam qui sanantur, itidem ex absoluto fluit decreto electionis & reprobationis, quod fingit* Crocius *cum Socijs. Demolitur 3. pœnitentiam: stabilit necessitatem in negocio salutis; imò totam scripturam evertit; imprimis verò universitatem meriti Christi.*

*Verùm objcit,* populum Christum servare, quem pater dederit. *Johan. 17. vers. 9. Resp. Loquitur de electis Vide lib. 1.*

Est servator corporis sui, id est, electorum & omnium credentium *Ephes. 5. v. 23. Resp. Non additur exclusiva* tantùm 2. *Loquitur de verè credentibus, qui sunt corpus Christi fide & mysticum. 3. Alibi testatur scriptura esse servatorem omnium hominum, maximè fidelium 1. Timoth. 4. v. 10. vide & 1. Tim. 2. v. 4. 5. 6.*

*Instat*, illos omnes esse multos *Mat. 26. v. 28.* pro quibus sanguis Christi effundatur. *Resp. 1. reclamant huic effugo jā producta loca. 2 Illi omnes intelliguntur, pro quibus est orandum 1. Tim. 2. v. 2. Quare autem orandum? Quia* Deus vult omnes homines, adeoque impios Reges & magistratus salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. *Causa rursum ponitur in v. 5. & 6.* quod sit unus mediator inter Deum & hominem, *Gen. 3. v. 15. promissus: qui se sacrificium* pro omnibus obtulit Deo, & redemptionis pretium dedit. *Unde qui damnantur, ob suam incredulitatem damnantur. Johan. 3. v. 18. Marc. 16. v. 16. 2.* Multi interdum idem notat, quod omnes, *ceu Dan. 12. v. 2. Roman. 5. v. 15. ubi illi multi per omnes v. 18 explicantur. Causa variatæ phraseos est, quod sacri scriptores homines jam* distributivè *jam* collectivè *considerent, ut magnitudinem & multitudinē beneficiorum Dei eò accuratius sibi ob oculos proponere possint.*

Quar-

*Quartum quia* Crocius *à sese removet, jam desinam inquirere.*

V. esse quædam peccata, quæ sacratissimo sanguine Christi ablui non possint; idque non propter quantitatem delicti, sed propter delinquentis statum, quod scil. sit absolutè ab æterno reprobatus. *Volunt enim id Calviniani & ipse adeò* Crocius, *qui scribit p. 312. præcedenti, inquiens:* Electis remitti omnia sua, etiam maxima & turpissima peccata, reprobis verò nè minima remitti certissimum est. *Causam addit sic pergens:* Illi enim credunt, hi non credunt. in illis autem efficit Christus fidem, qua in ipsum credant, & justitiæ ipsius participes evadant: & obedientiam, qua se legibus ejus submittunt Es. 53. v. 11. 12. Phil. 3. v. 21. Heb. 12. v. 21. In his non efficit. Non enim habent partem in Christo. Et p. 311. Sicuti enim non possunt, alij renasci, quam qui renascuntur: ita & nequeunt alij in nova illa vita permanere, quàm qui permanent. *Et p. 311.* Hi a, multi sunt omnes electi & credentes omnes, quibus SOLIS est redemptor. Deinde: *causa, quod peccata peccantibus in Spiritum Sanctum non remittantur, non videtur, quasi ibi sistat terminus misericordiæ divinæ: Sed quod gratiam Dei, cum sanctissimo Christi merito, ad finem vitæ hostiliter abjiciunt, persequuntur, oderunt; pœnitere noluerunt & resipiscere. Vide Dn. D. justum*

Feurbornium in Tractatu de Peccato in Spiritum Sanctum. *Locus 1. Joh. 5. v. 16. utrum de Peccato in spiritum S. agat, controvertitur. Confer, si libet, quæ in* Libello de Norma *invocationis divinæ pag. 408 409. disputata sunt.*

*De absurdo 6. vide supra.*

7. *Absurdum est,* baptismum non obsignare certò in omnibus liberis fidelium gratiam Dei, *quum inter illos quidam sint, etiam antecedente decreto Dei æterno absolutè reprobati, ac proinde dubitandum sit fidelibus de veritate fœderis divini, Sum* Deus tuus & seminis tui post te. At Crocius pag. 319. esse certum, quod baptismus non in omnibus liberis fidelium gratiam Dei, sine discrimine obsignet. *Resp. 1. contrarium supra probatum dedimus 2. Parit, ex Crocij opinione, baptismus fidelibus non testimonium salutis & receptionem in fœdus Dei 1 Johan. 5 v 7. Actor. 2. vers. 39. Sed in horribilibus dubitationibus relinquit. Non potest istud negare* Crocius *pag. 320. Excipit quidem ad omnes non pertinere fœdus divinum, & confirmare satagit ex Rom. 9. v 6. 7 8. & Matth. 8 v. 11. 12; Ast frustra. Repete, quæ supra ad utrumq; sunt annotata locum.*

Octavum *possemus præterire, si modo ista verba essent sana p. 321. 322.* Deus ita malis utitur, ut cum ijs malum non agat, nec in ijs errorem rationis, aut malum agendi voluntatem creet ullo

nllo modo: per eos tamen ut instrumenta, sapienter per insipientia, rectè per prava, ordinatè per inordinata agit, etsi improbi Dei ductum & flexum non animadvertant. Sicut equus obcæcatus in pistrino in gyrum ducitur, suum se iter mera sponte, tanquam in ordinario præcursu continuare ratus, quum interim & intra metam à Domino coerceatur, à molitore dirigatur, & ad opus flagello etiam impellatur, ubi si impingat, ipsius esse culpam, aut exterius aliunde causa sit objecta.

VIII. Quod impios facit securos & sine timore & tremore esse: aut si sint soliciti, nihil ipsos suâ curâ, nihil alios docendo, reprehendendo, comminando, insectando proficere; est absurdum. Nam facit omnes adhortationes & comminationes irritas. *Reponit p. 323.* Deum agere omnia opera sua secundum beneplacitum voluntatis suæ: *Nobis esse legem præscriptam, ut in ea cautè vivamus. Probat Eph. 5. 15. Proverb. 4. 25. c. 14. 16. c. 28. 14. Pf. 2. 11. 2. Pet. 1. 10. Resp. Non tantùm præscripsit legem, perq; timorem & cautè vivendi studium operari & firmam facere salutem mandavit: Verùm etiam nisi faciamus exscindendos nos pronunciat & perituros. Quod nisi esset possibile, frustraneæ essent istæ leges & adhortationes.* Crocius *a. hic ad suum absolutæ Reprobationis decretum alludit, & secundum illud decernit.*

Absur-

*Absurdum X. aliquoties excussum est XI. p.325. ut vel falsum vel obscurum, vel huc non faciens prætereo. Quin nec XII. & XIV. facimus nostrum. Ad XIII. in Resolutione loci Rom. 8. versibus ultimis Lib. 1. & 2. responsum dedimus.*

XV. Absurdum videtur, perseverantiam, aliaque animi dona, necessaria esse sanctis, non tamen morali necessitate. Videmus enim omnia pendere ex absolutò decreto electionis, quod necessitatem subjecto & affectionibus imprimit inevitabilem, sublatâ in nobis præelectione finis & mediorum. *Pag. 334. largitur* Crocius *omnia pendere ex electionis decreto.*

Moralem *(pergit Bertius p. 337.)* necessitatem hominibus adimit. Manifestum id & extra controversiam est in reprobis: Nam quum illos Deus statuerit non perducere ad finem salutarem, media etiam ijsdem *(fidem salvificam, Spiritus Sancti operationem ac dona alia illius: Sine quibus non possunt credere)* subducit *(ut non credant & credere possint verbo)*: Quorsum enim dat illis media ad salutem, quos destinavit ad exitium? In Electis verò id æquè perspicuum est: Omnis enim necessitas moralis est hypothetica, de fine possibili obtinendo quidem, si viam rectam insistas, non obtinendo, si deflectas aut declines. At secundum istos, electus simpliciter debet salvari, non potest non perse-

ve-

verare, non potest deflectere finaliter & totaliter.

Ait Crocius p. 337. 338. Calvinianam doctrinam moralem necessitatem confirmare. Plus enim quam morali necessitate, teneantur tam electi, quam reprobi Deum diligere. Et salus non simpliciter perdatur, sed si non credant, nec obtineatur, nisi credant *Marc. 16. v. 16.* *Resp. Nihil ad rem. In libro primo ista copiosius sunt ventilata. Summa:* Qualis est electionis absolutæ necessitas, talis & perseverantiæ est. Atqui illa est absoluta. Ergo & hæc. Consequentia Majoris *firma est, quod decretum executionis à decreto electionis non discordare, sed ex asse convenire debeat. Neq; verum est, perseverantiam* Calvinianam *esse conditionatam, esse actum hominis etiam, nisi necessario & immutabili raptu transmutati: Adeoq;, ait Bertius*, talis perseverantia est absolutè necessaria 1. ratione principij. Deus enim absolutè & simpliciter vult eos perseverare. 2. ratione finis, quia simpliciter & absolutè necessarium est, ut tales ad finem suum perveniant. 3. ratione formæ & definitionis, quia sicut necesse est omne rectum æqualiter interjectum esse inter sua puncta, ita necesse est, omnes tales perseverare.

Instat Crocius p. 340. infirmam esse pro-

ba-

bationem. 1. quod non omnes principij affectiones conveniant principiato. 2. Deus non velit quenquam absolutè perseverare, sed ad suam gloriam & hominis æternam salutem. *Respondeo* ad prius: *principium & principiatum in essentialiter & per se subordinatis per omnia convenire. Unde si electio est absolutæ necessitatis, etiam electorum perseverantia talis erit.* Ad posterius, *committit fall. oppositorum finium. Sicut enim electionem supra* Crocius *absolutam esse pugnavit, quam nihilominus ad Dei gloriam, ejusq; misericordiam declarandam, & hominis salutem ferri vult: ita etiam de perseverantia sentiat necesse est. In reliquis, ut finis & formæ necessitate, concedit* Crocius *absolutam necessitatem p. 340. scribens*: Hoc si dextrè accipias potest concedi. Necessitas enim definitionis dicitur illa, quæ est inter Entia, eorumq; attributa essentialia. Jam verò electorum, si efficaciter sint vocati, attributum essentiale est perseverare in fide. Libera est si respicias voluntatem (*at contrarium est aliquoties ostensum*) hominis perseverantis, necessaria si respicias Deum, qui perseverationis actum decreto suo firmavit. *Cum igitur hic largiatur consentiens nostro argumento, de absolutæ perseverantiæ necessitate, non debebat eam alibi passim negare.*

CAP.

## CAP. XIII.

*PRoductis nonnullorum* Patrum *sententijs in scenam, ex ijsq; veteris Ecclesiæ in doctrinæ consensu contestato:* Crocius *ad eas respondere, & quod sibi faveant, strenuè demonstrare, sed irrito plane conatu, desudat.*

Primus BB. Patrum allegatus est Ignatius Martyr, *Epist. XI. ita scribens fol. 65. part. 1. Orthodoxog:* Sanctorum Patrum: Cur enim cum ratione utamur non sumus prudentes? Cur accepta à Christo insita nobis dijudicandi facultate, in ignorantiam prolabimur, & per socordiam non agnoscentes donum quod accepimus, imprudenter perimus? *Et fol 62:* cavete ne germen Diaboli in vobis inveniatur: amarum enim est & falsum quid: Sobrij estote & temperantes in Christo Jesu. Novissima jam jam sunt tempora, revereamur & timeamus Dei longanimitatem, ne divitias bonitatis & patientiæ ejus contemnamus. Aut enim futuram timeamus iram, aut præsens gaudium in hac vita amemus. *Ecce Croci! potentiam, non tantum possibilem, sed quæ de singulis impleri potest.*

II. Est Justinus *(aut quisquis etiam sit author Tractatus* Quæstionum & Responsionum) respõsione *ad quæstionem XXII. scribens.* Id quod de-

se-

fecit Triticum esse demonstratur, per eam, quæ ab ipso prolata est, prædictionem: quoniam, inquit, abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum. *Et rursum.* In posterioribus desciscent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus & doctrinis hominum. *Iterum.* A veritate quidem avertentur, ad fabulas autem convertentur.

*Crocius p. 344. triticum de omnibus Ecclesiæ visibilis membris & doctrinæ confessoribus, accipit, quibus opponatur Zizania, hoc est, hæretici & seductores. Probat ex Matth. 13. v. 38.* (Bonum semen sunt filij regni, Zizania verò sunt filij illius mali. *(verissimè! at Crocij applicatio falsa est):* ubi (*inquit*) filij dicuntur illi, qui verbum Dei audiunt & confitentur, quorum alij sunt justi & fulgebunt, ut sol, v. 43. alij autem ejicientur in tenebras illas extremas, *Hæc* Crocius. *ad quæ Resp. 1. Implicare insignem contradictionem, Triticum salvari & colligi in horreum Christi v 30. Matth 13: & quosdam ex tritico, sive regni Dei filijs colligi in fasciculos & comburi. Quocirca 2. distinguat* Crocius *inter triticum in regno Dei sive agro natum, atq; inter Zizania. Christus quidem clarè & perspicuè indigitat vers 30. primum, Zizania colligi, ut comburantur: deinde triticum colligi in regnum. Quod ita explicat vers. 41. 42.* Omnia offendicula in novissimo die ex Christi re-

regno tollenda, & impios in caminum ignis abijciendos : qui Zizania sunt. *At v. 43. triticum* explicat de justis, qui ut sol in regno patris sui fulgent. *Cum itaq; triticum sint justi,* Crocio *non diffitente, qui deficiunt Zizania; frustra obtendit p. 345.* quod seminis bonitas sit alia in confessione externa, alia in fide, quæ intus ornat mentem. Utrique adversetur Zizaniorum malitia. *Resp. n. 1. Id falsum esse & textui contrarium. Nam triticum hoc omne salvatur v. 43. 2. Absurda est* Crocij *sententia, dicentis civiliter justos, non verè credentes, esse triticum: Cujus vero triticum? Non Dei certè, sed Diaboli. Sunt n. isti ipsi hypocritæ, qui velut Zizania tritico opponũtur. 3.* Justini *verò mentẽ ut explicemus inter explicationem scripturæ analogã, & genuinam literæ, discrimen esse faciendum censemus. Nam ex cap. 8. Lucæ constat, τετραγόρους esse verè ex semine verbi divini progeneratos, qui tamen defecerunt. Quod verbi semen ad Zizanij parabolam, in qua justi ex tritico verbi regeniti & producti dicuntur, refertur.*

*Verba* Justini *ex Quæstione XXIII. suo relinquimus autori. Aliquantò magis ad rem faciunt ista Quæstionis XCVIII.* Qui majore Dei timore hominum timorem abolet, charitate Dei id facit: ita ut major Dei timor causa sit, ne rebus carissimis excidamus. Quo namque est id, quod fidem auctoritatemque apud nos obti-

net, præstabilius, eò diligitur magis: Et quò diligitur magis, eo qui diligit, ne illo excidat, vehementius timet: tantisper dum est in certamine pro eo, quod diligit, suscepto. Porrò certamine soluto, una cum illo quoque timor, eo quod charissimum habemus, solvitur. Quocirca ad id usque tempus timor Dei necessarius est. Non potest nobis Crocius *eripere locum, pratendendo, timoris Dei causam effectricem esse charitatem, quæ nunquam excidat.* Nam 1. qui timet ne excidat gratia Dei, & propterea amat Deum ac benè operatur: is potest excidere. 2. Cui timendum est, dum adhuc est in certamine, ille potest vinci & ruere; At sanctis est timendum dum adhuc decertant in hujus mundi certamine, contra hostes, Satanam, carnem, mundum. Ergo possunt & vinci & excidere regno & gratia Dei. Deinde; *Charitas est quidem causa timoris, ac fides causa Charitatis, & quidem sola, licet non tantum charitas, sed etiam excidendi possibilitas & mala sint causa timoris. Quomodo 4. Charitas nunquam excidat, indicatum est suo loco.*

*III.* Irenæus *lib. IV. adversus* hæreses *c. 72.* Omnia talia liberum & suæ potestatis ostendunt hominem, & quod consilium influat Deus, adhortans nos ad subjectionem sibi, avertens ab incredulitate, non tamen de violentia cogens.

Cre-

Crocius *pag. 347. refert, hunc locum ostendere*, gratiam vocationis non evertere voluntatis humanæ libertatem in naturam, aut etiam naturæ necessitatem, aut ei repugnantem vim: id quod largiatur, se docere hominem immutabiliter, sed liberè, tamen & ex gratia perseverare. *Resp. 1. ostendit quidem non esse* quosdam *naturaliter bonos*, alios *naturaliter malos*; *at non tantùm ostendit: Verùm etiam renatos posse liberè stare aut cadere, subjiciens*: Etenim ipsum Evangelium, si noluerit quis sequi, licet quidem, non tamen expedit. inobedientia enim Dei & amissio boni quidem est in hominis potestate. *Quod* de renatis *scriptura testimonijs quibusdam confirmat, ut 1 Cor. 6. v. 12. Eph. 4. 28 29. Postea tollit Crocij distinctionem, inter angelorum & renatorum hominum stabilitatem, statuentis illos cadere potuisse, non hos, ita scribens*: Sed cum necessitate & vi ad bonū trahūtur, in quibus sensus unus & unus mos inflexibilis, & sine dubio, qui nihil aliud esse possunt, præterquā quod facti sunt. Sic autem nec suave esset ei, quod bonum, nec pretiosa communicatio Dei, neque magnoperè appetendum bonum, quod sine suo proprio motu & cura & studio proveniisset, sed ultrò & otiosè insitum.

IV. Clemens Alexand. l. 2. Strom. Apostasian & excessus sunt in nostra potestate, sicut

in nostra potestate obsequium. *Regerit* Crocius pag. 347. sensum esse, apostasian omnem esse voluntariam, uti & obsequium. *Id enim velle sibi* τὸ ἐφ' ἡμῖν Philosophorum. *Resp. Si sunt apostasia & excessus in nostra potestate; sanè renati poterunt excidere: quod* Crocius *ob infallibiliter assistentem gratiam fieri posse negat. Ut enim hæc cohærent* Croci; *Apostasia & excessus sunt in nostrâ renatorum potestate, Et: apostasia & excessus ex auxilio Dei, conservantis, & perpetuò retinentis pios, non sunt in nostra potestate?*

*Ibidem:* Timet enim non Deum, sed excidere Deo: qui verò metuit ne excidat in mala, timet & veretur mala, qui autem timet ne cadat, is alienum se ab interitu esse vult.

*V.* Tertullianus de Præscript. c. 3. Estne hoc mirum, ut probatus aliquis retrò postea excidat? Saul bonus præ cæteris, livore postea evertitur. Salomon omni gratiâ & sapientiâ donatus à Domino, ad idololatriam a mulieribus inducitur. Quod ergo si Episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus regula fuerit? Nemo sapiens, nisi fidelis: nemo major nisi Christianus: nemo autem Christianus, nisi qui ad finem usque perseverarit. Tu, ut homo, extrinsecus unumquemque nosti: putas quod vides: vides autem quo usque oculos habes; Sed oculi Domini alti:

homo

homo in faciem, Dominus in præcordia contemplatur, Et ideò cognoscit Dominus, qui sunt ejus, & palam in unum portat ad purgandam aream suam. Avolent, quantum volent paleæ levis fidei, quocunque afflatu tentationum, eò prior massa frumenti in horrea Domini reponetur. Minus est, si & apostolum Christi aliquis Phygellus & Hermogenes & Philetus & Hymænæus reliquerunt; ipse traditor Christi &c.

*Notamus ex dictis sequentia theoremata.* Primum, *quidam probati retrò postea excidunt, ut David, Saul, Salomo. Ergo etiam de probatis fidelibus agit* Tertullianus. II. Saul *fuit verè renatus. Nam fuit bonus præ cæteris, sed livore postea eversus est. ubi, præter exempla* Davidis & Salomonis *æquè conversorum, oppositio arguit fuisse conversum.* III. David *vir bonus secundum cor Dei, factus cædis & adulterij reus, retrò excidit. IV. idem lapsus à fide universa* Salomoni *contigit.* V. Non ex personis probari fidem, sed ex fide personas: *ex qua multi episcopi, doctores, Diaconi, virgines, Martyres prolabuntur. VI. Christianus non nisi electus, ad finem perseverat. De illis enim loqui* Tertullianum *adjecta scripturæ loca indicant. VII. Temporarij quidem fidem habent justificantem, sed levem sive leviter radicatam, qua tentationum afflatu avolat. VIII.* Phygellus & Hermogenes, Philetus & Hymenæus

næus *deseruerunt Apostolum*; Judas Christum. *Ex his videbit* Crocius *quàm invalidæ sint suæ exceptiones adversus hunc* Tertulliani *locũ: quem sequentia adaugẽt Lib. 5.* adversus Marcionẽ c. 9. Salomon (audeo dicere) & jam, quã habuit in Deo gratiã, amisit per mulieres in idololatriam usq; pertractus. Lib. 2. c. 23. Nihil tam bono & judici cõvenit, quam pro præsentibus operibus & reijcere & adlegere. Ad legitur Saul, sed nondum despector prophetæ Samuelis: reijcitur Salomon, sed jam à mulieribus alienis possessus, & idolis Moabitarum & Sydoniorum mancipatus. Lib. 3. c. 20. A Christo misericordia Dei non abcessit; Salomoni verò etiam ira Dei accessit post luxuriam & idololatriam.

VI. est Theodoretus, quem Crocius p. 351. multa in hanc sententiam habere concedit *Serm. 5. ad* Græcos infideles, qui est de Natura hominis: *& Serm. 6. qui est* de Providentia. Crocius *nihil habet quod opponat, quam hoc.* Non, *inquit*, negamus Græcos patres, & libero arbitrio, nimium arrogasse, & videri non rarò sanctorum Perseverantiam (*fatalem illam Stoicam, & non ordinatam si intelligis, assensum præbemus tibi*), oppugnasse. Sed horum errores nihil præjudicant veritati. *Resp. Itanè verò?* Si viribus liberi *arbitrij nonnulli nimium tribuerunt; propterea anè, tuam Perseverantiam fatalem impugnando*

*uando peccarunt? Quin imò in illo lapsi sunt, in hoc steterunt.*

VII. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ sive de simplicitate prælatorum pag. 394. Nec quisquam miretur, etiam de confessoribus quosdam adista procedere, inde quoq; aliquos tam grandia, tam gravia peccare. Neque enim confessio immunem facit ab insidijs Diaboli, contra tentationes, & pericula & incursus, atque impetus seculares adhuc in mundo positum perpetua securitate defendit.

*Regerit* Crocius se huic loco subscribere. Nam & confessores graviter peccare posse; & non omnes salvificè credere. *Resp:* 1. *Loquitur de confessoribus verè fidelibus, qui non possint esse securi, in hoc seculo positi: Sed gravissima & grandia maximè peccata quandoq; perpetrent.* 2. *Sermo est de ejusmodi peccatis, quibus quidam fideles deficiunt & pereunt. Subijcit namq;:* Cæterùm nunquam in confessoribus fraudes, & stupra & adulteria postmodum videmus, quæ nunc in quibusdam videntes ingemiscimus & dolemus. Quisquis ille confessor est, Salomone major aut melior, aut charior non est, qui tamen quandiu in vijs Domini ambulavit, tamdiu gratiam, quam à Domino fuerat consecutus, obtinuit. Postquam dereliquit Domini viam, perdidit & gratiam.

Tractat. 3. de simplicitate prælatorum pag. 396. edit Col. An. 1522. in 8. Nam, *inquit*, & Judam Dominus inter Apostolos elegit, & tamen Judas Dominum postmodum prodidit. Non tamen idcirco Apostolorum fides & firmitas cecidit, quia proditor Judas ab eorum societate defecit; Sic & hic non statim confessorum sanctitas & dignitas comminuta est, quia quorundam fides fracta est. Beatus Apostolus loquitur in Epistola sua dicens: Quid enim si exciderunt à fide quidã illorum, nunquid infidelitas fidem evacuavit? Quæ Crocius excipit supra diluimus.

De bono Patientiæ pag. 466. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus. Admonet, ne quis impatiens in operatione deficiat, ne quis tentationibus aut avocatus, aut victus, in medio laudis & gloriæ itinere desistat, & pereant præterita, dum quæ ceperant desinunt esse perfecta. Sicut scriptum est, justitia justi non liberabit eum in quacunque die exerraverit. Et iterum: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.*

Lib. 1. Epistolarum Epist. 5. p. 52. b. Salomon denique & Saul & cæteri multi, quandiu in vijs Domini ambulaverunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt, recedente ab his disciplina Dominica, recessit & gratia. *Regerit, de externa, non de gratia regenerationis affirmari pos-*

posse pag. 353. *Resp nuda tua assertio sine argumento*, Croci, *petit principium, & inanis est. At p. 202. dixeras* Salomonem Sauli *absurde comparari. Resp. 1. recte comparari supra est ostensum. 2.* Ambrosium *de renatis loqui argumentum totius Epistolæ clamat. Præmittis enim verbis allegatis ista*: Sicut fides ipsa & nativitas salutaris non accepta, sed custodita vivificat. Nec statim consecutio, sed consummatio hominem Deo servat. *Quod ex exemplis recensitis inter alia, probat. Et rursus Ep 3. l. 1.* Spiritum Sanctum discedendo amittunt. Si qui aut perfidia prævaricati, aut superbia inflati, ab unitate, Ecclesiæ segregantur.

IX. Athanasius orat. 4. contra Arianos. Gratia Spiritus Sancti discipulis data est, ut inconcussa & irrevocabilis in ipsis permaneret. Quod & Apostolus, quum sciret, dixit, Quis nos separabit à dilectione Christi? Irrevocabilia enim sunt dona Dei & gratia vocationis. Quum igitur quis ob scelera sua ab isto spiritu excidit, gratia quidem irrevocabilis manet in ijs, qui volunt, sed si quis excidat, non est amplius in Deo, is qui cadit, quia recedit ab eo sanctus & paracletus spiritus: sed est in eo, cui semetipsum subjecit peccator. Sicuti Sauli accidit, recessit enim ab ipso spiritus Dei, & afflixit eum spiritibus malus. Hæc audientes theomachos oportebat imposterum pudore suffun-

di. *Excipit pag. 354.* & exagitat Athanasium *inquiens*, Hæc oratio nimis adulatur libero arbitrio, quum asserit gratiam quidem manere, sed in ijs qui velint. *Resp. Nisi* Crocius *negaturus est, sanctos non posse velle gratiam abijcere, aut Spiritui Sancto, in ijs salutem operaturo & consummaturo locum dare, ut gratia & fides conservetur,* Manichæus *evadet. Quod alibi fusius ostendi. Discat igitur Crocius quid sit Pelagianum si ignorat.*

Basilius ad Chilonem. Quid prodest homini hesterna ventris satietas, si hodie insitæ famis solatium ex cibo non inveniat? Ita & animam nihil juverit, quod heri rectè vixit, si hodiè quod justum est non fecerit. *Qualem enim inquit, invenio te, talem te judicio. Excipit* Crocius pag. 354. Patrem *hunc* ad perseverantiam ac prudentiam inflammare: non ai, docere renatos penitus excidere posse, Dicat enim, cautus esto: nam in medio laqueorum incedis, & muro sublimi inambulas, unde corpori multum periculi est, si decidas. *Resp. NB. axiomata ista: 1. justus potest heri rectè vixisse, hodie injustè. 2. justus potest malus inveniri, judicari & deficere à sua justitia omni ex cap. 33. Ezech. 3. Potest ut Giezi, David, Salomo, & Judas labi. Hæc n. exempla subijcit. 4. Qui injustè vivit, decidit, quasi de muro sublimi.*

5. qui

*9. qui ita dicidit, velut fera, quæ capitur, occidi-tur, Ex istis evanescit Crocij audax inficiatio.*

*XI.* Gregorius Nazianzenus *Serm. de Pen-tecoste & Spiritu S.* Proinde Christum concul-cant, qui malè vivendo, de tabernaculo cordis sui eum expellunt.

*Rursus fol. 61. Edit. Basil. in fol. An. 1531.* Sed & promissio illa (*spiritus*) tanquam abundans, quod perpetuò una nobiscum conversaturus, & simul permansurus esset. Sive nunc cum ijs, qui in tempore isto digni sunt, sive postea, cum illis, qui in venturo seculo digni erunt, si eum nostra saltem conversatione, integrum conser-vabimus, & non assiduis peccatis repellamus.

*Iterum alibi.* Deus his quidem lumen est, illis autem ignis, unicuique autem secundum materiam & qualitatem subjectam. Quid verò deprehendimus in Saul? Unctus erat & spiri-tum receperat, eratque tunc spiritualis adeo ut nec ego alius, quam ille tunc erat, fieri vellem? Sed & prophetabat, idque adeo præter spem tamque inopinatè, ut miraculum illud abierit in proverbium. Postea verò non totum se præ-buit spiritui, neque purè sed in alium con-versus est virum.

*Opponit Crocius pag. 555* dici de diversis personis. Deus sit lumen ordinatis ad vitam æ-ternam, *ignis* consumens coagmentatis ad in-

interitum. *Resp. Nihil ad rem. Nam ut Deus credentibus est lumen, sic recedentibus & incredulis, à Satana & sua incredulitate ad interitum coagmentatis; nullo autem modo ad eum à Deo prædestinatis, evadit ignis consumens. Sic Sauli (quod exemplum Nazianz. subijcit) illuminato & spirituali erat lumen, recedenti verò ignis consumens fiebat. Itaq; frustra regerit adversarius, Saulum non dici hic regeneratum. Numquid enim potest esse infidelis, qui recepit* Spiritum S. & fuit spiritualis? *Num Nazianzenus infidelis esse, aut nudam prophetiam, sine salvifica fide cupiebat, optans non alius esse atq; tunc Saul erat? Denique Saulem primum se præbuisse spiritui asseverat, & totum: postea non totum nec purè: Sed in alium conversum esse virum, non sanè ex hypocrita (qualis evadebat in justum: Sed ex justo & renato in injustum & apostatam.*

XII. Ambrosius Serm. 47. Ambulaverat in mari Petrus, magis dilectione quam pedibus. Illi mox fatiscente fide, fatiscit semita: tunc illum Dominus objurgat, dicens, modicæ fidei, quare dubitasti? h, e, cur tam parvæ fidei es, ut qui credendo ambulare cæperas, non id perseverando transires? scriptum est enim, Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit. Sed dum cunctaris & dubitas, ter quod ingressus fueras perdidisti. *Reclamat* Grocius p. 356.

pag. 356. Petrum *non defeciſſe penitus, ſed dubitaſſe & infirmatum eſſe. Reſp. Imò diſerte ait, eum* credendo *ambulare cœpiſſe, ſed non* perſeveraſſe 2. *Qui dubitat non eſt in fide Jacob.* 1. *v.* 6.

XIII. Chryſoſtom. *in Cap.* 9. 1. *Cor.* Si Paulus, qui tam multos docuit, tamen poſtquam prædicaſſet, timuit ne reprobus fieret, quid nos dixerimus? Ne enim exiſtimetis inquit, quoniam credidiſtis hoc vobis ſufficere ad ſalutem? Nam ſi mihi prædicaſſe, docuiſſe, innumerabiles adduxiſſe, non ſatis eſt ad ſalutem, niſi meæ quoque actiones ſint ejuſmodi, ut in eas nulla cadat reprehenſio, multò magis vobis.

Regerit Crocius pag. 357. *hîc* non dici renatos penitus deficere poſſe. *Reſp.* 1. *Nos ſupra ex iſto loco Pauli evicimus.* 2. *Poſſe fieri idem Pater aſtruit, exemplis capite decimo recitatis, ſubijciens.* Inde ad alia rurſum venit (Paulus) exempla: quemadmodum, & ſuperius Apoſtolorum opera & communis conſuetudinis & ſacerdotum, & ſua etiam poſuit: ita & hoc in loco, quæ in Olympiacis certaminibus, & quæ ipſe facit adducens, ad veteres procedit hiſtorias, & cum gravius loqui deberet, communem facit admonitionem, neque de propoſitis tantum, ſed de communibus ſimpliciter Corinthiorum morbis loquitur.

Exci-

*Excipit deinde ostendi*, vanam esse de nuda fide gloriationem, quæ ab operum probitate sit abjuncta. Nec externas officij partes quenquam ad salutem perducere. Denique retundi confundique confidentiam carnis. Quod ex comm. super vers. 12. Cap. 10. hujus Epistolæ elicere desudat. *Resp. Crocius ex ipsis his, quæ adduxit pro sua sententia, verbis confunditur. Nam 1. tollit confidentiam, inquiens:* Qui videtur, aut qui existimat se stare, videat ne cadat. Hoc enim non est stare ut stare oportet, sibiipsi confidere nam citò cadet, qui est ejusmodi &c. 2. Ait in fidè stantes posse cadere & perire, *inquiens post paucà*: Itaque si stetisti, cave ne cadas. Hoc in loco, stare, non firmiter significat, quo usque præsentis vitæ calamitatibus liberemur, & ad tranquillum portum appellamus. Nolito igitur si stas nimium tibi confidere, sed cave ne cadas. Nam si Paulus, qui omnium firmissimus erat, formidavit, longè magis nobis formidandum est. Apostolus quidem dicebat. Itaque qui existimat se stare, videat ne cadat. Nos autem non poterimus hoc dicere, cum, ut ita dicam, supini & depravati, humi jaceamus. Quare postea monet, non ut non cadamus, sed ut si prosternamur, resurgere possimus & velimus. Posse a renatos *cadere supra exemplis Corinthiorum probarat & Israelitarum, infra alijs illustrat.* Pos-

se

*le vero eosdam resurgere similiter exemplis & locis scripturæ comprobat.*

*Idem in 1. Corinth. cap. 13.* Charitas quidem ex se nunquam excidit, sed nos ab illa interdum excidimus. Et supra Ps. 50. Recepit (David) post pœnitentiam Spiritum S. si autem Spiritum S. recepit, solutum est peccatum, suscepta pœnitentia, restituta est gratia.

Ibidem: Redde quam habebam, quam peccando amiseram, exultationem salutaris tui, utique Christi tui.

XIV. Hieronymus l. 2. adversus Pelagianos. Ne beatum dixeris quempiam ante mortem: quandiu enim vivimus, in certamine sumus. Quandiu in certamine nulla certa victoria. *Grocius p. 358. ait esse locutionem* parabolicam. 2. licet non persæpe militibus, tamen Deo & considerantibus diligenter exercitum certam esse victoriam. *Resp. ad 1: parabolas in scriptura explicatas, & ex suo scopo æstimatas parere etiam apodicticum argumentum. 2. Ut in certamine non est certa hujus vel illius dimicantis victoria, sic nec in prælio spirituali. Deinq, victoria non residet penes robur militum, sed in manu Dei.*

*Idem in Cap. 5. Oseæ.* Quæritur, cū tenente Deo, nullus de manibus ejus potest eripere, juxta illud quod scriptum est, Nemo potest rapere de manu patris mei, quomodo Judas de manu

Dei

Dei proditione sit raptus? Ad quod breviter respondebimus, Nullum posse rapere de manu Dei, posse autem eum, qui tenetur, propria voluntate de manu Dei excidere.

*Crocius pag. 358. nihil habet, quod opponat,* quam quod ejusmodi externè fuerint in manu Dei, & opinione tenus. Neque enim verè renatus propriâ voluntate inde excidat. *At verò & clara sunt verba; &, quæ huc spectant præterea, ex* Resolutione testimonij *Johan. 10. repeti jubeo.*

XV. Augustinus *l. 11. de Civit. D. c. 12.* Esset autem æterna *(protoplastorum felicitas)* nisi peccassent, cum hodiè non imprudenter beatos vocemus, quos videmus justè ac piè cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere, sine crimine vastante conscientiam, facilè impetrantes de peccato hujus infirmitatis divinam misericordiam. Qui licet de suæ perseverantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseverantia reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione profectuque justitiæ perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re justo latentique judicio non omnes instruit, sed neminem fallit.

*Crocius regerit* pag. 360. sanctos ex sese non esse certos, sed *ex* fide. 2. Augustinum loqui de certitudine scientiæ, non fidei, Aliâs sibi non con-

consentanea docuerit. *Resp. 1. Nihil ad rem. Licet enim certitudo sit ex fide, tamen quandoq; infirmantur in eâ: nec, an perseveraturi sint, absolute norunt. Ad. 2. Resp. de utraq; loqui* Augustinum, *tam hîc, quàm alibi. Neq; enim hoc proferens contraria docuit. Confer, quæ passim ex illo protulimus.*

*Idem* de Correpț. & Grat. c. 5. Si jam regeneratus & justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certè non potest dicere, Non accepi, quia acceptam gratiam Dei, suo in malũ libero amisit arbitrio.

Cap. 12. Ex bona quippe in malam vitam, sua voluntate mutati sunt: & ideò corripiuntur. Et si nihil eis correptio profuerit, sed in vita perdita usq; ad mortem perseveraverint, etiam divina in æternum damnatione digni sunt: quoniam potest dici homini, in eo, quod audieras & renuebas, perseverares si velles.

*Quæ Crocius de gratia divina* indeclinabiliter & inseparabiliter agente *opponit, suo sunt confutata loco.*

XVI. Prosper l. 2. de vocatione Gentium c. 37. De nullo ante ipsius finem pronunciari potest, quod in electorum gloria sit futurus, ut perseverantem humilitatem utilis metus servet, & qui stat, videat ne cadat, si fortè aliqua victus tentatione corruerit, non absorbeatur tristitia,

nec de ejus miseratione diffidat, qui allevat omnes qui ruunt, & erigit omnes elisos. Dum enim in hoc corpore vivitur, nullius est negligenda correctio, nullius desperanda reparatio. Oret igitur sancta Ecclesia, & pro ijs, qui crediderunt, gratias agens, proficientem in eis perseverantiam petat: pro ijs autem, qui extra, fidem sunt, poscat ut credant. *Reponit* Crocius pag. 361. hîc non asseri justos penitus deficere. 2. Pastoribus prudentiam commendari ne temerè pronuncient de auditorum suorum salute aut interitu. *Resp. si de renatis non est pronunciandum, ipsos fore electos: Sed omnes stantes monendi sunt ne cadant: & lapsi, ne absorbeantur; sanè fide elabi possunt; nisi metum ex pelvi futurum pronunciaveris. Atqui prius est. Ergo. Vigil. Martyr. l. 1. p. 2. Arrius enim qui dudum ab eo, tanq. sacrilegus fuerat relegatus: ad necem fidelium animarum de exilio revocatur.*

Alterum *1 Resp. VII. ad capit. Gal.* Ex regeneratis in Christo Jesu, quosdam relicta fide & pijs moribus apostatare â Deo, & impiam vitam in sua conversione finire, multis (quod dolendum est,) probatur exemplis. *Crocius ob nimiam claritatem, sicco præterire pede voluit.*

XVII. Gregorius *l. 6. in l. prior.* Regum. Sciri non potest, an quis in gratia, quam recipit, perseverare in perpetuum debeat. Quid ad hæc Cro-

Crocius? Pag. 361. refert, aliud esse justum non deficere, aliud non sciri posse. Licet enim non sciamus, tamen ob revelationem divinam credamus. *Resp. 1. Fatetur* Gregorius *illum, qui accepit gratiam, non perseverare in ea in perpetuum posse. Annon id satis est perspicuum apostasiæ possibilitatis documentum? 2. Fides requirit verbum; Quod hactenus proferre de perseverantia necessaria & immutabili nequivisti Croci. 3. Male scire & credere opponis, quæ instar causæ & effectus, cohærent.* Paulus *inquit Rom. 10. v. 17.* Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. *Psal. 116. vers. 10.* credidi, propterea loquar. *Ignoti est nulla cupido, nulla ex eo fides.*

XIIX. Bernhardus Serm. 2. de resurr. *Domini.* Refrigescente charitate, fides moritur, sicut corpus anima recedente. Sed sunt nonnulli, qui cum spiritu cæperint, heu! carne postea consummantur. Scimus autem, quia jam non permaneat in eis spiritus vitæ, quia scriptum est: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Quod si non permanet spiritus, haut dubium, quin excidat charitas, quæ nimirum diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

*Impudens est* Crocius *pag. 363. negans* Bernhardum *hic docere, justos nonnullos penitus desisere. Num in eo fides manet & non deficit, in quo*

*moritur? Qui, cum spiritu cæpisset, carne consummatur? Quinimò & Spiritum S. in illis non permanere, & Charitatem, quæ est diffusa in cordibus nostris per Spiritum S excidere ait. Neq; si Pater iste ita sensit, ex Papatus nævis, sed verbo Dei sensit.*

*XIX.* Lyra *in Jos. cap. 3.* Anima fidelis & plena judicij, dum Deo obedit, Deus in ea habitat: Si autem à Deo recedit, non loco, sed merito, habitatur à malignis spiritibus, qui sunt homicidæ animarum. Crocius p. 363. applaudit cum gaudio. *Noverit autem* Lyram *docere ex subjecta materia, animam non tantùm posse deficere, sed quandoq; actu deficere,* & à malignis spiritibus, tanquam illarum homicidis, habitari.

*Plura quidem* Patrum *loca adduci quivissent, si instituti ratio ferret. Remittimus autem Lectorem ad* Tom. *IV. LL. CC* Dn. D. Gerhardi, *ubi abundantem copiam reperiet.*

Melanchtoni *sanctorum apostasian propugnanti, opponit* Crocius Lutherum. *Atqui hoc est, in præsenti negocio, unanimos committere fratres.* Lutherus certè apostasiæ δύναμιν *in A. C. asseruit. Imò & passim in suis scriptis, ut Tom. 1. Germ. Witeb. fol. 552. super v. 9. Epist. Pet. 2. c. 2* Das rumb gehet er dahin/vnd tastet wie ein Blinder am Wege / in einem ungewissen leben / vnd vergisset das er getaufft vnd jhme die Sünde vers

vergeben sint / wird vndanckbahr, etc. *Et fol. 564. b.* Wen sie aber nun in der Tauff den entflohen sint / werden sie darnach wider drein geworffen / das sie widerumb von Glauben auff jre eigen thun treten etc *Rursus ibidem.* Es bekennet der *Apostel* / das sie den Weg der warheit erkennet / vnd das heilige Gebott empfangen haben / vnd fein gewust / wie sie gleuben / Christlich leben / jhre Creutz in gedult tragen / vnd endlich der ewigen Seligkeit gewiß hoffen solten. Dabey sey es aber nicht allein blieben / sondern sich davon gewand / welches der Teuffel gar bald kan zu wege bringen / etc *Vide etiam fol. 117. sup. c. 3. ad Gal & fol. 118. b. f. 239. b.*

*Frustra quoq; laborat, p. 364.* Philippum Philippo *opponens. Nam fidei naturam esse vincere, supra concessimus: Verum in illis, qui servant & nō abijciunt & conculcant.*

*Accedit consensus nonnullorum* Calvinianorum, *ut* P. Martyris *in LL. CC. p. 910. scribentis. Ajunt*, qui verè credūt, cū labūtur in gravia peccata, & nihilominus ea credūt quæ prius, absq; fide dici non poterunt, cum tamen charitate sint spoliati? cæterùm, non admittimus, eos dum in peccatis versantur, fidem habere; Apostolus enim testimonium illis defert, quod fateantur, se nosse Deum, sed factis illum negent. At cum solidâ & vera fide negatio Dei minimè consentit. Ideo isti potius simulachrum & spectaculum fidei, non autem veram fidem retinere dicentur

Ejusmodi loca plura in Martyre *observantur. Proinde desinat Crocius quiritari nos non candidè eum ipso agere.*

Eadem est Musculi Dusani *sententia in LL. CC.* Tit. de Remiss. Peccat. fol. 621. *Quæ licet* Crocio *non videatur gravis sibi, revera tamen dissentit, inquiens*: Quid mihi videatur, idemq; absque illorum injuria, liberè dico. Fuit & *Bulingeri* in Commentario *Cap. 2 Apoc.* & Ursini in Catechismo p. 387. 389. Francisci Junij, *ad cujus verba*, à Bertio *citata*, Crocius regerit pag. 368. ipsum nihil à se diversum opinatum fuisse; In altero n. loco excitet nostram solicitudinẽ, in altero verò voce justi ὁμωνύμως utatur. *At verò loci inspecti arguunt, hic peti principium à Crocio illic falli, oppositorum committi. Et* Hemmingij *ubi* Crocium *habemus* ὁμοίψηφον, *Item* Henrici Molleri *in Psal. 51. dicentis.* David amiserat Spiritum Sanctum per peccatum, & privatus erat donis: itaque ipso *(spiritu)* discedente aut non regente Davidem, Cor statim pollutum est omnis generis sceleribus. Ideo petit, rursum in se creari cor mundum, id quod Apostolus dicit Actor. 15. purificatum fide, à peccatis scilicet & reatu, ut rectè sentiat de Deo, verè agnoscat Deum sine hypocrisi aut simulatione, sed accedat eum, invocet eum, credat in eum, timeat eum, obediat ei, &c. *Excipit* Crocius p. 367.

pag. 367. 368. Recessisse à Davide, quando principijs spiritus, rectè agendi acceptis, non sit benè usus, at non recessisse, quantum ad principium illud, quo Christum intuebatur, in eum credebat. *Resp. Petit principium, fingens Davidem retinuisse principium spiritus & fidei, principia v. rectè agendi, hoc est, fructus amisisse fidei.* Deinde: *ubi non est fructus fidei, ibi nec ipsa fides. Fides enim vera non est otiosa: Ex fructibus arbor agnoscitur Matth. 7.* Tertiò; *notentur ista verba: David amisit Spiritum S. 2. erat privatus ejus donis. Ergo & fide, quæ est donum spiritus. 3 spiritus discessit & non rexit Davidem. Ergo non fuit filius Dei Rom. 8. v. 14. non adfuit. 4. Discedente spiritu & non regente eum, cor est pollutum omnis generis sceleribus. Nam Spiritus S. non habitat in templo, tamq; fœdè polluto hospitio? 5. cor illud pollutum non nisi fide purificatur. Ergo fidei anima non erat in eo &c.*

*Stat quoq; à nobis* Victorinus Strigelius *in LL. & alij, de quibus consuli possunt LL.* Dn. D. Joh. Gerhardi *absolutissimi. Adeoq; vetustiores Calviniani plerig; horrendum istum errorem improbarunt, à quibus recentiores divortium fecerunt. Verùm noverint eũ antiquitus in* Joviniano *testibus* Augustino & Hieronymo, *fuisse damnatum, & nostro tempore* in Augustana confessione & Formula Concordiæ.

LIBRI QUARTI FINIS.

# DE LIBRO QUINTO PERſeverantiæ Crocianæ.

*Licet pleraq; , quæ in* libris tribus *ſequentibus occurrunt, perſonalia ſint, rixasq; mutuas* Crocij & Bertij *continentia; pauca rem concernant: Tamen, ne labor ſit mancus, ac præterea, quòd* Crocius *ad nonnulla argumenta & res, ſupra tractatas, aliquid excipere conetur, eos obiter percurremus: ſed ita, ut, quæ ſemel confutata ſunt, prætereamus; facta tantum pagina, qua continentur ea, mentione.*

*Igitur p. 424. limitare* Crocius ſuam dubitationem *deſudat Lib. 1. p. 4. aſſertam, inquiens:* Etſi enim nonnulla in objectionibus adverſarijs implicata videantur, nihil tamen impedit, quin noſtra ſententia exiſtat explicata. *Reſp. Sententiam adverſarius ſuam explicare ſat poteſt, & nihilominus de rei veritate dubitare. Hoc ſanè nihil novi eſt.*

*Ait ibidem ſcripſiſſe ſe, quædam ſcripturæ dicta videri pronunciare diverſum. Reſp. Hac de re ſupra p. 3. & 8. egimus. Hic tantũ notamus;* quædam *ſcripturæ dicta, ſalutem & fundamentales articulos non concernentia poſſe dubii & obſcuritatis aliquid involvere: non autem teſtimonia* ſcripturæ, *quibus fides ſuperſtruitur: De quibus hic vertitur quæſtio.*

Pag.

*Pag. 426. 427. 430. impugnat* Crocius *nostrum argumentum*, à baptismo *desumtum, in quo peccatores & desertores fidei, in fœdus divinum, æternum fuerant recepti, ac gratiam & Christum induerant, dicendo:* Non omnes eodem modo recipiuntur in fœdus & in gratiam, Christumq; induunt, qui baptizantur. *Et tamen ibidem scribit:* Nos quoque nihil dubitamus, quin fidelium infantes, quotquot baptizati sunt in nomen Jesu, recepti sint in fœdus & in gratiam, Christūquè induerint. *Quæ ut conciliet ait p. 430.* Alij in federe sunt sacramentotenus, ut *(quod falsū)* ex Augustino hic testantur Theologi Helmstadiani, alij vitæ sanctificatione tenus. Illi quidem excidere possunt, hi non item. Etenim sacramenta tam impijs, quam pijs in Ecclesia sunt communia: at res sacramentorum non item. *Hæc Crocius, qui quidem ad censuram Dnn. Theologorum* Helmstadiensium, *sed non sine dolo & crimine, provocat. Illi enim luculentum, inter adultos & infantes, constituunt discrimen, statuentes, ex* illis *non nisi credentes esse regeneratos,* hos *verò prorsus omnes regenerari. Verba illorum, in sese satis perspicua, sunt hæc:*

Quoniam verò etiam eò deventum est, ut id utrinque de adultis concedatur, & quidem rectè, idcircò negatio hujus universalis, quod non illicò omnes baptizati regenerentur, non

potest esse Sacramentaria. Et quoniam dicta Roman. 6. Gal. 3. tunc scripta sunt, quando plerique omnes jam adulti baptizabantur, restrictionem, quæ in Majori Catechesi extat, facilè admittunt. Quemadmodum etiam illi, qui paulò ante aliter docuerunt, nunc Augustini dictum approbant, quod lib. 5. contra Donatistas de Baptismo c. 24. scripsit. Induunt homines Christum aliquando usque ad sacramenti perceptionem (scil increduli) aliquando etiã usq; ad vitæ sanctificationem. Atque illud primum, & bonis & malis potest esse commune, hoc verò alterum proprium est bonorum & piorum. *Interserunt multos ex judicio charitatis dicti sanctos, & subijciunt*:

Quod si ita sentiendum est de adultis, in quibus sæpe varij defectus & graves lapsus deprehenduntur, prout sanè Erasmus mirabiles sanctos laudavit: multò minus de baptizatis infantibus judicandum est, non omnes revera sanctos filios in baptismo factos esse, sed hoc indubiè tenendum atq; affirmandum est, infantem in baptismo VERE per divinam omnipotẽtiam regenerari. *Et post pauca.* Interea Deus (*loquuntur de infantibus ante baptismum denatis; & hypocritis adultis, qui nihilominus post acceptum baptismum per verbum possunt converti*) non, sicuti nos, ad media est alligatus, sed

sed quemadmodum Augustana confessio artic. V: Per Evangelium, ait, & sacramenta *dat Deus Spiritum Sanctum, qui fidem, ubi & quando vult in (adultis) ijs, qui Evangelium audiunt, operatur. Hactenus venerandi* Helmstadienses: *qui licet non omnes, qui adulti baptizantur, regenerari concedant; & recte: nullum tamen infantem baptizatum, in baptismo regenerari negant, sed* indubiè de omnibus *adstruunt. Quin ipsis cõtradicis in faciẽ Croci, clamans paucos regenerari, & plerunq; alio tempore illi omnes infantes in baptismo regenerari sanctè scribunt Repetantur nostra argumenta ad cap. 2. l. 3 annotata.*

*Non quiescit* adversarius, *sed ex scripturæ locis quibusdam evincere nititur suum enunciatum:* quod sc. baptismus non obsignet certo omnibus liberis fidelium gratiam Dei, sine ullo discrimine. Nos probamus ex verbis Christi Joh. 3. v. 5. Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu non potest introire in regnum Dei. *Confer cum istis Verba Pauli Tit 3. v. 5.* Deus salvos nos fecit per lavacrũ regenerationis & renovationis (*quẽ locũ* Crocius *de baptismo loqui cõcedit p. 163. in* Assert. Aæ C.) Eph. 5. v. 26. Christus mundat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo. *1. Pet. 3. v. 21.* baptismus nos salvat: Est bonæ conscientiæ stipulatio erga Deum. *Quæ testimonia omnia, si quis negaret de baptismo esse accipienda, aut non propriè quod promit-*

*mittunt, efficere, consulat Dn.* D. Wynckelmannum, In Necessaria *Responsione contra Tossanum*, & Dn. D. Mentzerum; *præceptores meos venerandos, in Diss 3.* Censuræ Crocianæ, *th. 34. & seqq. Unde fluit,* Quotquot infantes in peccatis sunt concepti & nati; sunt caro, & baptizantur: illi regenerantur omnes; salvantur, & habent stipulationem bonæ conscientiæ.

*II. Infantes omnes debere baptizari probat* Crocius *in Assertione p. 159 th. 49. ex his locis, Matth. 28. v. 20. Actor. 2. v. 39. Matth. 19. v. 13. Marc. 10. v. 14. Luc. 18. 15. 16. Quæ cum fidem infantibus attribuant & favorem beneplacitumq; divinum: quare eos omnes regenerari & fide donari negat?*

*III. A Confessione Aa. variata, ad quam Crocius provocat. Quæ habet p. C. 4. b.* Homines sine fide sint in potestate Diaboli. Artic. 9. Quod per Baptismum Offertur gratia Dei &c. Rursus: docent, quod infantes per baptismum Deo commendati, recipiantur in gratiam Dei, sicut Christus testatur, loquens de parvulis in Ecclesia, Mat. 18. Non est voluntas patris vestri, qui in cœlis est, ut pereat unus.

IV. Probatur ab universali affirmatione Paulina Gal. 3. v. 26. Omnes filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicunq; enim in Christum baptizati estis, Christum induistis.

In

*V. In fatēs habere fidē cōſenſu nōnullorū Calviniano rū, inclareſcit, ut* Polani *in* Synt. *l 9. c. 6. f. 580.* Qui id probat his 7. argumētis. Quia I. ſint in fœdere gratuito Act. 2. 19. & 3. 25. II. Quia illis promiſſum ſit regnum cœlorum Matth. 19. 14. Quia placeant Deo & juſtificentur coram ipſo Mat. 19. 14. Heb. 11. 6. IV. Quia Chriſtus ſibi adduci jubeat. Matt. 19. 14. Quid ita? Quia vita ſit, ut eos ſuis bonis participes faciat & vivificet: *V.* Quia Chriſto inſerantur, Chriſti participes fiant: aliōqui n. manerēt filij Adami & morti adjudicarentur &c. VI. Quia promiſſus ſit illis Spiritus Sanctus & revera donentur Spiritu Sancto, qui non poſſit eſſe in illis otioſus, ſed ab eo ſanctificentur & regenerentur. VIII. Quia ſalutem obtineant æternam: licet in infantia moriantur, etiam in utero materno, jam v. certum eſt neminem ſalutem æternam conſequi, niſi per fidem. Sohnius *Tom. 2 p. 722. licet* infantibus ſecundū ſpeciem *attribuat fidem, tamen teſtimonia pro ejus ſententia adducta, de fide ſecundum individua loquuntur. Aretius in Problem LXXX. de Baptiſmo fluctuat. Scribit nihilominus* : Sed & illud, (inquiens) præſumptuoſē facit, quod infantibus planē fidem negat: Et Auguſtinus non dubitat illis eam tribuere. *Iſtant Calv. ſe loqui de fide habituali fœderis, Chriſti: Atqui v. ut juſtificatio ipſa actio eſt, ſic fides juſtificans eſt actio: qua*

*non*

*non nisi per verba Activa describitur. 2. Fides, ut & habitus Christum non fiducialiter apprehendit, sed ut est actus. 3. Ut fides est habitus est in prædicamento qualitatis: in quo si justificaret, ut opus aut dignitas virtusve inhærens justificaret.* Atqui *Instat Polan. & Sohn. se loqui de infantibus electis. Resp. 1. Loca adducta de omnibus infantibus Christo oblatis agunt. 2. quæ si non nisi de absolute electis agerent, parentibus pijs omne solatium periret.*

*Plura argumenta in Resolutione testimonij Jer. 31. & 32. ac l. 3. c. 2. sunt allata, quæ huc repetenda sunt.*

*Verum objcit* Crocius *pag. 431.* in Perseverantia, *sacras literas distinguere inter filios carnis & promissionis, Rom. 9. v. 6. 7. 8. Matth. 8. 11. 12. Resp. 1. testimonium Rom. 9. v. 6. 7. 8. non asserit Ismaelem esse damnatum; quem constat salvatum & collectum ad populum suum fidelem Gen. 25. v. 17. Accedit, quod cum fratre Isaaco in gratiam rediret ibid. v. 9. Sed nec omnes* Ismaëlitæ *perierunt teste* Ieremia *c. 49. v. 11. Obad. 1. v. ult. Quare non spirituali prærogativa,* sed corporali; nec *promissione Christi fidei, sed illius ex sese nascituri, privatur. Qualis collectio damnatis nunq. tribuitur; nec potest quidem. Nam in collectione ista & ordo Dei bonus observatur, & bonum quid exprimitur*

mitur & tantum de bonis usurpatur phrasis; nihilq; horum reprobis adscribi potest.

Objcit quidem Pisc. in quæstio. in Pentateuch. Illud Act. 1. v. 25. At v. Judas nõ collectus ad populum suum scribitur, sed abiisse in locum suum: quæ phrasis à priori diversissima est. Sic David quidē 2. Sam. 12. v. 23. abiturus erat ad filiolum suum, per beatam collectionem non verò abiturus in locum suum perhibetur. Neq; Apostolus Gal. 4. contrariū docet; ex parente & loco habitationis ducens argumentum, non de finali salute Isaaci & Ismaēlis. 2. Nec Christus Matth. 8. filios regni in Judæâ fuisse regeneratos negat, verùm propter incredulitatem, quæ fœdus & fidem ruperunt, ejiciendos esse, & gentiles credentes salvandos prædicit. Non n. est illi sermo de infantibus, sed de adultis.

Unde & brutum fulmen parit argumentum Crocij hoc. Quibus verbo nihil promittitur, ijs sacramento nihil obsignatur. In verbo enim & sacramentis (pergit) eadem est substantia veritatis. Atqui filijs secundum carnem nihil promittitur. Ergo. Ubi 1 Minorem, ex absoluto decreto Dei, quod fingunt; particulari Dei dilectione & fœdere Christi & merito; sacramentis ac fide particulari ebullientem, inficiamur. Adeoq; doctrina, quæ ista negat, & argumentis confictis tantam parentibus consolationem eripit, est revera horrenda, Diabolica, blasphema, & omnibus pijs inimica.

De-

*Denig; notentur ista* Crocij *verba p. 432: Ne* quis opinetur, me damnare fidelium baptizatos infantes, qui in infātili ætate, ante annos discretionis commoriuntur, exertè ibidem scribo: De omnibus interim, qui gratiā Dei per infirmitatem ætatis aut rationis refutare non possunt, ex lege charitatis optimè sperandum est. *Cum autem* Crocius *statuat, illis in fœdere & sacramentis, quos filios secundum carnem fingit, contra scripturæ genuinum sensum, nihil promitti & obsignari: nullius demortui infantis parentes potest consolari, nisi particulariter.* Aliqui infantes baptizati salvantur. Ergo & de tuo bene spero. O miserum solatium *scil. hi fructus sunt absoluti decreti: Firmius est illud Davidis 2. Samuel. 12. vers. 23.*

*Pag. 441. 442. negat* Crocius, se absolutam tueri perseverantiam, & scribit: Qui (Calviniani) nihil in tota rerum natura, præter Deum, absolutè necessarium esse facilè admittunt. *Resp. 1. si nihil est absolutum præter Deum: cur tu supra defendisti absolutum electionis decretum, & vi illius decreti, absolutè necessariam perseverantiam, pag. 49. Plura alibi diximus. Si verò annectere volueris istam quæstionem, An perseverantia sit ea; , at ea; Deus, necessaria, cordati te extra oleas vagari cernent.*

Exa-

## Examen eorum, quæ nos in capite secundo oppugnant.

Pag. 455. *producis* ex Bertio, Croci, *hoc firmissimum argumentum, & exagitas:* Si est apostasia à fide, aut in renatos, cadit, aut non-renatos, incredulos & reprobos. Non in illos. *Perpetuo enim robore ab apostasia defenduntur.* Nec in hos, *ut in quos fides salvifica non confertur. Quod enim quis non habuit, nec habet; imò, à quo habendo æternis legibus arceatur; id non potest deserere. Reprobi autem, secundum* Crocium, *ab istis bonis, æternis legibus, arcentur. Ergo non possunt ea deserere. Quocirca non habent, quibus istam affectionem attribuant, qui totum genus humanum in absolutè electos & reprobos distinguunt.*

*Negat* Crocius Minorem *p. 456.* quoniam multi ex reprobis, & vulgi & charitatis & verisimilitudinis judicio; quinimò verò aliqua etiam bona, per se salutaria, habeant, à quibus postmodum sua sponte discedant: qualia sint divinarum promissionum notitia, approbatio, sacramentorum participatio, quotidiana cum pijs conversatio, veritatis confessio & defensio se per salutaris. Resp. est fall. finis. *Nulli enim I. dătur divina & spiritualia bona eo fine & intentione Dei, ut ijs externè tantùm utatur, sed ad salutem.* Matth. 9. v. 13. Luc. 9. v. 56. 1. Tim. 2. 2. v. 4 5. 6 Rom.

*Rom. 5. v. 18. Unde II. nec externa illa professio & notitia est divinum & verum bonum: Sed potius vana nominis divini, contra secundum Decalogi præceptum usurpatio, & in os sublatio, in opere simulatio.* Deinde: *ob quod Deus odit & punit impios: id non est bonum, sed peccatum. Atqui ob externam divinorũ & spiritualium bonorum possessionem & notitiam atq; assensum, sine fide salvifica; Deus impios odit & punit Ergo &c.* Minorem *confirmat nobis scriptura Luc. 18. v. 11. 12. 1. Cor. 11. v. 19. 2. Thess. 2. v. 10. 11. Gen. 4. v. 5. Cainum sanctum simulantem se & externè pium Deus non respicit. Jer. 2. v. 22. Es. 1. v. 11. 12. 13. Ps. 50. v. 16. Roman. 10. v. 2. Judæi habebant Zelum, sed non secundum scientiam; eoq; paulò post delebántur. Apoc. 3. v. 16. filius Dei mavult frigidos, quam tepidos. IV. Querelæ tristissimæ & ingentes, de defectione Ecclesiæ à fide, in scriptura passim sunt obviæ, quæ defectionis à notitia & assensu; fide hypocritica, aut civili justitia, minimè queunt tribui; cum Spiritus Sanctus gaudeat, ob malorum à bonis separationem, & à fide non vera discessum ac manifestationem.*

*Vanè & non sincerè profers,* Croci, *quod scribis p. 457.* Hoc Dei beneficium *(civilis justitia & fides.)* per se est salutare, hoc est, in se & sua natura facit ad salutem. Verùm ipsis reprobis non sua, sed ipsorum culpâ salutare non est.

Quo-

Quoties igitur hoc beneficium reprobi abijciunt, toties fiunt apostatæ. *Resp. 1. Spiritus Sanctus non est hypocrita & tyrannus, alicui proponens, quod assequi non potest, nec eũ vult. At secundũ* Crocium *non datur fides & verbum reprobis ad salutem, aliàs salvarentur. Quis enim voluntati divinæ resisteret? Quin non possunt credere, juxta* Crocium, *denegato illis Spiritu S. & fide. Estnè hæc pessima tyrannis: nolle media credendi dare infidelibus: & tamen propter incredulitatem condemnare? Facit id Deus Calvinisticus: qui vult effectum, & nunquam in actu ponere voluit causas. Quare non est hoc beneficium Dei magnum & bonum ingens, quod nobis commendat* Crocius, *sed potius pessima divini nominis profanatio, qua (loquor ex hypothesi Crocij) nomen Dei in vanum allevant & dehonestant impij. Nec ejusmodi cõfessio, notitia & defensio fidei est theologice vera & bona, nec Ethicè quidem: Sed duntaxat logicè: quæ si salutaris est, vel in Diabolis erit salutaris & pia Jac. 2. Luc. 4. v. 41.*

*Deinde ibidem* Crocius *irascitur & cum stomacho scribit,* Parcarum tabulas sibi contra Dei verbum, communem sensum & experientiam confingi. *Resp. Nostrates Theologi non dicunt, absolutum Decretum esse Parcarum tabulas, sed illis in absolutè decernendo tam simile, ut ovum ovo vix sit similius. Ut enim illæ rebus absolutam & fa-*

*talem inferebant necessitatem: Sic absolutum decretum electionis electis, & reprobationis reprobatis ab æterno infert meram, simplicem, & absolutam necessitatem. 2. Transigat* Crocius *cum* Melanchtone, *si ipse ita vocitet absolutum decretum, non nobis succenseat & acerba asper tueatur.*

*Pergit ibidem*; Etsi reprobus ob suum incredulitatem & impœnitentiam æternis, & nunquam restinguendis addicatur flammis, tamen id, citra omnem culpæ respectum, ex decreti æterni absolutione esse nunquam docui, & nunquam sensi. *Resp.* Assertio *ipsa quidem (quod scil. qui ob incredulitatem damnantur, etiam ab æterno in consilio Dei propterea sint rejecti & reprobati, loco Joh. 3. & 18. & toti scripturæ conformis est: sed non* Calvinianis hypothesibus & canonibus Dordraecenis. At contra: Qui ob incredulitatem damnantur, illorum Deus ad salutem est misertus, ac Spiritum S. & fidem dare voluit. Ob quam enim rem fontes ad pœnas damnantur æternas, ejus contrarium omne rejecerũt. *Atqui, secundum* Calvinianos & Crocium, *ob incredulitatem* & impœnitentiam damnantur. Ergo illorum Deus ad salutem fuit misertus, ac Spiritum S. voluit dare. Propositio est *scripturæ Joh. 3 v. 16. 18. Rom. 11. v. 32.* Minor, *præter scripturam, ipsorum est Calvinianorum. Rursus:* Qui ob impœnitentiam damnantur, illis contritio & fides

(*quæ*

(*quæ sunt veræ pœnitentiæ partes, eam ab impœnitentiâ & rebus alijs distinguentes*) ex intentione & consilio Dei debuit conferri & dari. Consequentia *minimè fallit, quòd contraria sunt contrariorum jura. Insignis proinde est contradictio; sentire Deum ab æterno noluisse, ut impij crederent, & Spiritum S. & fidem acciperent, tanq. dona ab illis aliena: & tamen, eos ob impœnitentiam & dona ista non recepta & usurpata, condemnare. Rursus; ex hypothesi* Crocij, *pœnitentiam per mortificationem veteris & vivificationem novi hominis, efferentis, sic infero: Qui propter rejectam fidem & fidei effecta condemnantur, illis fides & effecta fidei debuerunt dari: adeoq; Christus ad illos spectat. Quibus* accedit *istud ἄτοπον, si impœnitentes ob peccata damnarentur, & tamen propter illa non essent reprobati: secuturum executionem decreti reprobationis, ab ipso decreto dissentire. Quod* Hasliaci *in Actis valde absurdum arbitrati sunt. Deniq; contra* Crocium *sic concludo. Nulla gratia & dona, quæ non dantur ad salutem, nec cum medijs salutis: sunt salutaria. Atqui fides & justitia, hypocritis & civiliter justis Crocianis, non datur ad salutem nec cum medijs salutis. p. 466. Vult enim illos Deus reprobatos esse, non salvos, nisi contraria velle dicturus sis.* Ergo non sunt illis salutaria.

*Multò minus* per se ad salutem dantur, *illamq; offer-*

*offerre reprobis possunt.* Nam causa per se est, quæ sua insita facultate & vi agit, suum finem respicit, & effectum producit. Atqui verbum, fides historica & assensus, Spiritu Sancto & fide salvificâ verbo denegata & demptâ, non per se agit, nec suum genuinum finem respicit; multo minus hominem regeneratum producit. Ergo nō est verbum causa per se agens, respectu impiorum; imò ne quidem est verbum Dei respectu *illorum. sed nuces cassæ & inanis irrisio.*

*Unde* & falsa & sophistica *sunt ista verba in sensu* Crociano, *quæ p. 468. affert:* credo, *inquiens*, & doceo Evangelium primò & per se omnibus offerre salutem, si credant in Christum, secundariò verò & per accidens mortem æternam, si non *credant. Probat ex Marc. 16. v. 16. 2. Cor. 2. 14. c. 5. 16. c. 3. 3. 4. Rom. 1. 16* Falsa, *inquam sunt, ut jam patuit.* Sophistica *sunt, quia, promissiones alibi jactant universales, ut nobiscum & cum scriptura sentire simplicioribus videantur, sed pressi limitationem istam hypotheticam illis assunt.* Falsa denique & Sophistica; *quoniam scriptura istam conditionem non apposuit, nec hypocrisin istam novit. Quin secum ipsa pugnant: omnis enim propositio simplex non nisi in subjectum & prædicatum resolvitur, nunquam in axioma compositum* Hoc *quidem in* illud *resolvitur, sed non contra.* Ita *nimis jejuna est excusatio ad faciendum fucū, quam* Crocius *p. 470. 471. repetit.*

Ve-

*Verum nota aliam Sophisticen! Pag. 466:* Gratia, *inquit*, dicitur salutaris, quod ad salutem ordinata est, non quod ad salutem reproborum ordinata est. Istam ego dico experiri omnes istos reprobos, qui verbum Dei audiunt, intelligunt, approbant, confitentur, defendunt & sacramentis utuntur, quia idem numero audiunt, & ijsdem sacramentis communicant, quibus electis salus ὀργανικῶς declaratur, obsignatur & confertur, quibus eadem salus reprobis etiam pariter obtingeret, si sincerè & constanter promissionibus Evangelij crederent, quibus quoniam non credunt, damnantur. Resp. *Res mira! 1. gratia & fides non est in verbo reprobis ad salutem ordinata: & tamen, ob incredulitatem & gratiam fidemq; non receptam damnantur. Quæ est contradictio? quæ tyrannis, si non hæc est? 2. Accipiunt idem verbum, communicantq; ijsdem sacramentis: & tamen, idem verbum, quod electi audiunt, est salvificum, & cum Spiritu S. fide, ac potentia efficaci conjunctum: Verbum autem, quod reprobi audiunt, minimè; idq; ex parte Dei.* His *sermo Dei est efficax & penetrantior, quovis gladio.* His *est verbum Dei, spiritu & fide & potentiâ Dei spoliatum:* Est virtus & *potentia, Dei ad salutem credentibus omnibus: impijs est potentia, si credunt. Ergo non* ὁλικῶς & *totaliter est idem utrisq; verbum.* Impijs *ratione soni, assensus, &*

*sacramento - tenus verbum ; est sacramentum : pijs vere.* Denique observa, *easdem promissiones* (*ut Marc. 16. 15. 16. 2. Cor. 2. 14. c. 3. 3. 4. Rom. 1. 16. quæ loca* Crocius *p. 468. profert*) *esse pijs & electis axiomata categorica* : reprobis *hypothetica. Quæ autem major absurditas !*

*Eâdem autem virtute omnibus hominibus prædicari verbum, rectissimè propugnant* Britanni in Actis synodi pag. 604. Hinc, inquiunt, patet: verbum & spiritum individuo nexu ex promissione Dei, in ministerio verbi conjungi. Hinc ministri non literæ, sed spiritus, non literæ occidentis, sed spiritus vivificantis 2. Corinth. 3. 6. Et ministerium Evangelij dicitur διακονία τȣ̃ πνεύμαΤος, ibid. vers. 8. Hinc Evangelium dicitur χάρις σωτήριος, gratia salutifera Tit. 2. 11. λόγος καταλλαγῆς, sermo reconciliationis 2. Cor. 5. vers. 19. Luc. 10. 9. 11. Christus cum mitteret 70. discipulos, ut Evangelium prædicarent, jussit illis, ut populis, quibus illud annunciarent, dicerent : Appropinquavit vobis regnum cælorum : utique quod gratia aliqua supernaturalis illis administrata esset, quibus Evangelium annunciatum est. Non omnes vocari ad gratiam, quibus omnibus Evangelium annunciatur, non rectè dicitur, etiamsi sint, qui Evangelio non obediunt. Alterum

pro-

probatur ex Joh. 15. 22. si non venissem, & locutus essem iis, peccatum non haberent, nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo. Ex hoc loco constat, Christum proponendo Evangelium, etiam illam gratiam internam administrasse, quæ hactenus sufficiebat, ut ex eo, quod non acceptarent vel reijcerēt Evangelium, justè coargui possint infidelitatis positivæ Heb. 2,3. Quomodo nos effugiemus, si tantā neglexerimus salutem? Ob neglectam salutam in Evangelio oblatam justæ pœnæ obnoxii reddimur. Ergo salus in Evangelio offertur.

*Qui tamen ijdem pessimè hallucinantur, scribentes p. 606:* Ex sacris literis evincitur, nonnullos judicari & damnari ob peccata contra solam legem naturæ commissa Rom. 2. v. 14. ut qui excusantur, ob non impletam legem fidei, ignorantiā planè invincibili. *Resp. Contrarium habetur ibidem p. 602. th. 3. Deus, inquiunt,* lapsi generis humani misertus, misit filium suum, qui seipsum dedit pretium Redemptionis, pro peccatis totius mundi. Et Johan. 3. cum Christus se pro toto mundo datum asseruisset, subijcit: Qui non credit, condemnatus est, quia non credit in filium Dei. *Et propterea Christus est universalis omnium hominum creatorum* (*de quibus* primus *loquitur* articulus) *judex, quod pro omnibus satisfecerit, ut habet* secundus: *idq; ut,*

*qui in* tertio articulo *sanctificati sunt fide, eos absolveret & cœlo donaret: nolentibus credere & sanctificari, ob gratiam, in* secundo articulo *acquisitam, inq; Tertio oblatam quidem, sed non receptam & rejectam, condemnaret.*

*Porro: ut* Crocius *est mirus artifex, veteres Calvinianorum vestes, novis earum distinctionibus, incrustandi & condendi, sic fingit p. 467.* duplicem esse gratiam salutarem. Est enim alia, *inquit*, oblationis, qua Christus cum omnibus suis beneficijs in Evangelio offertur: alia receptionis seu fidei, quâ promissionem fœderis in Evangelio oblatam recipimus. Ista revera est insignis gratia, quâ fœdus promulgatur, & communis est quibuscunque vocatis. Hæc verò insignior est, quæ & electis est propria. *Resp. 1. Si electis est propria, & Christus non spectat ad reprobos; illiq; sunt ab æterno reprobati a gratia, nec Christus illorum (ex tua hypothesi) misertus: cur bona electorum reprobis offeruntur? Num ut illudantur? 2. Etsi quidem non est negandum, gratiam electionis à gratia vocationis & justificationis differre ratione universalitatis, differre ratione, & quodammodo tempore, æternâq; approbatione: tamen ratione causarum & ex voluntate & consilio Dei differre, codici sacro repugnat.* Tertiò: *gratiam fidei & receptionis esse electorum propriam,* Crocius *nondum obtinuit. Nec in locis scripturæ,*

ab

*ab illo laudatis, asseritur. Nam Phil. 1. v. 29.* (Vobis datum est in Christi negocio, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo affligi) *vult Paulus quidem Christianis, & non gentilibus, dari, ut & credant, & ex fide affligi pro Christo non vereantur. Unde tamen concludi nequit* προσηλυτος *non dari fidem salvificam: Nullius quippe exclusivæ particulæ aut exceptionis meminit. De loco Matth. 20. 16. & 22. 14. supra egimus. 4. Gratia oblationis reprobis oblatæ & datæ, insigne est donum & beneficium, si hypocrisis, Pharisaica aut Aristotelica justitia est insigne, coram Dei tribunali, beneficium: sic, esca pisci erit beneficium, qua capitur; item promissio filiorum Jacobi, Sichemo & Hemori facta.*

*Rectè facit* Crocius *p. 473. & seqq. meditando ab illis digressum,* qui Deum peccatorum causam, saltem obliquè, constituerunt: quales fuisse Calvinianos multos, ut Calvinum, Martyrem, Piscatorum, Spinlerum, Tossanum, Zwinglium, *aliosq; plures, eorum scripta testantur.*

*Quæ verò* Crocius *p. 478. & seqq. de libero arbitrio ex* Melanchtone *disserit, ea rectè contra* Bertio-Pelagianas *arbitrij vires disseri arbitramur, & laudamus. In reliquis paginis hujus capitis nihil restat, quod vel non supra sit tactum, vel nos attineat.*

Exa-

## Examen eorum, quibus Crocius in Cap. 3. nos molestat.

PRimo miratur Crocius *p. 491.* Bertium *ad Ecclesiaas Saxonicas, Vandalicas, & vicinas provocare*; causa prima est, quoniam nondum sint satis suo nitori restitutæ. *Resp.* 1. *verè in doctrina de Perseverantia sanctorum conditionata & ordinata, cum universa veterum Ecclesia, nostras appellare, contra tuam immutabiliter necessariam Perseverantiam quibat.* 2. *Si nostræ Ecclesiæ nondum sunt nitori suo restitutæ; cur tu earum fraternitatem ambis? jactas? & testimonia, consensus contestandi gratiâ ex nostratium scriptis, & hic & alibi, hauris?*

Secunda *est, quod* Bertius *(& Calviniani)* ab illis quovis hæretico pestilentior habeatur. *Resp. Fovent quidem Calviniani pessimos errores, fundamenta fidei subruentes, haberi tamen illos* Arianis, Photinianis, Florianis, Anabaptistis, Suencofeldianis & Mahumedistis *pejores: id hactenus ex nostris Ecclesijs nemo, quod sciã, dixit, scripsit.* Nestorianis verò, Prædestinarijs, itẽ Stancaro *esse pejores, sanè non negaverim. Nã in* illorum *Ecclesijs nullus est veræ Ecclesiæ cœtus, nulli aut rari credentes, non rectè baptizati Christiani: Inter* Calvinianos *& Nestorianos &c. est Ecclesia, corruptissima qui-*

quidem, sed tamen ampla infantium baptizatorum & simpliciorum aliorum Christianorum, quorum corda sunt puriora in credendis mysterijs, & simplici orthodoxiæ inhærendæ, quam concionatorum ora & linguæ, quæ quorsum tendant, sæpe non intelligunt: item aliorum ab illis dissentientium, sed tamen inter illos habitantium. Porro: aliud est Arianizare, Photinianizare, Mahumedizein, & quædam principia & dogmata cum Anabaptistis & Suencfeldianis, ut & Photinianis communia fovere: aliud est illis, respectu totius hæreseos, pejorem esse. Illud, non hoc, asserimus. Nec aliud Reineccius in libro, cui titulus est, Calvinistarum ortus, cursus, exitus, Mentzeri collatio & Graweri absurda, Schlusselburgij Theologia Calv. (quæ scripta Crocius p. 500. 501. nominat) asserunt: & quidem verè asserunt.

Tertiam causam admirationis sumit ab Ecclesijs Calvinianis, quæ nihil ad nos.

Pag. 496. Crocius pro sua singulari modestiæ & fraternitatis (ni fallor) encomio, nos Pseudo-Lutheranos appellat, qui invectivis conciombus in Theologos orthodoxos (Calv.) perpetuò debacchetur. Resp. In concionibus errores Calvinianos, pro renata modestiè & cum Zelo refutare, suumq; gregem præmonere, piorum doctorum flagitat officium: qui non duntaxat Calvinianos, sed & Pontificios, aliosq; hæreticos carpunt. Facere autem id perpetuo & concionibus invectivis est splendidum mendacium

*cium. Provoco ad nostratium publicas conciones & auditoria Theologica. Verum quam mite est pectus Calvinianum? Annon ipsimet, cum alibi, tum* Bremæ, *nos tanquam* Flatianos, Ubiquetarios, Brentianos, Eutychianos, Marcionitas, Pelagianos, sanguisugas, Capernaitas, PseudoLutheranos, pacis osores, hostes, turbatores, odiosos clamantes (*ut vulgò loquuntur*) *& Stentoras, tã in scholis, quàm templis & scriptis exagitant? traducunt? Quin, cum Westphalum, Philippum Nicolai) Reineccium, sinceros p. m. doctores, suis dogmatibus conspurcasse Ecclesiam* Hamburgensem & Lubecensem, *scribas: cur* in Præfatione tua *hujus libri tantoperè de consensu gloriaris? An tibi amicitia cum Ecclesijs, falsis dogmatibus conspurcatis intercedere ulla potest?*

## Examen eorum, quæ in capite IV. observanda sunt.

### Utrum Calvinistæ sint Borboritæ?

S*Cripserat* Bertius Borboritas, (*quos alij* Valentinianis & Gnosticis accensent, alijs Coddeanos, Stratioticos, Phibionitas, Zachæos Barbelitas *esse cognominatos scriptores referunt.*) *vide sis* Danæum *in comment super. lib. August. de hæres. p. 19. b. c. 6. &* Manichæos olim docuisse, non nasci homines communi & una exposita omni-

omnibus ultimi finis *conditione: sed* alios *ad exitium*, alios *ad salutem factos esse. Istos ad salutem & bona salutaria pertingere non posse. Electis verò soli fidem destinari, eosq; fidem non posse amittere, aut gratia Dei excidere. Scut aurũ*, cœno immersũ, pulchritudinem suam non deponit, sed propriam suam naturam servat, non valente auri naturam lædere: ita dicũt, electos, quibuscunq; materialibus inficiantur actionibus, non lædi, neque deponere suam spiritualem substantiam. Damascenus & Epiphanius l. 1. hæresi 31. ita referunt Quum igitur tria sint, materiale quidem, quod etiam sinistrum vocant, necessariò perire dicunt, utpote quod nullum incorruptibilitatis spirationem ostendere possit. spirituale verò emissum esse, quo hic animali conjunctum coeruditum ipsi in conversatione. Seipsos verò non per opera, sed propterea, quod ex natura spirituales sunt, penitus & omninò salvari docent. Quemadmodum enim terreum impossibile est particeps fieri salutis, non enim capax ejus esse ipsi dicunt: sic rursus ijdem impossibile esse volunt, spirituale corruptionem suscipere, inquibuscunque tandem operationibus versentur. Quo enim modo aurum in cœno depositum, nõ amittit pulchritudinem suam, sed propriam naturam conservat, cœno nullam injuriam auro inferente: Sic etiam seipsos dicunt; in quibuscun-

cunque materialibus actionibus versentur, minimè lædi, neque abijcere spiritualem substantiam. Qua propter sanè etiam interdicta omnia intrepidè, qui perfectissimi sunt, faciunt, de quibus scripturæ affirmant, facientes ipsa regnum Dei non possidebunt. *Rursus*: seipsos verò exaltant, perfectos se appellantes & semina electionis. Nos enim gratiam usu accipere, dicunt, ideoq; nobis auferri, se verò supernè gratiam habere propriam possessione. *Idem furor fuit ex parte* Valentinianorum, de quibus Danæus d. l. *pag. 37. Cap. ii. ex Epiphanio recensèt.* Homines *Pneumaticos* quales ipsi sint, & fidem habere excellentissimam, & à natura, & sine ullis operibus fieri salvos. *Physicos* habere etiam à naturâ fidem, sed exiguam, quod è pejori sint semine, operibus autem salventur. σαρκικὰς & carnales nullo modo ad salutem pervenire posse.

*Non approbant* Calviniani *ipsam Borboriticam* sectam & dogmata; *absit, ut id dicamus! Quam tamen vicinum & affine sit eis dogma de absoluta electione & reprobatione; indeq; progenerata necessaria perseverantia sanctorum; ex sequenti tollatione luculentè apparebit?*

1. Borborit: Animale quod & sinistrum, cant, necessariò perit. Calviniani: Reprobi sunt vasa coagmentata à Deo & prædestinata ad

ad interitum, nuda Dei voluntate. vide Calvinum Inst. l. 3. c. 23. s. 11. Pisc. contra Schaffm. p. 10. Part. 2. Amic. Duplicat. p. 366. & 469. Et vi decreti Reprobationis reprobos necessariò perire communis est Calvinistarum opinio.

2. B. Spirituales habent perfectam de Deo cognitionem, qua perfecti efficiuntur. *Calv.* soli Electi perfectè illustrantur & fide donantur.

3. B. Spirituales à natura sunt sancti. *Calvinian.* Fidelium liberi in fœdere nascuntur.

4. B. Spirituales propterea, quod natura spirituales sunt, penitus & omninò salvantur. *Calv.* Electi, quoniam semen Dei in eis manet, & electi sunt omnino salvantur.

5. B. Impossibile est spirituales suscipere corruptionem in quibuscunque tandem operationibus versentur. *Calv.* Impossibile est, electos fidem, gratiam & Spiritum Sanctum excutere: qui tamen in adulteria & homicidia deliberato consilio incidere, pejerare & abjurare Christum, pessimam & diuturnam exercere idololatriam possunt. Summa. *omnia peccata, præter unicum illud in Spiritum S. committere possunt.*

6. B. Spirituales intrepidè facientes, quibus scripturæ ipsos regnum Dei non possessuros pronunciant, non lædunter, nec abijciunt spiritualem substantiam. *Calv.* Sic & renati justificati, pessima scelera perpetrantes, ex infirmita-

te peccant : unde justi manent.

7. B. Spirituales sunt semina electionis. *Calv.* In Electis manet semen fidei. *Perkins. in Dial. de statu hominis, p. 44. Nonne, ait vult Deus electos suos condemnare si peccent? Non vult. Fundamentum enim salutis nostræ fundatum est in æterna Dei electione, ita ut mille peccata, imò omnia peccata totius mundi electionem irritam facere nequeant. Calvin. l. 3. Inst. c. 4. s. 28. Fidelium peccata venialia sunt, quia non imputantur. Conf. cum his, quæ supra p. 11. 38. 382. & alibi dicta sunt. Conf. & Rennec. in Cat p. 210.*

8. B. Spirituales gratiam supernè datam habent possessione propriam. *Calv.* Fides, gratia, meritum Christi, Spiritus S. sunt dona electorum propria.

9. B. σαρκικοὶ & carnales sunt incapaces salutis. *Calv.* Sic & reprobi sunt incapaces salutis ob reprobationis decretum.

10. B. σαρκικοὶ & carnales sunt creati ad corruptionem & interitum. *Calv.* Reprobi creati sunt ad interitum & diem malum: vide Zanch. *de summa Perseverantia th. 22. p. 321. Maccobius Disp. 5. de Prædest. th. 5. 8. Cal. l. 3. Inst. c. 22. s. 5. Bez. contra castell in Resp. ad calumn. prim. p. 360. & Quæst. & Resp Christ. p. 125.*

*Crocius p. 523. indignatur*, atque ista & alia Borboritarum dogmata esse horrendum in modum,

dum, impia, blasphema, falsa; seq; nunquam duo aut tria hominum principia statuisse: nusquam eos natura salvari aut damnari docuisse: nusquam tradere, electos sine turpitudine posse peccatis indulgere: aut aliud ullum tamque profanum sive Valentinianorum, sive Borboritarum dogma suum facere. Resp. *Neq; nos hoc dicimus, neq; istis modis dictorum criminum agimus reos.* Aliud *autem est modus rei*, aliud *res ipsa. Non asserimus Calvinianos eodem modo, via & ratione ex istorum erroribus participare. Verum sub novis & subtilioribus larvis* Borborizare; *subq; pulchriori colore confinia dogmata incautis reducere & pingere. Porro*: aliud *est omnia illorum dogmata, cum principijs, adjunctis & circumstantijs revocare*; aliud *in castra eorum impingere, & ex parte eadem tradere.* illud *absit statuamus*; hoc *verum est. Sic Papa Pharisaizat, Pelagianizat, gentiles errores representat: Sed non eodem modo & via: nec omnia illorum placita approbat. Frustra itaq; protestatur* Crocius *p. 523. Nec dicta scriptura* Rom. 5. 18. *19. c. 11. v. 32. Gal. 3. 22. ipsum defendunt, ut quæ particulariter explicat, nec istâ ratione, quâ ipse producit, reum agimus eum.*

*Neq; dictum* Petrinum in 2. Epistola *c. 2. v. 1. & 2.* Crocium *juvat p. 525. Nam illud vaticinium de quibusvis hæreticis dogmatibus, in Ecclesia futuris, accipiendum est, describens non tantum*

Gnosticorum, Borboritarum, Manichæorum, idque *genus aliorum hæreticorum, verùm etiam* Pontificiorum, *adeoq; ipsorum Calvinianorum* (partim *Christi majestatem, & dona divina, ipsi data juxta naturam humanam abnegantium*, partim *ipsum suo merito, cui affingunt particularitatem, officioq; mediatorio privantium, Baptismum illius genuinis fructibus & finibus spoliantium, cœnam Dominicam corrumpentium; ideoq; non in uno tantum, sed pluribus articulis Dominum abnegantium*) Photinianorum, *aliorumq; hæreticorum dogmata & furores.*

*Dicas*; non abnegant Calviniani Christum. *Resp. Factis abnegant & doctrinæ fructibus, non verbis. Quod ipsis, cum omnibus sectarijs est commune, quorum nulli tam absurdi sunt, verbis ut abnegent eum.*

*Pag 532. negat Crocius ex suâ fatali & immutabili obsignatione sanctorum, transitum ad castra* Borboritarum fieri. Nam sancti obsignari dicantur non in diem, sed in diem redemptionis, nec ante per defectionem resignari legantur. *Resp' 1. Quomodo obsignatio, ex consilio & parte Dei firma sit, & quomodo infirmetur: ex superioribus claret. 2. claret etiam, in quibus Calviniani Borborizent ex nostra collatione, ut hic non opus sit repetere.*

Quæst.

## Quæst. 2. Utrum Calviniani sint Manichaïsmi rei?

*De Manichaïs prodidit* Augustinus l. 2 de Actis cum Felice Manichæo, eos docuisse, duas esse naturas, bonam & malam: quoniam Christus in Evangelio dicat, duas esse arbores, Arbor bona nunquam faciat fructum malum, & arbor mala nunquam faciat fructum bonum. In Evangelio quoque scriptum sit, Numquid bonum semen seminasti in agro, unde apparuerunt Zizania? Peccatores malam naturam habentes & purgari, quia non possint ligari in globo, ibidem c. 8. Electos suos per alimenta, quæ sumant, &c.

*Hinc colligimus*: 1. Duæ sunt naturæ (*bona & mala*) creatæ: Calviniani *ajunt, quosdam ad vitam æternam, quosdam ad interitum creari.* 2. Malæ non possunt purgari: Calviniani; *reprobi non possunt credere, renasci, salvari.* 3. Bonæ naturæ, sive electi homines nunquam possunt peccare. Calvinianis nunquam peccant, *sive studeant peccatis.* 4. Arbor bona non facit malos fructus. Ergo nec Electi Manichæi peccant: aut Calviniani *electi amittunt fidem*: Sunt oves Christi, quæ non possunt degenerare: *credentes nunquam desinent esse credentes &c.*

Ait Crocius p. 536. se non sentire cum Manichæis

chæis qui principium perseverantiæ, non naturæ, sed Dei voluntati & gratiæ tribuat, quare geniti sint. *Resp. Ut illi substantiæ Dei, naturis infusæ suam bonitatem assignabant, sic tu semini Dei, & gratiæ in homine perpetuò manenti. Ubi licet in principijs dissonantia deprehendatur, tamen in reipsa est arctissimus consensus. Et sanè si vestrates æquè ac nostrates* Flacium Illyricum, *ob suum dogma, rectè convicerunt hæreseos Manichææ: cur vos quoq; non propter vestrum errorem, ejusdem convinceremini: qui si non major, certè æquè horrendus est? Repræsentatur igitur eadem comœdia personâ & habitu mutatis.*

Quæst. 3. Utrum Perseverantiæ Calvinianæ fatalis & absoluti decreti doctrina stoicis vicina sit?

*Quod* te stoicum negas, Croci *p. 538. 539. nihil ad nos. Neq; enim Calvinianos vel* Borboritas, *vel* Manichæos *vel* Stoicos *appellamus. Interim quam propè ad stoicos accedat absolutum decretũ reprobationis, electionis & Perseverantiæ; itemq;* opinio multorum Calvinianorum quod omnia necessariò fiant; *non eget luce majori. Sin verò istam comparationem fers æquè, transigas cum* Melanchrone, *dogma ita vestrum cum Parcarum tabulis conferente.*

*Quæ Crocius p. 543. & seqq. Contra libertatis*

*tis & coactionis crimina disputat, rectè* Bertio, *quem feriunt, opponuntur: non nobis, qui utrangz firmiter & sobrie tutamur.*

## Ex Cap. V. formo hanc quæstionem: *Utrum Christiani, qui in Belgio Gallijs & alibi Martyrio coronati sunt, pro Calvinianismo, ideogz, pro perseverantia fatali & immutabili sanctorum, sint Martyres facti?*

*Scripserat* Bertius, non de confessione illa, quam tu prædicas, certatum est à viris bonis, hæc enim ab illis eo tempore (scil. anno 79.) ignorabatur, sed de veritate Evangelica & libertate publica contra Pontificiorum idololatriam, & quamlibet conscientiarum tyrannidem, neque pro ista confessione vitam posuerunt martyres, sed quia fidem & obsequium impijs Pontificiorum dogmatibus atque imperijs derogarunt.

*Replicat Crocius p. 554.* se nomine confessionis Belgicæ, non pauca ista folia, quibus confessio Belgica continetur, acceptare, sed comprimis ad Catechesin Heidelbergensem, in Ecclesias & Scholas Calvinianas ubivis receptam, respicere. *Et p. 559:* De substantia doctrinæ, *clamat*, loquor, quam Ecclesiæ Belgicæ jam tum ab exor-

tu Lucis Evangelicæ, ex tenebris papatus splendentis, ex Calvini, Zwinglij, Martyris, Bezæ, Musculi, Oecolampadij, & aliorum eruditissimis commentarijs imbiberunt, & ad sanguinem huc usque defenderunt. *Quam confessionem tanto cum sanguine firmatam esse, clamat Crocius*, testari historias, perhibere annales, tempora clamitare, loca ostendere &c.

*At prius demonstrandū erat* Crocio, *illos martyras, quorum in orbe Europæo certè infiniti fuerunt, pro* Calvinismo & Zvvinglianismo, *martyrio fuisse coronatos. Præterquam n. quod* Lutheri *doctrina, subitò in omnes superioris & inferioris Germaniæ partes omniaq; imperio* Romano *vicina regna & dynastias sese diffunderet, &* Zvvingliani *exiguis finibus continerentur, ac demum post* Calvini & *ipsius sequacium adventum invalesceret*: *sanè* Lutetiæ Parisiorum, *adhuc, anno 1549*, Rex Galliæ *quosdam ob* Lutheranismum, teste Sleidano, *ad supplicium rapuit, qui ibidem à Zwinglio-Calvinianis distinguuntur. Et l. 20 p. 368. lib 18. p. 328. lib. xv. p. 241. ejusmodi persecutionum fit mentio. Atq; anno 1550. ejusdem Regis edicta prodierunt in* Lutheranos, Sleidanus *in comment. p. 397. edit. Argentin. anno 1566. in 8. Recenset idem asperum & immane edictum* Caroli V. Cæsaris, in Brabantia *cæterisq; locis* Belgicis *Cæsari subjectis, eodem anno 1550. in Lutheranos promulgatum*: *quibus*

bus Zwinglianos fuisse permixtos, quæstiones. Inquisitoribus præscriptæ indicant. Est n. hæc interillas: An (accusati hæreseos) Lutheranos, Buceranos, &id genus alios, credant esse Ecclesiam, Sleid. ib. Notũ est quoq; Antwerpiæ circiter ann. 1578. & aliquanto post, florentẽ Ecclesiam Lutheranã fuisse; usq; dum à Calvinianis Lutherani ejicerentur. Quæ de re vide Philipp. Nicolai T. 4. operum Germ. fol. 89 In scripto contra P. Plancium. fuisse Vesaliæ & Wordæ, fuisse in alijs locis negari nequit: & in hoc demum Belgico bello, Calvinismum esse publicè in Ecclesias ordinum Belgicorum confœderatorum introductum, & imagines ex fanis factiosè ejectas. In confesso est fuisse semper ab exortu reformationis Lutheri, & etiamnum esse multa millia Belgarum, nostræ religioni addicta. Confessionem denig; Belgicam demum anno 1579. Belgicè scriptam, & in synodo Belgica confirmatam ipse titulus indicat. Fuisse enim plerosq; antea Zwinglianos supra ex Sleidano negatum est. Similiter Catechesis Heidelbergensis ab Ursino scripta, non ante annum Christi 1563. inducta fuit. Si igitur Belgæ conversi multi primitus fuerunt Lutherani, & confessio Belgica & Catechesis Heidelbergensis, scripta recentiora sunt, ante annos 40. in Belgarum Ecclesias recepta: quis salva veritate illorum martyras omnes pro Zwinglianismo & Calvinismo martyres esse factos aßeveraret? Deinde: luculentum,

*tum est discrimen inter Christianismum & Zwinglio-Calvinismum. Si isti martyres, pro veritate Evangelica, contra Pontificios errores, martyrio sunt sanctificati: non sanè pro Zwinglio-Calvinismo. Ratio consequentiæ est evidens: Nam in Zwinglio Calvinismo, qua tali, nulla est veritas, sed horrendi errores. Quod Magnus noster* Mentzerus *in Exegesi Aæ C. cuivis ob oculos proposuit, & demonstravit, ac in* Defensione collationis, Anti-Crocio & Censurâ Crocianâ invictè defendit. *Nolint igitur jactare Martyras* Calvinianos, sacramentarios, Nestorianos & prædestinarios: *Nam fuerunt multi Lutherani, ob veritatem Evangelicam passi; præsertim antequam invalescere cœperat Calvinismus. Imo; Si vel maximè fuisset Calvini aut Zwinglij doctrinæ addicti, nihil tamen adhuc obtineret* Crocius. *Articuli enim, quos vocant, sive quæstiones inquisitoriæ varius dogmata Calviniana complectebantur. Quod observare est in Sleidano, Pantaleonis historia Martyrum, Osiandri centuriis &c. Ergo hactenus pro veritate ipsa, non falsitate, obierunt. Denique, de* Zwinglianis *martyribus, pro* Zwingliana doctrina *occisis, idem respondendum erit, quod olim* Augustinus de Martyribus Donatistarum, quodque Ambrosius illis, *qui martyrij honorem affectabant, respondebat*: nimirum non factum, sed causam facere martyrem. *Quin & Ariani jactarunt suos Martyres, Histor.*

*Tri-*

*Tripart. l. 8. c. 13; item Nestoriani, Euchitæ &c. Facta autem* Calvinistica, qua Calvinistica, & *martyria, nonnunquam ex temeritate, aut obstinato Calviniani dogmatis amore: aut denig, ob seditiosas reformationes, tolerata, Martyrij definitionem non sustinent. Meminerimus 2. illius Petrini, Epist. 2. v. 19.* Hæc gratia est, si quis propter conscientiam Dei suffert molestias, patiens injustè. v. 20. quæ enim est gloria, si, cum peccantes alapis cædimini, sufferetis? *Lutherus* in libro, quod verba Cænæ adhuc firma stent, de illis scribit; isto hominum genere nihil est jactabundius, nihil gloriosius. Iactant a. subinde suam humilitatem, patientiam, modestiam, divitias spiritus, martyria, & similia. At quam verè jactitent, probè notandum est. Verbulo uno immitius istos excipias, torvum saltem aspicias, vel laudes ipsorum non plenis buccis deprædices: jam illi contumelias se indignissimas passos esse quiritantur: imò martyrum coronis dignas statim esse gloriantur. In tanta verò sua patientia querulandi finem nunquam facient. Vix verba repereas, quibus commodè satis ipsos compelles, quin indignæ tractationis & lamentorum querulorum, materiam inde eliciant. Interim præ nimia mansuetudine nihil est convicij, quod non in adversantes sibi, ore dicacissimo conijciant.

*Videamus nunc argumenta Crocij p. 560.* Qui

cer-

certarunt pro veritate Evangelica, contra quamlibet conscientiarum tyrannidem: illi certarunt pro doctrina Perseverantiæ contra dogma apostasiæ & incertitudinis de salute. Atqui viri boni Calviniani &c. Ergo.

Resp. 1. Propositio *accepta de absoluta & fatali perseverantia Calviniana, est falsa; quippe cujus* inquisitores *raro meminisse soliti sunt. Quin aperte contradictoria apparet. Quæ enim est veritas in ista perseverantia? 2.* Minor *est particularis, quod ex dictis constat.*

*Verùm instat adversarius, Minorem esse facilè probatu, sic colligens;* dogma de apostasia, quod negat donum Perseverantiæ, pias cōscientias excruciat, lācinat, torquet, excarnificat, & cōsolationem spiritualem, eis eripit, id est conscientiæ tyrannis. *Atqui &c. Ergo &c. Resp. 1. cōclusio nos nō oppugnat, sed dubitationem Pontificiam. 2. Si autem nobis opponatur, cōsequentiam negamus, & quod nos apostasiam donum perseverantiæ esse inficiemur, non est verum. Vide quæ ad concluſ. 4 p. 44. annotavimus.*

*Instat p. 562.* qui dubitat non est securus, non de futura gloria lætatur. *Resp. 1. absit ut pij dubitent de salute, de qua debent esse certi. Absit item, ut sint securi, qui ex fide constanti, timore & tremore, salutem operantur. Sejungamus ergo certitudinem ordinatam ab absolutâ.*

*Objcit ulterius* Ambrosium *l. 1. de Vocat gentium.*

tium. Item *de Jacobo & vita beata l. 1. c. 6. Et rursus l. 1. de* vocat. gent. *c. 3. & 6. At frustra. Nam in primo loco de illis, qui firma fide adhærent Christo, est ei sermo. In 2 de vocatis electis. In 3 quod salus ex parte Dei sit firma testatur Ambrosius.*

*Pag. 565.* Crocius *iterum argumentatur.* Quicunque martyres vitam posuerunt, quia fidem & obsequium, impijs Pontificiorum dogmatibus, atque imperijs derogarunt: illi etiam inter alia vitam posuerunt, quia impium dogma de apostasia non receperunt. Atqui martyres vitam posuerunt, quia fidem & obsequium impijs Pōtificiorum dogmatibus atque imperijs derogarunt. Ergo martyres vitam posuerunt, quod inter alia, impium dogma de apostasia non receperunt. *Resp.* 1. Minorem *esse, ob causas antea recensitas, particularem.* 2. Majoris *inficior connexum. Et deinde* illud, *quod qui vitam posuerunt, Hispanorum imperijs tyrannicis obedire recusantes, sint martyres. Vitam enim ponit miles in legitimo bello pie pro patria, nec tamen evadit martyr: nisi & gētiles suos habituri sint martyres. Martyres enim pro Christo & fide, milites pro incolumitate patriæ & justitiæ occumbunt.*

*Calumniatur* Crocius p. 566. dogma, nostrum, quo justi à justitia possint deficere, esse Pontificium; idque ex Bartholomæo Medina & Bellarmino, *qui dubitationem defendunt, &*

*Cal-*

*Calvinianos impugnant, conatur probare. Verum noverit 1. non omnia, quæ in papatu docentur, esse Pontificia; cum certum sit, permulta sub eo permansisse salva & Christiana. 2. nostra doctrina de perseverantia ordinata; quodq; credentes deficere penitus possint, est scripturæ & piæ antiquitatis. Noli insuper calumniari p 567. 568. esse Socinianam sive Ne-Arianam. Nam infinitis parasangis ab illis distat. 3. Ingens quoq; discrimen inter doctrinam de Perseverantia Sanctorum Protestantium atq; Pontificiã & Calvinianam constituitur. Nam I. Differunt* causa efficiente. *Vera enim & Christiana fluit ex spiritu & hominis renati, ex spiritu ordinatè agentis, voluntate: Calviniana v. ex absoluto Dei decreto, indeq; Spiritus Sancti absoluta, & irresistibili operatione: homo Pontificius denig; ex Spiritus S. beatorũ Cælitiuum & in sua ipsius voluntate perseverantiam bipartitur. II.* Ex merito Christi diversimodè applicato. *Lutheranus enim & Pontificius ex dilectione Dei & merito Christi universali, humani generis miserentis & redimentis: Calvinianus v. ex dilectione Dei, meritoq; Christi, absolutè electionis exsecutioni destinato & particulari, perseverat. III.* Ex Christi & Spiritus S. precibus diversis. *Lutherani precibus ex merito Christi universalibus, dilectioneq; Dei promanantibus, licet credentibus specialiter applicatis Rom. 8. v. 26. & 36. perseverant: Calviniani ex particularibus & absolutis:*

*tutis: Pontificij vero ex merito Christi quidem universali, sed dilectione Dei valde dubia. IV.* Fide; *Nam Lutheranus ex fide ordinata & Christum actu intuente: Calvinianus v. ex absolutè destinata & irresistibiliter immissa: quæ3 partim actu, partim habitu salvat, perseverat; Pontificius ex habitu & fide historica. V. Lutheranus, ex sola fide, per dilectionem operante perseverat: Calvinianus v. ex fide ab omnipotenti manu Dei irresistibiliter conservata. Pontificius porro ex operibus, quæ justificationem secundam vocat, perseverat. VI.* Signis: *Lutheranus per sex testes 1. Joh. 5. v. 7. & 8. nominatos, & à nobis supra p. 31. juxta ordinem divinitus mandatum, descriptos certus est: Calvinianus ex interno amore erga Deum & ejus verbum, quod signũ, dimissis reliquis, ipsum dubitare cogit; Pontificius v. ex dubia peccatorum remissione, dubijs imperfectisq3 operibus & suffragijs sanctorum fluctuat aut præsumptuosus inflatur.* VII. Ex effectu & adjunctis. *Lutheranum certum quoq3 opera ex fide & bona conscientia facta reddunt; quippe quæ fructus sunt arboris bonæ Matth 7; item patientia in rebus adversis, quando castigatur Jac. 1. & premitur, ex quibus tandem, ut palma, eluctatur & floret, Psal. 92. Calvinianus id nõ ordinata Dei voluntate, sed absoluta fieri docet: Pontificius ista suis viribus maximam partem adscribit.* VIII. ab adjuncto timore *differunt. Nam Lutheranus cum timore &*

*tre-*

*remore salutem operatur, quæ elationi fiduciæ suiipsius & excidendi securitati opponitur: Calvinianus quidem verbis eadem quandoq; dicit, sed quoad effecta, maximè quoad postremum, ob absolutas causas, idem pernegat. Qui enim ex absoluta Dei electione, dilectione, indeq; fluente merito Christi & gratia irresistibiliter applicata, perstat, ut nunq. excidat & pereat: quorsum ille timeret?* E contra; *Pontificius dubitat de gratia, electione & dilectione Dei & de fide suâ: Unde apparet in Calvinianis esse q. Stoicam certitudinem & elationem: in Pontificijs servilem timorem, quo fluctuat, angitur: in Lutherano filialem, in Christo per fidem radicatum & bona conscientia virescentem Quare è subjectis & objectis diversitas observatur ingens.*

*IX.* consequentibus: *Calvinianam Perseverantiam comitatur securitas aut desperatio; Pontificiam eadem, item perpetua anxietas & tandem nisi erigitur fide, condemnatio: Lutheranam verò filialis timor, perpetua probatio sui, qua salutem firmã facit 1. Pet. 1. bona conscientia, gaudium, & tandem ex malis omnibus liberatio Cum a. Photiniani in doctrina de libero arbitrio accedant Pelagianos; & justificationem ac fidem planè perversam fingant: non est mirum si hominis voluntati libertatem ex ses Deum sequendi aut ab eo deficiendi adscribant.*

Crocius *p. 584.* se Augustanam confessionem *non repudiare, sed ex auctoribus illius suam* ser

*sententiam confirmare dicit.* Lutherum & Philippum, qui præcipui ejus scriptores fuerint, quod Crocius *de sanctorum apostasia disputet, nunquã damnare.* Duodecimum articulum esse Anabaptistis, quãtum sanctorum apostasian concernit, oppositum, *quorum multi sese omnis generis flagitijs obstringant, nec tamen inquinari se opinentur. Resp. ad 1.* Augustanæ confessionis verba non esse ænigmata, *sed suâ luce radiare. Deinde* Lutherus & Melachtõ *â qua parte sient, supra sat enodatum est. Ad 3. Quænam possunt esse pejora peccata, quam quæ supra de lapsis recensuimus: quæ tamen cum fide salvifica perstitisse in toto suo tractatu pugnat Crocius?*

*Quæ de consensu inter Lutherum & Zwinglianos disserit: quæq; mens* Philippi *fuerit vivo & mortuo Luthero, rectissimè ex actis colloqui;* Marpurgensis *& Tomo 9. Lutheri, ad quem nos Crocius (quod NB.) remittit petuntur:* Item, *ex historia Aæ C. p. 266. & seqq. Quæ sit ratio concordiæ Witebergensis, liquet: quæ non* tantùm *dignis, sed etiã* indignis *porrigi verum corpus & verum sanguinem Christi, tradit:* De Philippi inconstantia *& ad Zwinglianos abitu, rectè legetur* Hutterus *sub initium L. L. C. C. Theologicorum. Neq; verò fides mendacibus perjuri & fallacis* Pezelij *scriptis est habenda, de quo consulatur Dn. D.* Hutterus, *p. m. in* Concordia Cõcordi contra Hospinianum *fol. 62.*

*Tandem observanda sunt ista verba* Grocij *p. 578.* Lupis (*Lutheri discipulis*) de ovibus aut Pastoribus (*Calvinianis doctoribus & auditoribus*) *non est judicium permittendum. Quid enim? Si sumus lupi, quid tu nobiscũ cõsensum in fide jactas? Et fraternitatem spiritualem in Christo tãtopere effingitas: quã Lutherus in colloquio Marp. Zwinglio & Helvetijs negavit? Deinde: si Lutheri discipuli non sunt audiendi de Luthero; numquid ipsius adversarij, Zwingliani, Calviniani, & Pontificij sunt audiendi: contra quos ad extremum usq; vitæ halitum sese invictum præbuit athletam? Falsi apostoli consulendi, quæ fuerit doctrina Christi? quid Christianis sit faciendum?*

## Ad Cap. VII.

*Reliquis, quæ in hoc capite contra nos faciunt, suis in locis propositis: tantũ illud movendũ est p. 615. ubi Bertius sic colligit:* Si illa altissima (angelica & protoplastorum) sublimitas cecidit, quis nostrum cadere non potest? *Regerit* Grocius, *aliud sit cadere, aliud gratiâ Dei, quæ ἀμεταπτωσίαν sit, excidere: hominibus nunc sit promissa æterna in bono stabilitas. Verùm respondemus 1. argumentum illud nostrum esse invictum. Nam angelis omnibus & protoplastis, æquè atq; nobis si steterissent, ex parte Dei æterna & firma stabilitas in bono fuit promissa. 2. Insignis est contradictio, statuere,*

tuere, homini semel renato esse perpetuam in bono stabilitatem promissam: Et, Davidem in adulteriũ & homicidiũ, gravissima sane flagitia, cecidisse, nec tn. gratia excidisse & Sp S. amisisse. Manentne homicidæ & adulteri, qui vitã æternam in se manentẽ non habent, nec vitæ æternæ hæreditatem adire possunt, in bono stabiles? Possuntne adulteria deliberato consilio perpetrata, & homicidia (quæ ipse gravissima flagitia appellat) cũm fide & Spiritu S. consistere? Atq; hunc p. 585. errorem Anabaptistarum & Borboritarum nuncupasti. Unde fluit hic syllogismus: Quicunq; renatos sese in magnis flagitijs, ut deliberatis homicidijs, adulterijs, idololatriæ institutione & cultu variæ & horrendæ; Christi abjurationibus & abnegationibus, incestuosis commixtionibus volutantes; Spiritum Sanctum & gratiam ac fidem non amittere censent: sunt in hoc negocio Anabaptistæ & Borboritæ. Atqui Calviniani & Crocius id censent. Ergo &c.

*Verùm instat Crocius ibidem ex 1. Pet. 1. v. 19.* nos habere stabilius verbũ. *Resp 1. Habebant angeli & protoplasti æquè Dei promissiones & verbũ de vitâ æternâ, atq; nos Gen. 1 & 2. licet illorũ de instauratione in Christo, (quo velut Sancta & bonæ Dei creaturæ, non lapsæ, non indigebant) nondum fuerit. Itaq; 2. verbum illud stabilius, non comparatur promissionibus protoplastorum & angelorum: sed voci majestatis Dei, de Christo in monte, auditæ & in visio-*

*sione testanti, qua pater clamabat:* Hic est filius meus dilectus. *Scripturæ enim testificatio, ab exordio mundi facta, totq; revelationes prophetis & patriachis exhibitæ, atq; ipse Christus cum suo Evangelio & doctrinâ V.T. conformi: adeoq; totius scripturæ canon & fidei regula: erat ista visione major; & quidem unaquæq; horum.*

2. Objicit illud 1. Pet. 5. 9. Satanæ resistamus στερεοὶ τῇ πίστει, solidi in fide. v. 19. Deus verò omnis gratiæ, qui nos vocavit ad gloriam suam in Christo Jesu, nobis paulisper afflictis dedit, ut corroboremur, & confirmatemur & stabiliremur in eo in perpetuum.

*Resp. 1. Non asseverat Apostolus sanctos tales semper esse in fide: sed adhortatur renatos, sient, & hoc agant, ut sint solidi in fide: atq; ut sint, in verbis posterioribus optat. Nam & ibidem apostasia δυνάμιν confirmat; quoniam illos, qui sobriè non vivunt in fide, nec vigilant; Sathanas, ut Leo rugiens, saltem quantum fidem illorum concernit, devorat. 2. Nolit* Crocius *corrumpere verba Apostoli quæ integrè recitata, hæc sunt:* Deus omnis gratiæ qui vocavit nos ad æternam suam gloriam per Christum Jesum, paumper afflictos, idem instauret vos, fulciat, stabiliat, roboret. *Ubi punctum posuit Apostolus ne eis assui sequens δοξολογία queat.* Deinde: *nec verbum* dedit *legit fons Gratiæ;*

*ens, nec vulgatus, ut nec Lutherus. Verùm, inquiat* Crocius, *se versionem* Syram *esse sequutum Resp. 1. Novit ipse textum Græcum in N. T. esse scripturam authenticam. 2.* Syrus *nobis non repugnat, qui sic habet :* Deus autem gratiæ, qui vocavit nos ad gloriam suam, quæ est in æternum, per Jeschua Christum, *qui dedit nobis, ut quum (postea-quam si,* ד) sustinuerimus has afflictiones modicas, corroboraremur, confirmaremur & stabiliremur in eo in perpetuum. *Nam 1. non negat à fide posse sanctos deficere: Sed in alijs Locis affirmat. 2. Nos, si stemus & perseveremus in afflictionibus hujus vitæ patientes & fortes, in æternum firmandos esse & corroborandos asserit. Quod verum est.*

*Verùm pergit* Crocius *instare*, angelos & protoplastos in statu creationis ante lapsum, fuisse in manu sua: fideles in statu regenerationis non esse in manu sua, sed Dei & Christi; idquè non solum ut homines, sed etiam ut volentes, ut credentes, ut operantes. Ergo fideles firmius stent, quàm angeli & protoplasti. *Resp. est vitiosa manus Christi Dei, ac hominum oppositio, & Elenchus phrasεως pudendus Angeli enim & protoplasti habebant promissiones plenissimas & vires in bono abundantissimas: quod vel exemplum sanctorum angelorum in bono confirmatorum, præter scripturæ testimonia, nobis persuadet. Hinc dicuntur* positi in manu suâ: *hoc est, fuerunt liberrimi, sanctissimi*

& omnibus dotibus imaginis divinæ pulcherrimi, atq; adeò templum totius Trinitatis, sicut nunc sancti Dei sunt. Et sicut nos habemus Dei favorem & gratiam, sed ex regenerationis & gratiæ N. T. bonis: Sic illi, si perstitissent, ex dono creationis concreatâ habuissent, & quidem connaturalè. Proinde fideles, ex statu peccati erepti, & adhuc in hoc mũdo cõnstituti, sunt infirmiores, quã ut stare suis possint viribus eoq; magna Dei misericordiâ, nõ sunt in manu sua hoc est: suis viribus cõmissi, quas nullas possident: sed Dei omnipotentis viribus, contra Satanam & omnes adversarios defenduntur. Itaq; esse in manibus Dei, præsupponit multiplicem hominum infirmitatẽ: quibus quod lapsi angeli & protoplasti nõ stabant, nõ minoris gratiæ in illos collatæ est argumẽtũ sed inobedientiæ. Cum igitur & illi & nos, simus creaturæ ratione præditæ, & habeamus utrinq; præcepta fidei & conditiones propositas: manus Dei sustentantis, nullibi tam obsolutè nos conservat, ut absciscere à fide neque amus: Verùm ordinatè conservat. A seipsis n. sancti non habent velle, nec possunt operari bonum, nec stare aut sesè tueri in bono; sed omnia sunt in manu Dei, ordinatè ista peragentis. Neq; aliud testatur Chrysostomus. Licet enim promissa vitæ æternæ & spiritualia sint multò certiora, hâc vitâ, singulis momentis morti obnoxiâ, & caducâ, ac promissis hujus vitæ; tamen inde non conficitur, sanctos à salvifica fide deficere non posse. Illa enim

sunt

*sunt firma ex parte Dei, hæc ex parte hominis. Quæ & mens Ambrosij est.*

*Quare verissimum est argumentum* Bertij, *ex 2. Cor. 11. v. 3. 4. ubi Apostolus de renatis loquitur, sic argumentans.* Si fieri nullo modo potuit, ut vel penitus corrumperentur vel exciderent credentes: quid timuit Apostolus? Omnis enim timor cum certâ ratione & causa conjunctus, præsupponit malum possibile. Si enim non fuit de re possibili, potuit eodem jure timore, ne vel viri abirent in fœminas: vel contra. Crocio id *est rethoricari, atq; ideo ipse sic format argumentum.* Fideles aut possunt penitus corrumpi & excidere, aut frustra ad eos adhibita est Pauli adhortatio ab exemplo Evæ, â serpēte deceptæ desumpta. At nō hoc. Ergo illud

*Frustra & imprudenter reponit p. 618.* disjunctionem non esse immediatam, quoniam intepenitissimam defectionem & summam absolutissimamq; perseverantiæ necessitatem, mulcentur media. Quæ verò illa? Nempe partialia defectio & in aliqua peccata lapsio. Adhortationem tamen esse necessariam, quod omnia peccata displiceant Deo. Deinde conqueritur textum inseri vocem, penitus. *Resp. 1.* supra *hoc testimonium interpretatur* Crocius *de professentibus fidem & non-renatis*: hic *de verè fidelibus: quæ & contradictio est & inconstantia. 2.* Qui, sicut Eva, de-

cepti sunt 2. atque ita decipiuntur, ut in alium Jesum credant, & alium spiritum, quam Christi, aliudque Evangelium, quàm illius prædicati, accipiant: illi à salvifica fide decipiuntur & excidunt. Atqui Corinthij ita poterant decipi v. 3. & 4. & utique nonnulli ita sunt decepti. Ergo &c. *Unde 3. nec vox*, penitus, *textum corrumpit, sed sensum exprimit.*

*Quæ deinceps p. 619. define fidei & donorum datorum; deq; forma fidei & formato repetit, supra enervata dedimus. Quemadmodum & illa de studio peccandi & permansione in fide p. 622.*

Horrenda *sunt ista p. 623: Quod* si ista (*posse nimirum peccare sanctos* per malitiam, idque variè & sæpe) rectè intelligas, non nego. *Rursus paulò post:* quod si cum his tantis peccatis (*Davidis adulterio & homicidio, Petri abnegatione*) fidei principia & Spiritus Sanctus, ut tu vis, permanserunt, jam per te obtinemus, quod volumus.

*Hic nota 1. malitiosi peccatores habent principia fidei, quæ non exstinguuntur: Fidem non amittunt & tamen dant operam peccato. At qui facit peccatum, est ex Diabolo 1. Joh. 3. v. 8.* Qui non facit justitiam (*ut homicida*) *non est ex Deo. 2. Peccare adulteriis deliberatis & malitiosis homicidijs, idololatriæ variæ institutione & cultu; abnegationibus Christi, est particulari peccare malitia: in quibus fides fumigat. 3. Possunt renati, in*

tan-

*tanta peccata malitioſa cadere, & tamen juſti manere juſtitia fidei 4. Habent veram fidem: & tamen per infirmitatem poſſunt aliquando à vera Eccleſia recedere & deficere, licet tandem reſipiſcant. Unde fluit hoc; Quidam apoſtatæ, qui defecerunt ad hæreticos vel Ethniciſmum, atq; ſcriptis & dictis Eccleſiam proſcindunt, habent fidem ſalvificam p. 641. judicet cordatus lector, quo iſta loco haberi debeant.*

## Cap. VIII.

*Caput hoc de* diſtinctionum Crocianarum ſecretis prætereo. *Nam iſtæ huc relatæ petunt* principium, *quod paſſim eſt oſtenſum. Ideoq; de illis quicquam repetere, non videtur operæ pretium.*

*Deinde p. 644. ſcribit* Crocius: juſtitiam Evangelij poſſe deſeri negamus. *Quæ ſi conferas cum p. 286. videmus iſta: 1.* agnoſcere Deum eſſe 2. Evangelicas hiſtorias ſcripturasq; reliquas eſſe veras 3. verbum Dei habere pro certiſsimo oraculo. 4. præcepta Dei non prorſus negligere, 5. minis Dei & promiſſionibus utcunque terreri. 6. Chriſtum vitæ & ſalutis auctorem agnoſcere, & 7. libentes ipſi nomen dare. 8. Deum credere ſibi propitium. 9. & ſenſu divinæ gratiæ affici: Videmus, inquã. iſta Crocio eſſe juſtitiam legalem: atque adeò ex Evangelio, reſpectu temporariorum, civiliterq; juſtorum, juſtitia legalis

fuit: *ibi dixit fuisse ejusmodi justos in Christo, Christumq; induisse: accepisse dona spiritus: fuisse mente & intellectu tenus illustratos à Spiritu S. Haecine ex lege promanant?*

## Cap. IX.

IN capite nono *rursus de fœdere gratiæ & naturæ* altercantur. *De quo supra. Postea* Crocius *rectè contra* Bertium *defendit, omnem gratiam & quicquid possumus, non habere nos ex nobis, tanquam ex nobis, sed à Deo accipere, p. 651. & seqq: idq; ex* partibus, scriptura, Arminianis ipsis & nostratibus Theologicis *probat. Quæ dexteritas meretur laudem.*

## Cap. X.

CApite *hujus libri ultimo quæritur*, An omnipotentia Dei, qua convertimur, & conversi ad gloriam in statu gratiæ conservamur, tanta sit, cui resisti nequeat? *Id verò* Crocius, *cum alibi, tum p. 200. affirmârat, scribens:* Deus efficaci vocatione etiam necessitatem affert voluntati nostræ, tum ad agendum. Item. p. 44. Nos spectatos in ordine ad fœdus gratiæ divinæ, fidem & justitiam penitus deserere non posse, idque vigore & robore spiritus, Deique fidem inserentis & semel insitam conservantis fortitudine. p. 72. Quos comitatur Deus, ij non possũt

officiū suū negligere & Deū deserere. Urget n. eos & juvat Deus, efficacissima virtute sua voluntatē eorum ad bonum flectendo, ejusdemque amore retinendo. Quibus verbis, ait Bernius, irresistibilem planè necessitatem gratiæ tum recipiēdæ tum conservandæ exprimit: quam Rex Angliæ, ineluctabilem vocet necessitatem.

Crocius *autem quatuor quæstionibus rem dirimere se posse sperat.* Prima est, An id, quo convertimur, & conversi ab apostasia universali præservamur, vigor, robur, & fortitudo Spiritus S. rectè dicatur? *Quod affirmat, & rectè confirmat ex 1. Cor. 2. 3. 4. c. 4. 20. 2. Cor. 4. 20. Eph. 1. 19. Rom. 1. 16. item ex* concilio Arausicano *c.* 15. quod conversionem mutationem dexteræ excelsi nominat.

*Secunda*, An omnipotentia Dei sit radix perseverantiæ? *Respondemus Deum, Spiritum Sanctum*, operari in nobis velle & perficere. *Ergo per illum convertimur, per illum stamus in fide & perseveramus.* Paral. *ult.* 14. *inquit* David: Angustiores sunt vires (nostræ) ad præstandam hanc liberalitatē: à te sunt omnia: quæ ad benè agēdū de manu tua accepimus, dedimus tibi v. 18. Custodi in æternum hanc voluntatē cordis eorum, & dirige cor eorū ad te v. 19. Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, ut custodiat mandata tua. *Hinc demonstrat* Augustinus *in libro de* Dono perseverantiæ,

non

*nos in singulis petitionibus* orationis Dominicæ *petere donum perseverantiæ.*

*Verùm de hoc jam quærendum est:* Utrùm ista potentia divina Spiritus Sancti; quæ omnipotentissima est (*si venia verbo*) sit absoluta vel ordinata? Crocius *ad potentiam absolutam inclinat, & explicat ex Prov. 24. v. 1. item* Augustino & Franciſco Suarez: *qui putat esse Deo indignum, si voluntas & potentia non absoluta ipsi tribuatur, ex qua non infallibiliter sequatur effectus. At verò ut illud Prov. 24. v. 1. de potentia Dei* absoluta & extraordinaria, *in Providentiæ operibus, non justificationis articulo, accipiendum est: utq;* Augustini *loca torquet: Sic aliquoties obtinuimus supra, esse Dei potentiam qua convertimur, & perseveramus, omnipotentē: (sunt enim opera Dei, non creaturæ) verumtamen non absolutam, sed ordinatam cum voluntate Dei ordinatâ, certisq; mediis & conditionibus inclusam, ab homine renato præstandis. Unde apparet, Perseverantiæ radicem esse quidem Dei omnipotentiam, sed tamen ordinatam ad voluntatem hominis, in gratia stare & operantis ductum spiritus sequi: vel à fide recedere & carnis concupiscentijs obtemperare valentis.*

*Tertia p. 669:* An aliqua necessitas voluntati nostræ afferatur à vocatione efficaci, & qualis? ubi primò *rectè monet* Crocius, *esse accuratè loquendum. Nam teste* Augustino *l. 2. de Peccat. merit. & Remiss. c. 18.* Ipsa ratio, quæ de his verbis

bis à talibus, quales nos sumus, iniri potest, quemlibet nostrum quærentem vehementer angustat, ne si defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur. Rursum, ne sic liberum asseramus arbitrium, ut superbâ impietate ingrati Dei gratiæ judicemur. *Proinde ait se hujus memorem, de efficaci vocatione, deq; necessaria & infallibili hominis conversione, paucula prolaturum. Principio verò vocem* (efficax) 1. pro facultate sumi. 2. pro actu agendi. 3. ait, significare non solum justitiam agendi, nec solam actionē, sed ejusmodi potentiam, quæ semper habeat infallibiliter conjunctam actualem effectionem. Itaq; vocatio efficax sit, quæ infallibiliter operetur consensum & actum supernaturalem hominis, atque adeo etiam faciat, ut ipse homo consentiat & operetur. *Conatur id probare* ex Augustino. *At verò* Augustinus *non diffitetur hominem vocanti Deo posse resistere; Deumq; in vocatione & renatorum conservatione agere ordinatè. Idcirco, sicubi durius fortassis de hâc re pronunciavit quædam B. iste* Pater, *ex alijs ipsius scriptis*, & Fulgentio ac Prospero *erunt molliendæ, juxtaq; analogiā fidei & scripturæ explicandæ.*

*Deinde* Crocius *p. 671. consistere* istam vocationem in duobus existimat. Primū *est, inquiens*, quod à Deo datur, ex proposito sive intentione cōvertēdi & salvādi homines. Et paulò post:

Effi-

Efficaciã igitur vocationis divinæ in eo ponim, quod Deus, qui quando vult portũitatẽ sibi facere potest, etiam quado nos minime sumus dispositi, corclausam aperit, & prædicationẽ Evãgelij in id inserit. *Verùm aberrat vehementer* Crocius *& cessitat. Nam 1. effingit duplicẽ vocationẽ*, alterã *quanon sit ex parte Dei efficax, nec Deus eâ hominem convertere intendat & salvare*: alteram *huic è diametro contrariam. Nos autem* omnem vocationem per verbum Dei, exque *consilio & intentione Dei esse efficacem, supra asseruimus.* Deinde, *quæ sit vocatio Dei secundum, propositum, quâ vocantur electi; inprimis ex* Resolutione *testimonij Rom. 8. v. 28. & seqq. patet Deũ illa loquitur* Augustinus *in locis à* Crocio *allegatis. Qui tamen* alteram *illam, scil. renatorum vocationem, (quam vocat vocationem* ad justificationem præsentem) *non inficiatur.*

Alterum est, ut Deus tempore & modo hominem vocet, qui accommodatus sit ad effectũ conversionis ejus, quem Deus intendit p. 673.

Resp 1. *Paulò* ante dixit Crocius: Deus oportunitatem sibi facere potest, etiam quando nos minimè sumus dispositi: hic oppositum *pronunciat & determinat.* 2. *Etsi quidem tempora & circumstantiæ in vocatione ad conversionem multa possunt, de quibus Augustinus loquitur: inde tamen minimè fuerit negandum, omnibus hominibus*

dari

*dari ſufficientia, ad ſalutem & converſionem media;* adeoq; *gratiam Dei vocantis* eſſe unam & ejuſdem *efficaciæ, ex ipſius Dei conſilio adverſus omnes. Nec terret non locus Matth. 11 objectus. Licet enim* Tyrij, Sydonij, Sodomitæ *& alij quiviſſent ſtupendis illis miraculis Chriſti converti, ordo tamen propoſiti & conſilij divini non fert, ut ubiq; & apud omnes homines tanta fiant miracula, quanta exhibita ſunt Capernaumitis, & alijs nonnullis Galilæis. Et proinde ex illuſtri* illa & miraculoſa vocatione, non eſt communis & ordinaria Dei vocatio enervanda. *Hæc equidem efficax eſt*, & potentia Dei ad ſalutem omni credenti: ut cujus verbo vis & Spiritus Sanctus, ex mandato & conſilio, Dei, ad omnes homines ſalvandos, includitur: *Non efficax eſt, nec potentia repugnanti. Repugnantes enim multi per totam vitam vocatur, & non tamen veniunt Rom. 10 v. 21.*

*Removemus procul ab hinc 1.* moralem ſuaſionem: *quoniam non poteſt ſupernaturalem progenerare effectum, & ex lapideo corde facere carneum,* ex mortuo vivum, 2. voluntatis noſtræ Phyſicam determinationem ac violentam coactionem. *quoniam converſio hominis cum libertate voluntatis in rebus ſublunaribus conſiſtit. Atq; inde* 3. neceſſariam, id eſt, certam & irreſiſtibilem converſionem Crocianam, *ex vocatione efficaci ebullientem: quæſit à Dei propoſitio (abſoluto). Nam 1.*

voca-

*vocatio secundum propositum Dei, (quod* Crocius *hîc cum Decreto electionis confundit) longè est alia; juxta scripturam, quam vocatio efficax ex sententia* Crocij, *quæ ex absoluto fluit decreto. 2. etsi quidem vocatio ἀναγκης φυσικης non est efficax; nec tamen* ex vocatione necessariò ineluctabiliterq; efficaci & absolutâ gratia *convertibili conversio promanat*, sed ordinatâ. *Quod contra* Crocium *ad p. 677. observandum est: Ubi loca* Augustini, *& verba concilij* Arausicani *in sensu Crocij accepta, aliena forent.*

*Succedit quarta (scil.* An in verbis Crocij vis planè irresistibilis gratiæ, tum recipiendæ, tum conservandæ, exprimatur*): quod ex dictis dijudicari potest. Tametsi enim adversarius omnem violentiam, coactionem & necessitatem naturalem à voluntate nostra removet p. 679: relinquit tamen* necessitatem supernaturalem, ut cùm *ex pagina præcedenti 677.* tùm *ex pag. 681. apparet, ubi inquit* Quomodo id (*boni*) Deus facit? Non violenter, sed suaviter, quanquam potenter sic, ut certò fiat; quod ipse vult, & tamen homo operetur. *Repete huc, quæ supra p. 667. ex Suarez protulit: ubi cõversionẽ* Crocius *fruſtra ex absoluta volũtate & potentia provenire docuit. At conversio hominis* violenta & irresistibilis *vitiosè suavi (cum multa violenta possint esse suavia) opponitur: veùm liberæ, & certis medijs conditionatæ. Operatur enim*

*enim Deus ſalutem per verbum, ut potentiam ſuam, efficaxq; omnibus creaturis ad credendum medium, ex conſilio & mandato divino: Sed non operatur ſalutem illam in repugnantibus.* Facit ex naturaliter nolentibus volentes, ſed non ex voluntariè & contumaciter repugnantibus currentes. *Deus extendit manum, ſed homines mali renuunt venire. Voluit multoties congregare Hieruſalem, ſed noluit; ſprevit conſilium Dei adverſus ſemetipſam. Egregiæ igitur contradictioni* Grocius *ſua lubricitate implicatur, qua paginis præcedd. inprimis ducenteſima dixerat*: Deus efficaci vocatione, etiam neceſsitatem affert voluntati noſtræ tum ad agendum; tum ad benè agendum: & nihilominus p. 681: Homo, ait operatur libere. *Quam deinceps libertatem ex eodem* Auguſtino, Hilario, Hieronymo, Irenæo, Chryſoſtomo, Fulgentio, Anshelmo, Bernhardo p. 681. 682. 683. 684. & Gregorio. p. 675. deſcribit.

*Quæ pag. 686. & ſeqq. proferuntur, quantum quidem nos concernunt, ſupra ſuis locis diſtincte fuerunt diſcuſſa.*

FINIS EXAMINIS LIBRI QUINTI.

# DE LIBRO SEXTO PERſeverantiæ Crocianæ.

PErpauca ſunt, quæ in hoc libro præſens reſpiciunt negocium. Nam Cap. 1. de mora & mente compoſita, 2. de meditatione & lectione, 3. de dubitatione Crociana, 4. de collatione Hagienſi, *nos non ferit.* *Quintum,* De antiquitate Hebræa, Græca, Latina, *omni, ſtetit à nobis, ut* cum paſſim, tum *præcipue Libro IV. demonſtratum fuit.* *In* capite V. *differit* de Diatribe Eraſmi Crocius *& præcipua libri illius capita recenſet.* *Eraſmus à ut* Bertii & Arminianorum *cauſam nonnihil fortaſſis juvare: Sic tamen in præſentiarum, neutrius tutari quibit.* Nec Eraſmi Hyperaſpiſtes (*De quo* Crocio *res eſt in Cap. VII.*) *egregij quid præſtat, ſed ferè totus,* de ſcripturæ obſcuritate & claritate, *rhetoricatur.* *Et deinde,* Num quicquid quæſtionum è ſacris literis naſcitur, apud quosvis, etiam imperitam multitudinem, ſit tractandum. *Diſſerit quoq; nonnihil contra abſolutam neceſſitatem & ſimilia.*

*In capite VIII. nihil occurrit, quod ad rem faciat præſentem.*

*Pag. 787. uſq; ad p. 796. recitat Crocius* Melanchtonis, ipſius Lutheri; *item* Formulæ concordiæ, *& aliorum* Lutheranorum *teſtimonia, quibus*

*quibus probent*, Lutherum *suum librum, de* servo Arbitrio, *non retractasse; sed eum cœlestem veritatem continere: Ex ijsq; ita tandem contra nos concludit p. 796. scribens*: Hæc prolixius repetere placuit, ut non tantùm Bertius, sed etiam hodierni Lutherani intelligant, quam procul absint ipsi à doctrina Lutheri de libero arbitrio, quam temerè eam opinentur retractam, & quam iniquè in Calvino & alijs condemnetur, quùm à Luthero, Forma concordiæ & Apologia, & multis Lutheranis defendatur. *At breviter respondemus calumnianti* Crocio, Lutherum in libro de servo arbitrio *id præcipuè egisse, ut liberum arbitrium esse in spiritualibus & fidei rebus nullum ostenderet. Ubi inter cætera affirmavit, omnia absolutè & necessario evenire. Quod nunc* Calvinian*i detorquent contra mentem* Lutheri; *ubivis urgent, & imperitis sub durioribus Lutheri phrasibus, mente illius spreta, venenum suum occultant & propinant.*

*De priori loquuntur* Lutherus *ipse*, Melanchton, Formula Concordiæ *reliquiq; nostrates* synceri *Theologi & probant. Quod vel ipsamet nostratium verba, à* Crocio *allata, clarissimè evincunt. Defendunt enim* Lutheri *sententiam contra* Majorem, Strigelium *& alios* Synergistas; *ut ocularis inspectio tam verborum, quam temporis & locorum ratio edocet. Vide &* Form. Concord. *pag. 667.*

*Posterius vero ipsemet Lutherus dextrè explicavit. Vide Novam Consid. contra. Johan. Croc. Nam in primis temporibus exorti Evangelij iste liber est scriptus: ubi non nihil errorum* Scholasticorum *ipsi adhuc adhærebat.* Et Calvinistis *nondum enatis durius est locutus: adeoq; ipsi evenit, quod antiquitus nonnullis* Patribus *ante* Pelagianam & Nestorianam, *aliasq; hæreses viventibus. Verùm cum isto scripto nonnulli offenderentur, scripsit* B. Lutherus eodem tempore ad fratres Antwerpienses *Tom. 3. Jen. f. 102. a & b.* Non dubium est, *inquiens*, quin spiritus fanaticus me apud vos sit delaturus, quasi dixerim, Deum velle peccatum. Ad id hoc ipso responsum volo, eum afficere me injuria! Et quemadmodum aliâs refertus est mādacijs: ita hic veritatem non dicat. Ego dico, Deum, prohibuisse peccatum & id nolle. Hæc Dei voluntas est nobis revelata & scitu necessaria; quomodo a. Deus peccatum permittat aut velit, id nostrùm scire non est. Quia nobis nō revelavit: Et Paulus ipse noluit, & non potuit scire Rom. 9. dicens: O homo quis tu es, qui ex adverso responsas Deo? Quare peto, si spiritus iste quæstione de hac arcana Dei voluntate vos multùm perturbare conatus fuerit ut ab eo discedatis, & sic dicatis. Quid nobis illudis, & cupis nos ad id deducere, quod nobis scitu prohibitum est impossibile?

*In*

*In specie* de libero arbitrio (*quod in* libro contra Erasmum, simpliciter vocarat servum, in articulis visitationis *anno 1538. ita sese explicat:* Multi loquuntur inconsideratè de libero arbitrio: ideo hanc brevem informationem adscribere volui. Habet homo ex proprijs viribus liberum arbitrium faciendi & omittendi externa opera, ad quæ legibus & pœnis permovetur? Quapropter potest etiam facere mundanam justitiam & bona opera ex proprijs viribus, à Deo ad id datis & conservatis. Nã Paulus appellat justitiam carnis, hoc est, quam caro, vel homo ex proprijs operatur viribus. Si igitur homo ex proprijs viribus operatur justitiam: habet utiq; omninò electionem & libertatem mala fugiendi & bonum faciendi. Deus etiam requirit istam externam vel civilem, justitiam, sicut scriptũ est ad Galat. 3. ex Lex posita est ad præcavendam transgressionem externam. Ex 1. Tim. 1. Lex justo non est posita, sed non justis & non subditis, & impijs & peccatoribus sceleratis, quasi diceret Paulus: Non quidem cor mutare ex proprijs viribus, sed externam transgressionem vitare possumus. Docendum est quoq;, Deum non delectari vita impurâ & Ethnicâ: Sed requirit is ab omnibus istam justitiam, & punit impietatem atrocissimè, tam mundanis calamitatibus, quã æternis cruciatibus. Deinde non potest homo ex proprijs viribus cor mundare, & divina dona

operari, utpote veram resipiscentiam à peccatis. *Quid his verbis clarius* B. Lutherus, contra absolutam necessitatem, *pro libertate humana in hemisphærio nostro; ubi suas quotidiè exerit vires; deq; arbitrio in spiritualibus captivo: dicere potuisset? Clarius idem præstiterunt nostri* Principes & status in Aæ. C. articulo 18. & 19: *quam* Lutherus, *antequam exhiberetur* Cæsari, *approbavit, & postea semper defendit. Memor sit quoq;* Crocius Lutheri *verborum, à sese infra p. 825. ex ipso descriptorum quibus de* Crocio *ejusq; similibus, illo libro abusuris, est vaticinatus scribens in comment Cap. 26 in Genes:* Sic igitur in libro de servo Arbitrio docui, esse distinguendum, quando agitur de subjecto divinitatis. Aut n. disputandū est de Deo abscondito (quē nobis Calviniani sub volūtate arcana Dei, abscondita & beneplaciti effingūt) aut de Deo revelato. De Deo quatenus nō est revelatus, nulla est fides, nulla scientia, nulla cognitio, atque ibi tenendum est; quæ supra nos, nihil ad nos. Ejusmodi enim cogitationes, quæ supra aut extra revelationem Dei sublimius aliquid rimantur, prorsus Diabolicæ sunt. Retineat Deus sua decreta & mysteria in abscondito: non est cur ea manifestari nobis tantoperè laboremus. Mosi cupienti videre faciem Dei responsum est, posteriora mea tibi ostendam, faciem autem meam videre non poteris. Sic Deus præscientiam

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0722
DFG

tiam & prædestinationem, suam egregiè manifestat, sed non ista via rationis carnalis. Si Christum audieris & in nomine ejus baptizatus fueris, & diligas verbum ejus (*At baptismus Crocio est tantùm signum & sigillum externum; & dilectio ista & fides etiam, non verè credentium sed & temporariorum est bonum*) tum certò es prædestinatus, & de salute tua certus. *Et multis interjectis.* Studiosè & accuratè sic monere volui, quia post meam mortem multi meos libros proferent in medium, & inde omnis generis errores & deliria sua confirmabunt. Scripsi inter reliqua, esse omnia absoluta & necessaria, sed simul addidi, quod aspiciendus sit Deus revelatus, sicut in Psalmo canimus Er heißt JEsus Christ/ der HERR Zebaoth/ vnd ist kein ander Gott. Sed illos locos omnes transibunt, & eos tantum arripient de Deo abscondito. Vos igitur, qui nunc me auditis, memineritis me hoc docuisse, non esse inquirendum de prædestinatione Dei absconditi (*cum Calvinistis*) sed in ea acquiescendum esse, quæ revelatur per vocationem & ministerium verbi &c. *Horum Crocius recordari velit, quoties nobis* Librum Lutheri de Servo Arbitrio, *tanquam caput* Medusæ, *objicit, ac scrutari, qui Lutherus sese explicarit, ne nobis ulterus, locis difficilioribus insultando, & jactando consensum, molestus sit.* Cap. 9. & 10. *hujus libri nos non tangunt.*

Et tantum etiam de Libro sexto.

# DE LIBRO SEPTIMO PERSEVERANTIÆ Crocianæ.

## *De capite primo.*

IN capite primo *disserit* Crocius *tantùm de variis* Perseverantiæ *acceptionibus. Quæ verò Loca ex Epistola ad Hebræos, & quam firma, pro defectionis possibilitate proferri queant; libro 3 & 4. satis inclaruit.*

## *De capite secundo.*

*In hoc capite perhibet* Crocius, *se ex* Ursino & Musculo *quid reformatæ* (Calvinisticæ) *Ecclesiæ de electione & electis sentiant, explanasse.*

*Deinde pag. 813. contra nos ita scribit:* In tuam & Lutheranorum quorundam gratiam, qui doctrinam nostram de hoc capite non horribilem modo, sed & blasphemam & ultimæ impietatis arcem dicere non dubitant, ex ipsissimis Lutheranorum scriptis ac confessionibus, quæ huc pertinent, citabimus. *Resp. 1. Quare* Calvinianam *doctrinam, de absoluta electione & reprobatione, impiam & blasphemam esse arbitremur;* cùm *alibi*, tum *inprimis cap.* ultimo libri primi *indicatum est 2. Non esse electionem absolutam in* Resolutione *testimonij Mat. 24. 24. contra* Crocium

&

*& assecias, validè & solidè propugnavimus & obtinuimus.*

Pergit Crocius: esse, ajens, aliquam electionem hominum in Christo ad vitam æternam negari non debet, quantumvis consilium Dei in ea sit occultum. Probare desudat ex Augustino, Simone Pauli, Joh. Bugenhagio, Pomerano, Christophoro Cornero, & Tilemanno Heshusio. *R. 1. Rectè hæc Arminianis opponuntur, non v. nobis, qui electionem esse statuimus. 2. Quin nec hoc diffitemur in alto isto mysterio, multa adhuc esse occulta, & manere in hoc mundo occulta: negamus tamẽ ista de absoluta quadã reprobatione impiorum intelligi, quasi illis gratia & fides dari non debuerit: quodvè Deus non omnium, sed paucorum duntaxat hominũ sit misertus. Illa & similia portẽta verè sunt blasphema. Ex his & alijs ad Simonis Pauli locum responsio plana est: qui præterea universale Christi meritum & vocationem agnoscit, nec quicquam absurdi statuit.*

Dn. Pomeranus, Dn. D. Cornerus ac Heshusius *p. m. defendunt, contra Pelagianos & Pontificios, meram esse Dei gratiam & misericordiam, in electione inprimis conspicuam. Interim & ijdem tradunt universalem Dei gratiam erga omnes homines, universalem vocationem ex intentione & consilio Dei & sacramẽta, perq; ea in fœdus internum & æternum susceptionem: Quæq; asperius efferunt, Evangelij contemtum, & indè occulta Dei judicia,*

*concernunt. Cum autem apud hos & alios aliquando duriores occurrant sententiæ & voces, acquiescemus in sententia* Formulæ concordiæ *p. 797 ita nos præmonentis.* Quia verò apud exteros (*Calvinianos & Pontificios*) de eo articulo vehementer disceptatum est: & inter nostros etiam homines aliquid glisscere cepit: & theologi non semper similes de hoc negocio sermones usurpant: studebimus &c.

*Desinat igitur* Crocius *in scriptis* nostratium, *non nisi* all compositionis *& distractionum committere, infirmosq; turbare.*

*Deniq; p 820* decretum creationis ad salutem rectè præponit decreto reparationis & electionis ad salutem in Christo. *Non potest tamen negare,* Calvinianos antehac ita sensisse, *dicens p. 824, 825* Pauculi quidam nonnunquam sic considerant decretum electionis, ut referatur ad decretum creationis, quod habet rationem medij, juxta Metaphysicorum theorema: Quod est ultimū in exsequutione, id est primum in intentione. *Quæ & sententia est* Deputatorum Zuy-Hollandicorum in Actis Dordrech. *p. 47 arbitrantium,* Deum simpliciter ex genere humano elegisse certas quasdam singulares personas. *Et p. 49. de objecto electionis ipso;* An Deus in eligendo homines consideraverit ut lapsos, an etiam ut nondum lapsos, existimant non esse necessarium

ut

ut definearur. *Videsupra plura. Atqui verò homines, ut creati, cõsiderati: tantùm sunt boni; sunt sancti, & ad imaginem Dei; eoq; ad vitam æternam creati: ubi nulla electio, ut quæ lapsum supponit, locum habet. Non igitur effugere possunt, quin Deum statuant peccati & interitus authorem.*

## Cap. III.

### De reprobis & reprobatione.

*Pag. 829. scribit* Crocius: Equidem istam opinionem (*Reprobos vocare* Calvinianos, ingentem illam eorum mortalium turbam, quos Deus creabiles, nondum certo decreto creandos, citra peccati considerationem exitio destinârit ad laudem suam, tantum quia ita libuerit) pro mea non agnosco. *Excusat tamen*: illi, inquiens, attendunt, omnia quæ Deus in tempore agit, ab æterno decrevisse: Et Deum finem, gloriam suam, ante omnia spectasse meritò: & electionẽ ac reprobationem factam esse fine respectu peccati, non simpliciter, sed quatenus peccatum prævisum, Deo nec causa fuit, cur Deus vellet in peccato quosdam relinquere, nec cur ex eo quosdam per omnipotentem gratiam suam eripere. Peccatum a. causa erat, cur posset omnes deserere & damnare. *Verùm cum ipse* Crocius *eã opinionem nominet, cujus defensionem suscipere recusat; utiq; à scriptura dissentire agnoscit. Attamen miramur, qua fronte palliet mandacia & falsitatẽ?*

*Post-*

*Postmodum suam recitat de reprobis & repro-batione opinionem, eamq; seqq. assertionibus cõplecti-tur, statuens 1.* esse aliquos reprobos, videlicet, qui non sunt de numero electorum. *Quæ assertio vera est. II. Reprobos vocari eos, qui sint a Deo reprobati.* Cui *subijcit p. 831*: Reprobos hic non vocamus eos, qui propter innatam malitiam sunt reprobi, & diversi à sinceris & bonis: quemad-modum argentum reprobum, quod adulterinum est, vocatur: sed eos, quos Deus rejecit, ac re-probavit, quùm eligeret, quos volebat. Sic du-plici nomine sunt reprobi. Primùm, quod à Deo sunt reprobati: Deinde quod propter innatam malitiam mali sunt & reprobi. *Resp. Non consistit absoluta reprobatio & odium, 1. cum universali Dei vocatione ad salutem & mandato credendi: Nulli enim absolutè reprobato potest Evangelium ad con-versionem proponi absq; insigni irrisione. Nec 2. cum universali Dei misericordia & gratia; quam supra* Crocio *opposuimus.* Tertio, *reprobationẽ esse factã ab æterno. 4. Esse hoc ipso reprobatos,* quod non sint electi & præordinati ad vitam 5. causam repro-bationis non esse nobis investigandam. Sit n. oc-culta, nec collocanda in futura reproborum ma-litia, quemadmodum nec electionis causas ad fu-tura electorum merita referamus: sed soli volun-tati Dei tribuenda. *Resp. 1. Scriptura causam repro-bationis non ad Dei voluntatem refert, sed in ipsius ho-*

*hominis incredulitatem. Joh. 3. v. 18. Marc. 16. v. 16.* Qui non crediderit condemnabitur. *Et Rom. 9. v. 30. 31. c. 11. v. 7. Ergo causa reprobationis* non est occulta, *ut vult* Crocius, *sed in propria reproborum malitia & incredulitate residet. 2. Ratio* Crocij *est imbecillis; cum vel ipsi* Calvinistæ *nobiscum doceant, bona opera non mereri vitam æternam, licet mala mortem; eos, Pontificios fall. non contrariorũ parium ludere causarũ. 3. Inscitè reprobationis causam* absconditæ Dei voluntati *adscribit: quam non tantum nostram salutem non attingere paulò ante ex* Luthero *docuit: sed & Deum omnium misertum esse constat; quotquot sub incredulitate fuerunt concluſi: eisq; misisse Christũ pro omnibus moriturũ & satisfacturũ. 4.* Dn. D. Heerbrandus *p.m. non fuit prædestinarius.*

*Assertio 6;* Quemadmodum electi suo tempore vocati credunt, resipiscunt, justificantur & salvantur, nec à salute hac excidere possunt: ita nec reprobos obedire Deo vocanti, nec credere nec recipiscere, nec justificari, nec salvari posse. *Resp. 1. Cur igitur illis Evangelium salutis proponitur? Frustrane? an ut irrideantur? Imò contrariũ est manifestæ veritatis, & in libris præcedentibus assertum. 2. Citat quidem rursus pro se* Crocius Hesshusium; *at frustra. Nam illius verbis, ad p. 816. & seqq. respondimus. Quibus hîc addimus, illum in comm. ad Rom. c. 8. quæst. 8. fol. 106. in causis, cur*

Deus

*Deus magnam hominum multitudinem relinquerit in interitu; in prima causa facere peccati mentionem: Quod Calvinianis est paradoxum. in tertia verò gratuitæ misericordiæ & bonitatis contra* Synergistas & Pelagianos. *Si qua tamē durius nōnihil effatus est, jā antea ex* Formula Concordiæ *monuimus, non omnes Theologos esse semper eodē modo locutos.*

Assertione 7. ait Crocius, non esse temerè aliquem reprobum judicandum. 8. sed pro omnibus orandum. 9. jubet, ne quis semet in reproborum numero constituat. *Quibus in re ipsa assensum præbemus.*

## Cap. IV.

### Quinam sint, ad quos Apostolus in Epistolâ ad Hebræos sermonem dirigit?

Esse *Apostolo de* Hebræis conversis *sermonem, passim l. 3 & 4. in testimonijs ex hac epistolâ sumptis, demonstratum est. Nunc verò excipit* Crocius *p. 840. esse isthanc Epistolam, non tantum ad Judæos plenè conversos scriptam: Sed ad alios etiam, qui Christianismum nondum aut totum, aut ex parte receperint. Opinatur id probari ex Cap. 12. v. 25. 28. verùm respondemus 1. alloqui Apostolum* Hebræos baptizatos *& in Christianismo institutos, Cap. 5. v. 12. & seqq. c. 6. v. 1. 2. 2. Si vel maximè in Ecclesia illa & populo fuissent (quod verisimile est) nonnulli hypocritæ; nihil tamen id patrocinaretur* Crocio; *Cum enim agat de tota Ecclesia &*

gen-

gente verè conversa, justitiaq; fidei donatâ: (quod passim libro 3. obtinuimus): deq; illâ non tantùm possibilitatem defectionis à fide, sed & actum de quibusdam affirmet; à nobis sanè in dubium vocari minimè oportet. 3. Nec Crocij objectio ex 12. v. 25. & 28. prolata tanti est momenti, quæ contrarium nobis persuadeat: siquidem non tantùm infideles, sed renati quoq; & fideles possunt recusare, & interdum recusant, audire Deum, ut: Salomo conversus 1. Reg. 11. v. 9. 10. 11. c. 9. v. 4 5. 6. Quin de conversis loqui Apostolum c. 12. ad Heb. versus 22. 15. 1. 3. 6. indicant: quibus ad perseverantiam instigat & animat Hebræos, atq; ab apostasiâ debortatur. Objicit 2. Calvinum, Tossanum & Hunnium. Ast illis dimissis, Hunnius nobis non est contrarius. Quemadmodum enim non diffitemur, eâtenus quoq; genti Hebrææ non conversæ scribi, quatenus explicatione rerum, typorum, locorum scripturæ obscuriorum, & historiarum fidelium patriarcharum, ac denique conversorum institutione & exemplo ad conversionem allici potest, sic quos in Epistola alloquitur, fuisse conversos in locis nominatis ebicimus. 3. Frustra causaberis titubationem circa cæremonias Mosaicas Hebræorum. Illa namq; non fidei absentiam, sed infirmitatem, & in cognitionis scripturæ plenitudine ruditatem arguit. Idcircò Apostolus ista omnia explanat, & sanctorum exemplis & inductione, justitiam ex fide probat: ut teneros illorum animos cõfirmet.

Reliqua, quæ in hoc capite 4. p. 844. occurrunt nos non tangunt; ideoq; illud, ut & V. quod nihil novi affert, mittentes: ad caput VI. progrediemur.

CAP. VI. De indecoro & periculo apostasiæ.

INgens peccatum est apostasia à fide, & dedecus turpissimum, quod Bertius probaverat & Crocius repetit: 3. argumentis & approbat; Nam 1. Christus, quem impij apostatæ desa-

runt

major est c. 1. prophetis c. 2. angelis 3. Mose 7. Aarone 7. Abrahamo 2. Fedus, quod deserunt est præstantius federe priore & melioribus promissionibus sancitum, Heb. 8. 9. 10. 10. 3. Hoc est filium Dei pedibus conculcare, & sanguinē fœderis, per quem fuerunt sanctificati profanum ducere, & Spiritum gratiæ exstinguere. Pericula annotat novem ex hac Epistola, si n. sancti defecerint 1. non effugient exitium. c. 2. 10. 384. Desinent esse consortes Christi c. 3. vid. 5. Non ingredientur in requiem Dei. Desinent esse domus Dei, c. 3. v. 6. 3. Non placebunt amplius Deo c. 3. v. 18 6. Impossibile erit illos restitui c. 6. 4. 7. Erunt similes terræ maledictæ c. 6. v. 6. Non poterunt expiari c. 10. v. 26. 9. Manebit eos ira Dei c. 10. v. 27. ubi ad tertium indecorum & 6. 7. 8. periculum *annotamus*, *quod sint vera quidem, sed non universalia pathemata omnium apostatarū, verùm duntaxat peccantium in S. S. Alys nanq; peccatoribus & apostatis rursus aditus ad fœdus patet: his verò nullus: sed in impietate & rabido Evangelij odio & persecutione ad finem usq; perdurant.*

*Quæ in capitibus seqq 7 8 9 10. loquitur, aut nihil novi & memorabile, præter ea, quæ supra sunt examinata, reponunt; aut quæ reponunt, nobis nullam intendunt litem. Quapropter hic finem facturi, Deum ardenter rogamus, ut ipsius voluntas fiat, omnes convertantur, & in fide filij sui obsignati, usq; ad diem & adventum Jesu Christi perseverent; per & propter eundem Christum, totius mundi propitiatorium & redemptorem Amen, Amen.*

Gloria sit Patri & Sancto cum Flamine Nato;
Trinum sit honos, qui dedit ista, Deo!

In-

# INDEX PRIMUS.

## Capitum & locorum scripturæ in his Libris vel plenius explicatorum vel vindicetorum.


IN Præfatione de consensu & dissensu in fide.

Gen. 4. v. 3. 8 17. lit. C. 8. b.
Zach 8. v. 19. lit. B.
Job. 6. lit. C. 6.
Col. 2. v. 9. C. b. 2.
Eph. 4. v. 10. lit. C. 5. & 6.
Eph. 1. v. 21. & seqq. lit. C. 5. b.
Apoc. 5. v. 12. C. 2.
1. Cor. 10. v. 16. C. 4. b.
Phil. 2. v. 1. D. 6. b.

LIB. I. CAP. I.

Rom. 5. v. 13. & seqq. p. 6.
2. Corinth. 15. v. 45. & seqq. ibid.
Joh. 10. p. 10.

CAP. II. De statu controversiæ.

CAP. III. De decem conclusionibus Crocij.

Matth. 24. v. 24. p. 28.
Joh. 10. v. 28. 29. p. 29.
Rom. 8. v. 38. 39. p. 29. 46.
Jerem. 17. v. 9. & seqq. p. 37.
Phil. 2. v. 12. p. 36.
1. Joh. 5. v. 7. 8.
Luc. 22. v. 32. p. 43.
1. Cor. 6. v. 9. p. 52. 55.
2. Sam. 12. p. 61.
2. Sam. 7. v. 11. p. 71.
Psal. 89. v. 33. 34. ibid.

LIBRI I. CAP. IV. Libri 2. cap. 1. & 2. Examen.

Ps. 1. v. 3. p. 74.
Ps. 37. v. 22. 24. p. 82.
Ps 125. v. 1. p. 87.
Esa. 46. v. 3. 4. p. 87.
Esa. 54. v. 10. p. 92.
Jerem. 31. v. 31. & seqq. p. 94. cap. 32. v. 40. ibid.
Esa. 47. v. 34. ibid.
Esa. 54. v. 10. ibid. & p. 117.
Hoseæ 2. v. 18. p. 118.
Ezech. 36. v. 28. p. 120. v. 16. 17. p. 121.
Esa. 59. v. 21. 122.
Cantic. 8. v. 7. p. 124.
Prov. 24. v. 16. p. 125.

CAP. IV. Libri 1. & lib. 2. Cap. 111.
Matth. 7. §. 24. 25. p. 127.
Matth. 12. §. 19. 20. p. 132.
Matth. 24. §. 24. p. 134.
Eph. 1 §. 3. & seqq: p. 147.
Joh. 13. §. 18. p. 244.
c. 15. §. 15. p. 145.
Rom. 9. §. 18. p. 153.
Exod. 3. §. 19. ibid.
Eph. 1. §. 11. p. 153.
Act. 13. §. 48. p. 156.
Rom. 8. §. 29. p. 143. 158.
Matth. 11. §. 25. p. 159.
Joh 4. §. 14. p. 163.
Jerem. 2. §. 14. p. 164.
Joh. 6. §. 25. p. 168.
§. 37. p. 169.
§. 69. 70. p. 174.
Luc. 6. §. 13 p. 175.
Act. 1. §. 17. & seqq p. 178.
Joh. 6. §. 39. p. 181.
§. 56. p. 183.
§. 57. p. 184.
c. 14. §. 16. p. 189.
c. 17. §. 15. 17. 20. ib.
c. 11. §. 41. ibid.
Matth. 26. §. 53. p. 191.
Lib. 1. c. 4. & l. 2. c. 4.
Rom. 5. §. 5. p. 193.
§. 9. p. 194.
c. 8. §. 17. & seqq. p. 195. & seqq.
c. 11. §. 29. p. 209.
§. 23. & seqq. p. 212.
Esa. 59. §. 20 p 213.
Oseæ 3. §. 4. 5. p. 215.
1. Thess. 1. §. 4. 5. p. 216.
2. Cor. 1. §. 8. 9. p. 217.
Eph. 1. §. 13. 14. p. 220.
Ephes. 4. §. 30. p. 223.
1. Thes. 5. §. 23. p. 225.
2. Pet. 1. §. 3. 4. 23. p. 227.
1. Joh. 2. §. 19. p. 230.
Joh. 16. §. 13. p. 232.
1. Joh. 2. §. 25. p. 235.
§. 27. p. 234. 236.
c. 3. §. 6. p. 237.
Epistola Judæ §. 4. p. 242.
Libri 1. capitis sexti Examen de cautelis Crocij.
Cap. 7. Examen de argumento Crocij ex consequentijs deducto.
Rom. 5. §. 1. 2. p. 149.
§. 5. p. 250.
Heb. 11. §. 1 pag. 248.
Eph 4. §. 30. p. 51.
Libri I. Cap. VIII. Examen de veteris Ecclesiæ consensu p. 252.
Libri I. C. IX. Examen de con-

consensu nostratium p. 263.
Libri II. cap. c.5. Examen de argumento ex ratione
Esa. p. 45. §. 10. 294.
Rom. 5. §. 2. p. 295.
Ezech. 33. §. 11. p. 302. 304.
Cap. VI. Examen de calculo Patrum p. 307
Cap. VII. de dissensu de articulis de Prædestinatione, Perseverātia, l. b. arb. p. 309.
Rom. 8 §. 36. p. 311.
Gal. 2. §. 20 p. 312.
Jer. 17. §. 5. 7. ibid.
Persev sanctorum Christianæ Liber III.
Cap. II. sententia nostra de hoc doctrinæ capite p. 315.
Gen. 1. §. 27. p. 315. 316.
Apoc. 20. §. 11. p. 326.
Job. 5. §. 16. & 18. p. 328.
Cap. II. De Postulatis Bertij p. 324.
Act. 8. §. 22. p. 334.
Rom. 8. §. 14. p. 330.
2. Sam. 12. §. 13. p. 335.
Gen. 17. §. 7. p. 336 & seqq.
Act 2. §. 39. / Exod. 3. §. 6. / Luc. 20. §. 3. 38. } ibid.
Job. 3. §. 18. p. 338.
Matth. 3 §. 9. p. 342.
Rom. 9. §. 6. p. 343.
Gen. 4 §. 7. p. 346.
Heb. 12 §. 17. p. 347.
Rom. 11. §. 15. 20. p. 347.
Cap III. De Demonstrat. I. ex claris scripturæ testimonijs hausta p. 348.
Ezech. 18. §. 24. p. 350.
c. 13. §. 18. ibid.
Ps. 112. §. 6. p 352.
Gal. 5. §. 4. p. 355.
Heb. 3. §. 12. p. 358.
Marc. 9. §. 50 p. 365.
Luc. 14. §. 34. ibid.
Esa. 1 §. 4. p. 364.
Joh. 8. §. 35. p. 366.
1 Tim. 4. §. 1. p. 368.
1. Pet. 3. §. 17. p. 370.
Heb. 12. §. 25. p. 371.
2. Joh. §. 9. p. 372.
Matth. 24. §. 12. p. 373.
Apoc. 2. §. 4. p. 375.
c. 3. §. 11. ibid.
1. Thess. 5. §. 19 p. 376.
1. Tim. 1. §. 19. p. 377.
Heb. 10. §. 36. p. 382.
Gal. 3. §. 3. p. 383.
Heb. 10. §. 38. p. 386.

2. Pet. 2. §. 1. p. 387.
Esa. 1. §. 22. p. 388.
Jerem. 2. §. 21. ibid.
Matth. 24. §. 29. q. 389.
Apoc 8. §. 10. ibid
CAP. IV. De Demonst. II. ab invectis exēplis petita p. 390.
Protoplastorum Gen. 3. §. 7. p. 391.
Aaronis Gen. 32. §. 21 p. 392.
Saulis 1. Sam. 16. §. 13. c. 10. §. 5. c 18. §. 12. p. 397. & seqq.
Davidis 2. Sam. 11. §. 13. & seqq. & c. 12. p. 401. & seqq.
Ps. 51. §. 12. p. 407.
Salomonis 2. Reg. 11. §. 4. 5. p. 410.
1. Reg. 3. §. 3. p. 409.
2 Sam. 7. §. 14. 15. p. 412. 416.
1. Reg. 1. §. 33. p. 414.
2. Paral. 22. §. 10. 11. p. 415.
Eccles. 2. §. 17. c. 11. 9. p. 419.
2. Chron. 11. §. 17. p. 402.
Petri Luc. 22 §. 57 p 421.
Matth. 26. §. 72. ibid.
Thomæ Joh 20. §. 25. p 423.
Simonis Magi Act. 8. §. 12. p. 424.
Judæorum Matth. 11. §. 24. p. 424. 425.
Galatarum ibidem.
Hymenæi & Alexandri p. 426.
Hymenæi Phileti & aliorum 2. Tim. 2. 17. 1. Tim. 6. §. 20. 1. Tim. 1. §. 6. p. 426.
Demæ 2. Tim. 4 §. 9. p. 427.
Nicolai Apoc. 2. §. 15. p. 428.
Aliorum hæreticorum & hypocritarum 2. Pet. 2. §. 20. p. 431.
Judæorum veterum Esa. 1. §. 21. c. 30. §. 1. Jer. 3. p. 435.
Judæ p 137.
Prædicitur de multis futura 2. Pet. 2. 1. Tim. 4. §. 1. Act. 20. §. 30. p. 434.
CAP. V. de Demonst. III. à natura finis & adjūctorum, quæ conditionaliter proponitur p. 434.
Ezech. 33. §. 13. p. 438.
Heb. 10. §. 38. p. 439.
Joh. 15 §. 24. ibid.
Rom. 8. §. 12. p. 441.
Heb. 6. §. 5. ibid.

CAP.

CAP. VI. De Demonst. IV. à metu sanctorum p. 446.
Matth. 18. §. 32. p. 449.
Ezech. 18. §. 22. p. 445.
1. Cor. 9. §. 27. p. 453.
2. Cor. 13. §. 16. p. 455.
CAP. VII. De Demonst. V. à causis apostasian conciliantibus p. 459.
1. Tim. 1. §. 19. p. 462.
Matth. 13. §. 12. ibid.
c. 12. §. 43. p. 463.
c. 13. §. 19. p. 465.
Hebr. 12. §. 15. p. 466.
Matth. 13. §. 20. p. 468.
Luc. 8. §. 6. ibid.
2. Tim. 4. §. 16. p. 469.
2. Pet. 2. §. 18. p. 471.
2. Pet. 1. §. 9. p. 473.
Matth. 3. §. 22 p. 475.
1. Tim. 6. §. 10. p. 476.
Matth. 24. §. 11. p. 477.
2. Cor. 11. §. 3. ibid.
Rom. 11. §. 20. & seqq. p. 479.
Apoc 2. §. 5. p. 482.
Act 7. §. 11. p. 482.
CAP. VIII. De Demonst. VI. à causis apostasian abertentibus p. 483.
Joh. 3. §. 9. p. 487.
Jobi 14. §. 5. p. 489.
CAP. IX. De Demonst. VII.
Matth. 12. p. 492.
Ps. 121. p. 493.
Dan. 7. §. 9. Psai. 6. 69. 29. Dan. 12. §. 1. Luc. 10. §. 20. Phil. 4, 3. Apoc. 13. 8. c. 20, 20. &c. de libro vitæ p. 494.
Exod. 32. §. 33. p. 493.
Ps. 69. §. 19. p. 496.
1. Pet. 1. 11. Gal. 5. 16. 17. &c. Rom. 8. 13. ubi distinctio inter opera carnis & carnalia explodituer p. 497.
CAP. X. De Demonstrationum universitate p. 500. Libri IV. caput 1. quo posterius problema formatur & explicatur
Cant. 5. §. 2. p. 508.
Joh. 3. §. 8. ibid.
Cap. II. An justitia, quæ deseritur, sit simulata p 509.
Ezech. 18. p. 511.
Zach. 7. §. 4. p. 512.
Cap. III. An propositio conditionalis sit mutanda in categoricam p. 513.

*Exod. 23. v. 22. p. 516.*
*Rom. 8. v. 13. 1. Cor. 6. & Gal. 5. v. 16. 17. p. 557.*
*Cap. IV. An fides, temporaria sit vera fides? p. 518.*
*Matth. 23. & Luc. 12. v. 1. p. 520.*
*Act. 8. v. 22. p. 521.*
*Matth. 25. v. 23. p. 525.*
*2. Cor. 1. v. 9. ibid.*
*Heb. 2. v. 17. p. 526.*
*Rom. 4. v. 19. ibid.*
*Cap. V. De Demonstratione I. ubi problema ex ijs fundamentis demonstratur, quibus in demonstratione libri. III. demonstrabatur p. 526.*
*Cap. VI De Demonst. II. vid. lib. III. & adde loca.*
*Heb. 10. v. 29 p. 531.*
*2. Pet. 1. v. 1. p. 532.*
*Apoc. 14. v. 3. p. 533.*
*Apoc. 3. v. 18 ibid.*
*Matth. 7. v. 23. p. 534. c. 25 v. 12. p. 535.*
*CAP. VII.* De Demonst. III. ubi prætes alia, notari poteſt ille Exod. 22. 539.
*2. Cor. 9. v. 10. p. 540.*
*Job. 15. v. 4. 6. 7. p. 541.*
*Col. 1. v. 21. ibid.*
*1. Tim. 2. v. 15. p. 542.*
*CAP. VIII. De Demonst. IV. ubi de salis simili p. 543. Et de Demonst. V. p. 543.*
*CAP. IX. De Demonst. VI. & VII. p. 546.*
*CAP. X.* De Demonstratione singulari.
*CAP. XI.* De monitis Bertij p. 547.
*CAP. XII.* De absurdis, quæ ex Perseverantia absoluta proveniunt p. 549.
*Eph. 5. v. 23. p. 552.*
*Matth. 26. v. 28. ibid.*
*1. Joh. 5. v. 16. p. 554.*
*CAP. XIII.* Sententia Patrum vindicantur p. 559.
*Matth. 13. v. 38 & seqq. p. 560.*
*2. Pet. 2. c. 2. p. 50. 581.*
*Ps. 51. p. 581. 582.*
*De lib. V. cap. 1. p. 584.*
*Joh. 3. v. 5. Tit. 3. v. 5. Eph. 5. v. 26. 1. Pet. 3. v. 21. p. 587. 588.*
*Matth. 28. v. 20. 20. Act. 2. v. 39. Matth. 19. v. 13. Marc. 10. v. 14. Luc. 18. v. 15. 16. p. 588. 689.*

Rom.

*Rom.* 9. v. 6. 7. 8. *p.* 590.
*Gen.* 25. v. 17. *ibi.*
*Act.* 1. v. 25. *p.* 591.
*Gal.* 4. *ibid.*
*Matth.* 8. v. 11. 12. *ibid.*
*De CAP. II.*
*Marc.* 16. v. 15. 2. *Cor.* 2. v. 14. c. 3. v. 3. 4.
*Rom.* 1. v. 16. *p.* 598. 600.
*Rom.* 2. v. 14. *p.* 601.
*Phil.* 1. v. 29. *p.* 603.
*De CAP. III.*
*CAP. IV. ubi* de Borboritis, Manichæis, Stoicis
2. *Pet.* 2. v. 1. *p.* 611.
*CAP. V. ubi* de Martyribus Calvinianorũ *p* 615.
*CAP. VII.* 1. *Pet.* 1. v. 19. *p.* 627.
1. *Pet.* 5. v. 9. *p.* 628.
2. *Cor.* 11. v. 3. 4. *p.* 631.
*CAP. VIII. CAP. IX. CAP. X.* de radice perseverantiæ.

*Libri VI.* Capita priora septem, tanquam ad rem præsentem non pertinentia dimittuntur. *In Cap. VIII.* Lutheri liber de servo Arbitrio defenditur.

*In libri VII.* Capite primo nihil novi reponitur. In secundo Lutheri & Lutheranorum sententia à corruptelis asseritur.

In Tertia agitur de reprobis & Reprobatione. IV. Probat Epistolam ad Hebræos ad conversos Christianos dirigi.

Reliquis cum capite, 5. tanquam alienis sepositis, in Cap. VI. de indecoro & periculo apostasiæ disseritur.

## INDEX II. AUthorum allegatorum.

*ACta Dordrech. p.* 12. 124. 125. 283. 600. 601.
*Admonitio Neostadia p.* C 5.
*Ægidius Hunnius p.* 416. 639.
*Ambrosius p.* 73. 85. 117. 200. 221. 223. 258. 258. 259. 378. 382. 410. 415. 572. 621.
*Andreas Fabricius lit.* D.
*Anshelmus p.* 621.
*Arausicana Synodus p.* 604.
*Aretius p.* 589.
*Aristoteles p.* 437.
*Arnobius p.* 88.
*Athanasius p.* 569.

Augustinus l. E. 2. p. 58. 72. 73. 81. 107. 116. 169. 170. 201. 203. 222. 230. 234. 238. 260. 261. 262. 263. 414. 410. 421. 427. 428. 457. 576. 625.
Angliæ Rex lit. B. 8. a.
Augustana Confessio lit. B. 6. a. & b. B. 7. & Apologia ibidem D. b. 3. p. 271. 274. 588.
Bartholomæus Medina p. 621.
Basilius p. 570.
Bellarminus p. 440.
Bernhardus p. 579. 625. 238.
Beza lit. B. 8. D. 5. p. 11. 455. 610.
Brederobius lit. B. 8. a.
Brentius p. 264. 265. 266.
Bucanus p. 239.
Bucerus lit. E. 3.
Budæus p. 467.
Bulingerus p. 172. 582.
Carolostadius lit. B. 2. B. 8. a. C. b. 610.
Calvinus interpolavit bellum sacram. lit. B. 3. b. lit. D. 5. p. 11. 85.
Cicero p. 18.
Chemnitius p. 268.
Chrysostomus lit. E b p. 193. 253. 254. 410. 456. 572. 625.
Cornerus p. 633.
Concilium Ephesinum C. 2.
Claudius à Saintes lit. E. 2. b.
Clemens Alexandrinus p. 429. 563.
Cõfessio Mansfeldica lit. B. 4.
Confessio VVurtemburgica lit. 4. B. 7. b. D. 4.
Confessio Saxonica B. 4. & p. 243.
Conventus Posßiacenus
Colloquij Momp. præfatio lit. E. 4.
Confessio Belgica p. 617.
Corpus Canonicũ p. 118. 430.
Cyriacus Spangenbergius p. 270.
Crocius lit. B. 2. accusat nos: ait in fundamento esse consensum lit. B. b. controverti tantum de tribus quæstionibus lit. B. 8. b. Negat Christum esse præsentem lit. C. & in cœna, ibid. C. 4. & seqq. Crocij argumenta pro syncretismo lit. D. 5. 2. & seqq. Crocij sententia de concilijs lit. D. 7. Ejus admonitio p. 2. dubitat p. 4. constituit falsum discrimen inter Adamum primum & secun-

*secundum p. 6. argumentum quod non omnia in scriptura sint clara, à natura haustum p. 9. querela p. 25. 58. neminem verè potest cõsolari p. 39.*

*Non potest discernere inter credentem & civiliter justum p. 40. 41. Ejus columnæ Perseverantiæ quatuor: ex quibus tamen neminem potest consolari p. 41. & seqq. Statuit absolutam electionem & absolutè electos p 135. Crociana praxis in afflictis consolandis p. 300. & seqq. ubi promissiones pro universalibus habet p. 301. ejus confessio de dissensu Patrum à suo dogmate p. 253. 257. 307. Argumentum, quod nemo deficiat à fide; quia nemo velit esse miser, excutitur p. 318. Error de rudimentis spiritus & regenerationis p. 385. simile de patre tenente filium est dissimile p. 452. Ait diabolum exire per legem p. 463. negat Christum servare omnes voluisse p. 532. posse impios renasci: Christum solis electis esse redemptorem sentit, p. 553. Crocij error de tritico p. 560. Frustra negat à se statui absolutam perseverantiam p. 592. Crocij dona fidei externa p. 594. Facit Deum hypocritam p 595. ejus insignis contradictio p. 597. sophistice p. 598. Mutat axioma simplex in compositum ibid. vocat nos Pseudo Lutheranos p. 605. vult esse Aa C. socius p. 625. nos lupis comparat p. 626. Absurda p. 632. 633. Fingit nos à Lutheri sententia defeciisse p. 632. & veterum Lutheranorum p. 623. Crocij sententia de reprobis & reprobatione 636. 637.*

*Cyprianus p. 400. 567.*

*Cyrillus Alexandrinus lit. G. 2. a. & b. p. 164.*

*Cyrillus Hierosolymitanus p. 415.*

*Danæus lit. E p. 425. 430. 606.*

*Eusebius p. 427.*

*Feurbornius p. 553.*

*Flatij clavis p. 520.*

*Formula Concordiæ lit. C. 4. 4. D. 3. p. 270. 271. 265. & seqq. 627. 634. 638.*

Fulgentius p. 625.
Gallasius p. 10.
Gerhardus p. 580.
Gisenius lit. B. 3. b.
Gregorius p. 578. 625.
Haymo p. 86. 209.
Heshusius p. 205. 269. 633. 637.
Hemmingius p. 582.
Helmstadiens. Theologi p. 582.
Hilarius p 625.
Hutterus lit. E. 2. p. 625.
Hieronymus lit. E. 2. p. 238. 240. 575. 625.
Ignatius p. 559.
Irenæus p. 9. 10. 430. 562. 625.
Isidorus p 430.
F. Junius p. 582.
Justinus p. 559. 561.
Laertius p. 437.
Lavaterus lit. B 2. b. D. 4. b.
Lombardus p. 157.
Livius p. 81.
Lutherus B. 2. 3. a. & b. p. 278. 580. 625.
Lyra p. 580.
Maccobius p. 610.
Marloratus p. 241. 422. 442. 444 455. (lit. C. 2.
Martinius in comm in Ps. 2.
Martyr lit. C. 3. b. p. 400. 414. 581.
Meisnerus lit. B. 4.
Melanchton lit. B. 2. B. 3. C. 8. p. 272. 283. 401. 471. 519 581. 626.
Mentzerus lit. B. 4. p 588. 619.
H. Mollerus p. 582.
Musculus Dusanus p. 282. 294. 582.
Myconius lit. D. 4.
Nazianzenus lit. E. b. E. b. 4. b. p. 571.
Nicenus Canon lit. C. 7. a.
P. Nicolai p. 617.
Oecelampadius lit. B. 3. C. b. p. 90. 93.
Origenes lit. E. b.

Pacificatio passaviensis lit. D. 4.
Pareus lit. B. 8. a. D. 6. b. p. 12. 210. 215. 239.
Pasor p. 129. 357. 475.
Pellicanus lit. D. 4. b.
Perkinsius p. 610.
Perotti cornucopiæ p. 18.
Piscator lit D. 7. b. p. 11. 83. 88. 90. 243. 303. 325. 354. 445.
Polanus p 12. 304. 332. 403. 412. 521. 589.

Pome-

Pomeranus p. 633.
Prosper p. 577.
Reformatio Colonienſis.
Rennecherus p. 340. 610.
Scarpius p. 12. 112.
Scholiaſtes Græcus p. 378.
Septuaginta C. 5.
Selnecerus p. 266. 267.
Simlerus lit. D. 4. b. p. 495.
Simon Pauli p. 633.
Sleidanus B. 2. a. & b. B. 8. lit. C. 7. b. & ſeqq. E. 2. b. 616.
Socrates E b. d. 8.
Sohnius p. 404. 432. 453. 449. 479. 480. 519. 589.
Sozomenus lit. E. d. 8.
Strigelius p. 583.
Suidas p. 111.
Suarez p. 636. (564.
Tertullianus p. 232. 380. 430.
Theodoretus lit. C. 2. p. 566.
Theophylactus p. 168. 171. 187. 188. 192. 242. 439.
Thomas p. 18.
Thomſonius lit. B. 8.
Thuanus lit. B. 8. b. & d. 8.
Tripartita C. & E. a.
Verſio Syriaca p. 379. 454. 179. 188. 534. 619.
Urſinus d. 5.
VVynckelmannus p. 588.
Zanchius D 5. p. 326.
Zwinglius lit. B. 2. b.

## INDEX III. RE-rum præcipuarum.

Aaron renatus p. 354. turpiter à fide aberrabit ibid. & 395. 396.
Abſolutio quousq; pœnitentibus annũciãda p. 334. 335.
Adami primi & ſecundi differentiæ p. 6. 7. 503.
Adoxium p. 454.
Adoptio filiorũ Dei p. 147.
Æternitas non eſt de animæ eſſentia p. 522. quid addat pœnæ damnatorum ibid.
Agnoſcere Deum & Salvatorem J. Chriſtum eſt vera fidei deſcriptio p. 473.
Angeli quidam à fide creationis lapſi p. 392. Ergo & nos p. 626. Quomodo ſint in manu ſua p. 629.
Anima non eſt otioſa p. 488. Ergo nec fides.
Anti Chriſti qui exierũt ab Apoſtolis, qui fuerint & quãtum nocuerint p. 231.

*Apostasian qui possibilem esse sentiunt, possunt esse certi de salute sua p. 5. potest certitudo fidei & apostasiæ possibilitas stare p. 290. timor quidam cum apostasia consistit p. 306.*

*Apostasia universalis p. 331. Examen apostasiæ gentis totalis & partialis, publicæ & privatæ p. 341. Apostasiæ significata explicantur p. 367. apostasia à fide vera p. 368. causæ apostasian avertentes p. 483. conciliantes p. 459. Apostasia, juxta Calvinianorum hypotheses, in nullos cadere potest p. 593.*

*Apostoli non errant in doctrina p. 232. Illis Paulus & Barnabas annumerantur p. 233. Immediatè vocatorum privilegium non est ad alios extendendum ibid. Alij omnes possunt excidere per hæresin ibid.*

*Arbitrij vires in homine renato p. 114. 115. homo ex se vires semen rejiciendi habet p. 241. Quod observandum contra Manichæos & alios p. 298. 299. Nullæ in spiritualibus vires supersunt ibid. actiones unde æstimentur p. 329. absurditates Crocij p. ibid.*

*Arbor bona p. 75. potest degenerare p. 78. ejus officia p. 79. foliorum viriditas non est fides, sed fidei effecta & adjuncta p. 80. 81.*

*Arianorum impostura lit. C.*

*Articulorum fidei centralitas, p. 522. 523. Fidei particularitas in tertio articulo unde sit p. 601. 602.*

*Arundo quassata p. 131. non est nota contumacium peccatorum p. 139.*

*Atticus Episcopus Constantinopol. lit. E. 2.*

*Augustus Elector non favet Calvinianis lit. E. 3. b. & E. 4. an & quomodo intercesserit pro Calvinianis lit. E. 3.*

Αυτόχειρες *p. 590.*

*Baptismi fructus & effecta tolluntur à Calvinianis, variè circa illum errant lit.*

lit. B. 7. Rebaptizatione cur non sit opus p. 247. 248. Crocio non obsignat in omnibus fidelium liberis gratiam Dei p. 554. 587. Cujus contrarium probatum vide p. 336. 337. 338. 354. Quare omnes baptizati infantes regenerentur; adulti v. non omnes p. 587. Infantes regenerari specialius probatur p. 587. 588. Baptismus juxta Calv. tantum obsignat electos p. 590. non reprobos p. 591. Doctrina Calvinianorum de baptismo spoliat parentes omni consolatione p. 591. Crocius de illorum salute dubitat, 592. Non a. David ibid.

Britanni statuunt quosdam damnari ob peccata contra legem naturæ commissa p. 601. refutantur ibid.

Borboritæ qui fuerint; quid docuerint pag. 606. & seqq.

Calviniani jam ultra nonaginta septem annos fucatam pacem quæsiverunt lit. B. b. sub protestantium nomine & verbis decipiunt ibid. Dissentiunt à nobis in multis articulis, quos recensitos vid. p. B 4. & seqq. Callidè Ecclesiæ amicitiam ambiunt lit. B. quemadmodum multi alij hæretici ibid.

Calviniani in omnibus conventibus à nostris Principibus à fœdere & fraternitate sunt excluſi lit. C. 7. b. 8. & seqq. & lit. E. & seqq. à pace religiosa sunt rejecti lit. E. 3. Lutherus eos non probavit, sed suos præmonuit lit. E. 3.

Calvinianis regnantia peccata cum fide possunt consistere p. 26. 27. Nos miserè in scriptis, concionibus & lectionibus traducunt p. 606. Non possunt verè quenquam consolari p. 39. & seqq. Absurditates eorum & contradictiones p. 62. & seqq. & passim. Inter Calvinianos est Ecclesia & quorum p. 605. Abutuntur Lutheri libro de servo Arbit. p. 630. 627. Absurditas eorum, qui decretum elec-

electionis decreto reparationis præponunt pag. 625. Dogmatum Calviniſtarum & Borboritarum collatio p. 608. 610. & quatenus p. 611. in quibus abnegent Chriſtum p. 612. Comparantur cum Manichæis p 613. 614. Cum Stoicis & quomodo pag. 614. De Martyribus Calvinianorum p. 615. 617.

Cainitæ imitati ſunt Eccleſiam lit. B. 8. b.

Cain fuit in infantia in fœdere Dei interno, nec à Deo abſolutè fuit reprobatus, ſed ad pœnitentiam & vitam æternam invitatus p 345. 346.

Caroli V. edicta in Lutheranos p. 616.

Catenæ Apoſtolicæ explicatio p. 200. habet æq; lata membra, quæ quare in perfectò collocentur p. 202. conſolatio ex illa p. 204. & ſeqq.

Certitudo. vide ſalus.

Chiliaſtarum error lit. D. 7. b.

Chriſtus eſt præſens in cœlo & in terra; ſtatus controverſiæ explicatur lit. C. 6. Poteſt adorari in cœna non bene adeſt ut adoretur, ib. ad Chriſti officium ſpectat, ſedere ad dexteram Dei & eſſ. præſentem p. C. b. Quæ poteſtas ei eſt data & quando p. ibid. Chriſti omnipotentia non repugnat ſcripturæ lit. C. 2. non mutat creaturam in creatorem ibid. non eſt dogma Eutychianum ibid. Divina & humana natura ut differant ibid. Omnipræſentia nulli articulo repugnat, C. 3. Chriſtum adeſſe in cœna poſſe confirmatur, C. 3. b. Velle adeſſe probatur, ibid & lit. C. 4. Aſcenſio ejus non repugnat præſentiæ in cœna & quare lit. C. 4. & 5. Omnes redemit p. 6. eſt Dominus de cœlo; eſt in ſpiritum vivificantem p. 7. Chriſti meritum eludunt Calviniani pag. 41. Chriſti interceſſio duplex; ſpecialis & generalis pag. 44. intercedit adhuc in dextra Dei generaliter pro omnibus Heb. 7. & ſpecialiter pro electis Rom. 8. p. 45. 46. 622. Juxta Calvinianos ut eſſectum,

ctum, electionem ingreditur p. 49. At vero est causa Electionis p. 143. & seqq. Et quomodo, cum ab aterno non extiterit secundum H. N. p. 145. Christus est liber vitæ, & ipse nos in eo scripsit pag. 146. Est fons vivus & aquæ viva p. 163 & panis vitæ 167. vites p. 172. Non perdit ex eo quicquam quod dat pater p. 181 Rogat specialiter non pro mundo, licet generaliter p. 189. Christi preces respectu triplicis officij exauditæ pag. 190. Potuit semper exaudiri absolutè rogaturus p. 190. Orabit pro transgressoribus & ijs, à quibus non fuit glorificatus p. 191. 192.

Christi meritum omnibus ad salutem annunciatur pag. 317. Est promissus 2. Sam 7. p. 413. quomodo habeat peccata p. 413. 414. Omnes homines redemit pag. 531. ubi loca à Crocio objecta solvuntur.

Circumcisio est corporalis & spiritualis pag. 121. circumcisio cordis ibid.

Cor novum, ibid. universæ Ecclesiæ promissum ibid. & p. 122. in individuis corda non manserunt circumcisa ibid.

Conclusiones Bertij decem p. 23. & seqq. & lib. 3 c. 2.

Colligi ad populum suum de salvatis dicitur pag. 590. quod defenditur contra Pisc. p. 591.

Cœna quid sit: vera præsentia in Augustana Conf. & Apologia defenditur & Cingliani improbantur. Præsentiæ ejus fundamenta lit. C. 3. b. & C. 4. & seqq.

Confessio Saxonica defenditur lit. B. 7. b.

Concionatoris fidelis officium adversus lupos lit. B. 8. b. Cum zelo reprehendit Calvinianos & alios cum opus est lit. D. a. & E.

Condi-

*Conditionale axioma p. 435. ponit inesse causam p. 436. 446. cui æquipolleat ib. Conditionata non potest esse absolutè destinata gratia & fides p. 436. Axioma condit. posse mutari in categoricum & in actum deduci probatur 7. argumentis p. 513. 514. item exemplis aliys p. 516. Crocij contradictio & status mutatio p. 517.*

*Conscientia quid p. 67. conscientia recalcitrans p. 58. 67. ejus judicium: peccare conscientia recalcitrante non elevat peccata p. 68. Lucta p. 395. 396.*

*Constantinus & Licinius dant Christianis pacem lit. D. 7. b.*

*Controversiæ Calvinianæ non tantum Academijs disceptandæ permitti debent lit. B. 8. b. sed in concionibus refutandæ sunt C.*

*Conjugium spirituale inter Deum & Ecclesiam p. 118. in quo consistat, ibid. conjugium duplex p. 119. posterius etiam solvi potest ibid. Pareus deprabat & quotuplex constituat ibid. & p. 120. Amoris magnitudo in ea erga spōsum p. 124. deficiunt tamen multi p. 125.*

*Conversio non fit morali suasione, nec determinatione Physica, nec denique necessitate supernaturali p. 639.*

*Crescens p. 428.*

*David deficit à fide p. 57. 65. Differt à Saule; & quomodo gratia non à David fit auferenda p. 71. si mortuus fuisset ante conversionem periisset p. 186. Non fuit obsignatus S. S. tempore lapsus p. 224. ejus lapsi judicium unde p. 331. quid tunc crediderit de Messia p. 333. lapsus descriptio p. 401. & seqq. vir mortis æternæ declaratur p. 403. studuit peccato, ibid. Regnum Davidi promissum politicè ceptum quom odoeb aserit spiritualiter æternum p. 417. Dedit p. 170.*

*Dei promissiones universales p. 42. & misericordia ibid. & 154. Promissiones nobis datæ non omnes sunt absolutæ*

solutæ: Inde quædam non implentur p. 218. multi in iis non manent p. 255. Dei dilectio triplex p. 48. 248. Deus portat sanctos, imò omnes homines; & quomodo p. 90. 91.

Deus quomodo & à quibus occultet verbum suum p. 160.

Dei proprietates essentiales possunt communicari lit. C. 2. b. Dei libertas quomodo defendenda p. 149. quid sit Calvinianis p. 150. 151. Quid sit vera Dei libertas p. 151. 152. in Electione non est absoluta p. 150 sed cum misericordia, justitia & bonitate temperata pag. 152.

Dextera Dei quid sit lit. C. b. sessio ad eam quid ibid. & lit. C. 5. ejus fundamentum ibid.

Decretum absolutum p. 135. decretum & executio ejus p. 147. Dei & decretorum ejus certitudo p. 291. Decretum de creando mundo æternum p. 316. Decretorum in redimendo homine summum contemperamentum ibid.

Vocat omnes voluntate antecedente & vult eos salvari; non item consequente p. 318. Deus quare fine suo possit frustrari p. 162. inde ejus potentia & attributa non læduntur ibid. Dei potentia in verbo potest resisti; quia ordinata est p. 327. & quomodo ibid. Dei opera duum sunt generum: absoluta scil. necessitatis aut conditionis certæ p. 182. Finis donorum spiritus sancti pag. 182. Deus quos & quomodo det filio homines p. 169.

Dei ordo inter perfectionem triumphantium & militantium p. 182.

Dei dona ἀμεταμέλητα p. 209. & quomodo pag. 210. nihilominus homines possunt excidere ibid. si ille pro nobis, tamen nos avertere ab illo possumus p. 229. Dei dona semper ad salutem dantur, nec eam impediunt p. 325. ubi pugna Calvinianorum ibid. An omnibus dantur ad salutem p. 559.

Demas fuit verè conversus & defecit p. 427. 470.

Dissidium Dionysij Alexandrini & Hieronymi lit. D. 7. b. 11. Episcoporum lit. D. 8. iii. Novatianorum & Christianorum, & quatenus sit compositum ibid. IV. Ecclesiæ orientalis & occidentalis lit. E. V. Christianorum sub Julian. ibid. VI. Christ: & Macedoniorum ibid. VII. Basilij & Eusebij ibid. VIII. Christianorum lit. E. b. IX. Theotimi & Chrysostomi cum Epiphanio lit. E. B. X. Augustini & Hieronymi.

Dibitiarum periculosa possessio p. 476. [illegible] p. 354.

Dogmata de salute nostra sunt omnia clarè proposita; non autem visiones omnes & similia & p. 8.

Dubitare non licet de salute p. 574.

Δοκιμάζειν p. 454.

Dumtio quædam non facit ad rei essentiam pag. 522. quædam verò facit pag. 521. Dumtio nihil facit ad essentiam visus p. 425.

Ecclesiæ Saxonica & Vandalica an suo nitori restitutæ sint p. 604.

Ecclesiæ communio cum Christo qua, & articulus de communione sanctorum quid lit. C. 6. Ecclesia N. T. amplitudo p. 117. 118. Ecclesiæ triumphanti ac militanti quo respectu multa tribui aut non tribui possint p. 244.

Ecclesia fœcunda & sterilis p. 93. semper in N. T. manebit Ecclesia p. 123. multi in ea, pereunt p. 122. dona quãdo maxima fuerint p. 123.

Electi differunt à renatis p. 14. & justificatis p. 17. 28. Electi quid Calvinianis ibid. quid nobis p. 15.

Electio investiganda est inscriptum, non extra eam p. 15. Electi non possunt finaliter seduci p. 134. Electos & electionem absolutam tuetur Crocius p. 135. quam fœda sit illa p. 323. 324. Calviniana non debet jure nisi absoluta salutari p. 137. & quare 138. 139. Vera & ordinata nostra p. 141. cujus sunt tres causæ ibid. Prima est Dei gra-

ria p. 142. 321. & quales illa p. 142. Electorum præcognitio p. 148. 158. 200. Ex electione absoluta negata nostræ vires non stabiliuntur p. 158. 159. Electionis ordo pag. 157. 319. & personæ ingredientes cœlum describuntur pag. 160. Electorum certitudo in cruce & tentationibus p. 206. 207. Non potuit electio nisi in solo Christo fieri p. 317. Electio est etiam infantium p. 320. Electionem quare etiam meritum Christi ingrediatur p. 321. & fides p. 322. Meritum & fides pro diverso respectu Electionis causa, & effecta, ibid.

Emptio secundi & tertij articuli differunt. p. 533.

Ἐνοχλεῖν p. 466.

Epistolam ad Hebræos conversis esse scriptam probatur p. 638. 639.

Ἡμιοσοφία p. 478.

Esaus fuit in circumcisione renatus; excidit postea, & rursus insertus ac salvatus est p. 647.

Exhortationum finis à Crocio subvertitur pag. 447. Vindicatur ibid.

Fœdus Dei p. 92. est firmum ex parte Dei ibid. hominum officia in isto fœdere, ibid. Possunt excidere ex illo, ibid. Fœdus mortis Christi sive N. T. p. 93. Fœderis N. differentiæ p. 95 firmitas, claritas, latitudo. Sunt fœdera numero multa p. 97. Fœdus Adamiticum, Noachicum, Abrahamiticum, Davidicum, Mosaicum, novum in Christo pag. 97. Fœdus V. & N. excellunt, ibid. eorum differentiæ ibid. De novo, in quibus locis agatur p. 98. quod duplici robore est munitum, ibid. est firmatum Israeli & Judæ, spiritualiter captivo, omnibus hominibus p. 99. ad quod certo ordine pervenimus, ibid. complectitur duplicem æternitatem pag. 100. Quomodo dicatur inscriptum cordibus p. 100. 101. non absolutè, sed comparatè.

Vetus habuit aquè splendidas amoris Dei erga Israelem promissiones p. 102. Imo novo

*modo promittit Deus servantibus constantiam aternam, secâ recedentibus castigationes & pœnas p. 102. Vult illos recipere in gratiam, conversos p. 103. possunt renati ipso fœdere exidere p. 103. 104. sulbis Dei attributis: fœderales promissiones potest homo violare ibid. & p. 105. 110. Partes sunt in omni fœdere, illarum officia p. 108. Dei quæ hic sint ibid. & p. 109. & hominis p. 114. Fœderis natura & gratia differentiæ & ambiguitates p. 111. 112. Naturæ propriè nullum est p. 113. comparatur fœdus Dei conjugali fœderi p. 118. fœderis firmitas unde sit p. 294. 295. quid in eo Deus, quid homo præstet, ibid.*

*Fœderis interna & externa communio quæ Calvinianis p. 336. Omnes infantes circumcisios judaicos in V. T. & baptizatos in N. T. in æternum & internum Dei fœdus recipi probatur argumentis 9. p. 336. & seqq. In fœderatia genti qui sint & qui non sint p. 342. Judæi adulti tempore Christi plerique exciderant, quibus tamen aditus ad illud patebat, ibid. omne fœdus Christum includens ad vitam æternam dandam, initur p. 343. Hinc omnes, qui deserunt, gratiam & Christum abjciunt p. 343. 344. In aliquibus fœderibus esse quidam absque gratia N. T. possunt; scil. qui non credunt: Fœderales N. T. sunt in gratia, quando susceperunt, usque dum non rumpunt p. 344. In fœdere gratiæ fuit Cainus & Esaus pag. 345. Fœderatus Dei an ita agatur, ut Spiritum S. non exstinguere possit p. 435. Crocÿ argumenta contra universalitem fœderis ex parte Dei refelluntur p. 590. 591.*

*Fidei fundamentum quid sit. C. 7. differt ab ædificatione super illo ibid. Ejus certitudo est necessaria p. 4. Syncritas unde sit ibid. ejus constantia ibid. & p. 5. Fidei vox ut hic accipiatur pag. 22.*

*Fides est causa electionis p. 146. 322. quomodo sit praevisa p. 158. Fides non semel tantum datur p. 244. quare dicatur hypostasis & quo respectu p. 248. Fides formae justificati: est aeterna & in quibus p. 256. quomodo possit esse aeterna: quae fides sit futura in altera vita p. 257. Fidei & spei differentia p. 257. Fides abstractivè consideratur vel concretivè; idq; rursus in sese vel eventualiter, respectu subjecti: quomodo potest deficere p. 308. 309. Fides relativè sumta justificat, non ut est qualitas p. 322. formula loquendi de fide p. 323. Fides temporaria Crociana p. 518. probatur esse hypocritica p. 519. 520. Fiducia Christi Sohnio cum peccatis gravioribus potest consistere pag. 406. Fiducia Christi & desperatio non sunt immediatè oppositae p. 407.*

*Fidei desertio quomodo partialis p. 331. Fides potest minui ergo & tolli pag. 493. Fides si tolli nequit, nulli erunt apostatae ibid. Fides utrum actu an vero habitu sit in dormientibus pag. 507. Fides salvifica quid sit Crocio p. 518. ponit eam in actu & habitu p. 507. Num tantum habitualis sit infantibus p. 589. 590. Fides, quae deficit in apostatis, fuit salvifica l. 4. c. 1. quod demonstrationibus 7. è libri tertij demonstrationibus deductis confirmatur p. 526. & seqq. Fidei externa professio an Dei donum pag. 594. an Deus id jusserit infidelibus p. 594. Fidelem esse quid propriè sit; an includat finalem perseverantiam p. 528.*

*Filij Dei juxta praesentem justitiam, alij secundum praedestinationem p. 235 filij quales fuerint Judaei tempore Esaiae p. 363. Filij Crociani p. 366.*

*Fons vivus est Christus cum spiritu & donis pag. 163. 164. qui obstrui in nobis potest pag. 164. neq; id potentiae Christi est ignominiosum p. 166. Licet sit in sese immen-*

ſus, tamen in nos juxta menſuram fluit p. 167. non ab omnibus continenter bibitur p. 164. 167.

Friderici Comitis VVurtembergenſis teſtimonium, quo ſine ipſe & alij principes pro Calviniſtis Gallis interceſſerint. lit. E. 4. a.

Galatæ fuerunt renati & rurſus exciderunt p. 353.

Gallorum confeſſio quomodo approbata fuerit lit. E. 2. b.

Glorificationis ambiguitas evolvitur p. 192. glorificatio juſtorum in hac vita inchoatur p. 202.

Gratianus Imp. à Valente in exilium pulſos, revocat, ibid. D. 7. b.

Gratia Dei eſt cauſa electionis p. 141. 296. non confertur irreſiſtibiliter ib. datur omnibus ex intentione Dei p. 596. An detur impijs, SI credere velint p. 599. An ſit gratia duplex ſalutaris p. 602. Refutatur ibid. Gratia electionis & vocationis, ut differant p. 602. Gratia receptionis fidei non eſt electorum propria p. 602. 603. Gratia converſionis an ſit à Spiritu S. Aff. p. 635. an ſit ab omnipotentia Dei, Aff. ibid. An ſit abſoluta vel ordinata? Probatur poſterius p. 636. 3. An voluntati noſtræ neceſſitas à vocatione efficaci afferatur? p. 637. Gratia tam recipiendæ quam conſervandæ ſalutis eſt Deo p. 640. 625. De gratia irreſiſtibili p. 639. Guſtare Dei verbum & bonum Dei donum eſt habere fidem pag. 442. 443.

Haſſiæ Landgravius quodnam fœdus cum Helvetijs inierit & quale lit. B. 2. b.

Haſſiacorum diſtinctio inter opera carnalia & in carne vivere exploditur p. 497.

Helvetij nunquam in concordiam VVitebergenſem conſenſerunt lit. C. 3. b.

Hircani & Ariſtobuli diſſidium quomodo attraxerit Romanos; quæ vera fuerit cauſa ſubjugationis judæorum lit. D. 6.

Homines omnes peccarunt

pag. 6. creati sunt ad imaginem Dei. Adami secundi lapsi moribus & morti communicant pag. 7. & renati Christum imitantur, ibid.

Hymenæus & Alexander fide defecerunt p. 177. & seqq. & Philetus p. 426.

Hypocritæ Crociani quibus privilegijs gaudeant pag. 544. quo fine ipsis Deus verbum & sacramenta proponat p. 145.

Jacobi vox accipitur dupliciter p. 213.

Illuminatio per verbum non est citra fidem p. 442.

Imago Dei quid sit p 315. interne & externe ibid. Media quibus servari debebat, à Deo ordinata p. 316.

Incredulitas est damnationis terminus p. 318.

Infantes fide & infantes cognitione p. 360. Infantium est Electio & reprobatio p 320.

Joviniani Cæsaris adhortatio ad unitatem lit. E.

Ismael est salvatus & multi Ismaelitæ p. 530.

Israelitici regni destructi causa non est discordia externa, sed fiducia in viribus humanis; item idololatria & alia grandia peccata. lit D. 5. b.

Israel & Juda p. 99. Israel secundum spiritum habebant eandem promissiones: quare Israel sit rejectus p. 341.

Judaici regni ab Antiocho presti causa lit. D. 6.

Judæorum aliqui semper convertuntur p. 211. Magna adhuc eorum conversio speratur p. 212. probatur 5. argumentis; objectiones diluuntur p. 115. Rejectio Judæorum non fuit absoluta, nec omnium pag. 347. Defecerunt à Deo vivente p. 318. Judæi crediderunt Luc. 11. p. 424. relabuntur pag. 424.

Judas fuit verè Apostolus p. 173. & ex illis, qui dati erant Christo p. 173. verè credidit p. 147. quando factus sit diabolus ibid. fuit regeneratus p. 175. Fuit aquè, atq; reliqui undecim, Apostolus p. 175. Ex apostolatu per proditionem & suspensionem excidit p. 176. 179. Fuit di-

tus donis extraordinariis p. 180. & miraculis ibid. Judas ob peccatum est reprobatus pag. 341.

Justitia salûifica definitur p. 306. Crocius & Bertius eam corrumpunt. ibid. justitia inhaesiua non justificat p. 307. 309, hypocritica p. 510. justitia Crociana externæ disciplinæ profligatur p. 512. De justitia externa prophetæ non loquuntur p. 511. confundit forum soli & poli p. 519.

καταργηθῆναι p. 356. 357.

κλῆσις p. 179.

λῆθην p. 474.

Lex non expellit diabolum, nec id ejus est officium p. 463. leges & præcepta quo fine dentur p. 555.

Liber vitæ est Christus p. 246. Libri vitæ tres sunt p. 494. quid unusquisq; contineat ibid. quid sit deleri ex eo p. 495.

Licinij Imp. mores & odium in Christianos lit. D. 7. b.

Lucta spiritus & carnis Calviniana pagi 305.

Lutherus à Professoribus VVitebergam ex Pathmo revocatur lit. B. 2. sententiam veram de imaginibus proponit, ibid. Non inivit um Cinglianis amicitiam, sed ut vitaremus eos hortatus est lit. E. 3. quare lenius ad Helvetios scripserit. ibid. Liber de servo arbitrio non est retractatus pag. 627. illius scopus præcipuus ibid. quando scriptus pag. 628. sese defendit, quod non doceat Deum velle peccata p. 628. Ejus sententia de libertate in sublunaribus p. 626. vaticinatus est de Calvinianis, isto suo libro abusuris p. 630. 631.

Lutherani veteres non fuerunt absoluto decreto p. 264.

Lutherani & Calviniani in quibus in hac controversia pugnent p. 287. 288. Arminiani cum nostris non conveniunt, & quatenus p. 310.

Lutherani cum quibus hæreticis Calvinianos & quomodo conferri cẽseant p. 604. 605. non in omnibus concionibus

bus & electionibus in Calvinianos invehuntur: sed tempore, rebus & textibus urgentibus, cum zelo pio, eos ex verbo Dei refutant, ibid. Lutheranorum quorundam phrases explicantur p. 633. 634.

מאן significat reprobationem ob fastidium aut rem malam factam p. 340.

Macedoniani contentiosi Lit. E.

Mala similia sunt destructionem politiæ judaicæ & mundi præcessura p. 374. In manu Dei esse quid: protoplastorũ nostra quid differat. p.

Meritum Christi est causa electionis p. 143.

Μετεχειν spiritus p. 449. quotupliciter illud fiat p. 444.

Μιασμα p. 432. 467.

Μιαινω p. 467.

Martyres nostr. temporis non sunt Calviniani p. 616. in Belgio fuerunt multi Lutherani & homines bene credentes p. 617. sunt martyres illi plerig. pro veritate mortui p. 618. De martyribus Calvinianorum, qua Calvinianorum quid sentiendum ibid. Martyr vitam pro testimonio Christi ponit, miles pro patria p. 621.

Mors quæ intelligatur Ezech. 18. p. 353.

Mulier fidelis salvatur per generationem si manet in fide pag. 421.

Mundus respectu tentationis quid notet p. 187.

Natura in multis nobis manet incognita, sed nõ Theologia in articulis fidei p. 9.

Natum esse ex Deo quid sit p. 238. 603. 621.

Naufragi spirituales, moriuntur fide p. 197. quomodo quidam eorum liberentur. ib. Nicenus Canon de fide explicatur, lit. C. 7. a. Nicolaitæ pag. 428. Nicolaus fuit conversus & rursum defecit ibid. & 429. 430.

נאץ p. 403. 405.

Necessariũ axioma p. 437. Necessitas Calviniana hyperphysica p. 498. 557. est absoluta p. 557. Necessitas moralis, p. 556.

Obsignatio ex parte Dei firma,

firma pag. 220. quid sit, ibid. Possunt homines discarpere sigillum p. 221. David tempore lapsus non fuit obsignatus p. 224. quando fiat obsignatio p. 251.

Oecolampadius refutatur lit. C. 6. b.

Obsessi corporales pauci in Judæa: obsessi spirituali p. 425.

Oniæ & Jasonis quale fuerit dissidium lit. D. 6.

Oves Electæ p. 128. quando & Christum non audiunt ibid. & 185. simplex aberratio sæpe circum facit p. 129. oves audiens Christum & transgrediens p. 130. quando sint oves p. 131. sunt in triplici differentia p. 132. Aliæ sunt electæ, aliæ non electæ pag. 186. quomodo & quæ rapiantur p. 186.

Pax semper sequenda Theologo lit. B. sed in veritate fundata, non contra Dominum. Pacis fructus ib. Cum hæreticis pax colenda usq; ad aram ibid. spiritualis cum illis vigere nequit lit. E. 4. a. Pax sacramentaria qualis, ib.

Pax inita Vviteberga an. 1536. lit. Pax Calviniana fugienda D. 5. 2. Pacis medium est objectio errorum Calvinianorum sive troporum lit. D. b. Pax Spirensis an Calvinianos complectatur lit. E. 2.

Παιδοβαπτισμος p. 381.

Pacificatio Passaviensis excludit Calvinianos lit. E. 3.

Palmes est justus & quando p. 440. 541.

Palatinus Elector deficiens, quomodo pro socio Aa. C. sit habitus lit. E. 3.

Parcarum tabulis congruit absolutum decretum & Perseverantia p. 596.

Paulus potuit reprobus fieri p. 453. & quomodo p. 455.

Peccatum unde pag. 6. regnantia à non renatis committuntur, ut cædes, adulteria &c. pag. 55. Est tantum renati peccatum, quantum non renati ibid. 57. 60. Peccare recalcitrante conscientia p. 58. peccato studere quid p. 239. Peccatum potest abstrahere à Christo; & quomodo pag. 311. ingens incrementum

capere p. 326. Peccatorum remissio potest irritari p. 450. 455. utrũ impÿs remitti nõ debeant p. 551. Peccatum in Sp. S. non remittitur p. 553.

Pectus vomitu purgatum rursus potest inquinari p. 535

De perseverantiæ statu controversiæ p. 11. & seqq. & p. 22. Quid perseverantia sit Calvinianis p. 17. quæ vera perseverantiæ definitione non gaudet p. 18. 19. 20. Quid sit scripturæ & nobis p. 18. Est tantum in hominibus in hac vita: non in Deo, angelis, hominibus triumphãtibus p. 20. Perseverantiæ objecta, ibid. Est duplex: altera temporalis, altera finalis pag. 21. Perseverare debent sancti p. 23: quod probatur. Possunt perseverare & quomodo p. 24. Soli qui perseverant, salvantur p. ib. Perseverantia est donum Dei p. 24. 25. Perseverantia non est absoluta & irresistibilis Dei virtus p. 25. 19. Quomodo & quando renatus sit certus & perseveret p. 32. In alÿs est ferè immotè certa, in alÿs conditionaliter ibid. quibus causis superstruatur p. 33. & seqq. Perseverantiæ Calviniana fundamenta & baseis examinantur p. 37. Quomodo possit esse effectum prædestinationis p. 50. Argumenta consolatoria, à Perseverantiâ petita, magnifacimus p. 50. Renatorum & angelorum perseverantia differt p. 161. Perseverantiæ nostræ doctrina non est conscientÿs onerosa, sed Calviniana p. 169. Perseverantiæ irresistibilis & fatalis absurditates p. 549. & seqq. negat veras virtutes p. 550. Facit nullam superesse posse apostasiam; tollit discrimen actionum moralium & legem Dei; ib. & p. 551. Perseverantiæ Protestantium, Pontificiæ & Calviniana IX differentiæ recitantur p. 622. 623. 624. discriminatur nostra etiam à Photiniana p. 624.

Penitus p. 183. 185. p. 210.

Pœnæ damnatorum: quid illis addat duratio æterna p. 522.

Pœnitentia quid? & ejus partes,

partes lit. b. & fructus ibid. Petri lapsus gravis 421. Christus pro eo rogavit & quomodo p. 44. Qua infirmitate sit lapsus p. 421.

Propositū Dei nō est absolutū p. 156. & quid sit ib. & p. 200

προσκαιροι illi Luc. 8. & Matt. 13. probantur habuisse veram fidē p. 468. 469. 475.

Protoplasti gratia exciderunt p. 390. non fuit in illis timor Dei, sed planè exciderunt p. 392. magnitudo peccati eorum ib. Consequentia ab illorum lapsu ad renatorum possibilitatem demonstratur p. 391. In gratiam recepti non denuò exciderunt p. 394.

Προσεχεσι p. 369.

Regeneratio est totius hominis, non verò renovatio p. 66. 525. an in duobus consistat & quomodo p. 524.

Renovari rursus ad fidem præsupponit antea veram habuisse fidem p. 445.

Reprobare quid sit: quomodo fiat p. 340. Reprobi qua bona possideant, juxta Calvinianos p. 593. & quo fine, ib. Refutantur. Reprobationis causa quæ sit & ubiquærenda p. 636. 637.

Romani Imperij dilacerati causa p. D. 6. Romani credētes possunt frangi p. 480. 481.

Sacramentarij primi qui fuerint lit. C. 23. Sacramēta quid sint Calvinianis lit. P. 7. Sacramentorum V. & N. T. differentia lit. C. 6. Sunt testes & sigilla salutis p. 33. Regenerāt aut cōfirmant nos ib.

Salis naturæ quare tam docentes quam discentes conferantur p. 365. 362. potest infatuari p. ibid.

Salomo fuit regenitus p. 409. totaliter est lapsus à fide p. 410 ipse coluit idola & cultum idololatricum instituit p. 411. Qua in re dispar Davidi fuerit ib. & p. 420. Patres eum damnant p. 410. 412. mixtura ejus in cultu ib. Quid ipsi promittatur 2. Sam. 7. ibid. ædificat templum p. 416. fuit castigatus, sed non resipuit ib. Non habuit regnum æternū: quomodo ei tamen sit continuatū & quandiu ib. & p. 417.

Argu-

Argumenta quibus eum salvat Crocius examinantur, ib. Salus ejus Deo committitur p. 421. fuit typus Christi pag. 418. Vaticinatus est & scripsit libros Canonicos, ibid. 419. Quantitas peccatorum ejus pag 461. Dona Dei ipsi prius collata cum sapientiæ magna diminutione rursus eripuntur p. 463. Salutis certitudo quotuplex p. 632. est absoluta vel ordinata, à priore vel posteriore p. Constitui potest quadruplex respectu objectorum p. 290. Certitudo sanctorum non est absoluta & planè immota, qualis est triumphantium p. 292. 292. Conditionata certitudo etiam certa esse potest p. 294.

Samosatenus lit. C. 2. b.

Sancti qui dicantur Crocio p. 16. qui nobis ibid. Possunt fidem & bonam conscientiam amittere p. 26. habent testimonium spiritus internum p. 30. unde istud norint, ibid. in tentationibus quandoq; cum dubitatione & desperatione luctantur, non extra eas p. 31. Nituntur certo testium salutis ordine, ibid. & pag. 36. Possunt excidere gratia & fide p. ib. Possunt esse certi à priore ob 4. universales causas: à posteriori 6. multis effectis fidei & signis p. 34. quibus in rebus latis juxtà ac tristibus sese consolabuntur: itè aliis argumētis p. 34. 135. Quanta sit ista certitudo p. 36. Sanctorum ἀγωνία p. 41. sancti habent serium perseverandi propositum & studium p. 51. non tamen semper ibid. & p. 52. 53.

Sanctorum duo sunt genera: quidam stant, quidam non stant: quorum alij rursus agunt pœnitentiam, alij minimè, pag. 54. sanctorum peccata non minora sunt peccata, quam incredulorum p. 55. 57. 60. quandoq; ex malitia peccant p. 58. & recalcitrante conscientia p. 58. 68. & seqq. Comparantur arbori bonæ p. 76. Deus eos labentes in res adversas erigit p. 83. Non semper recedentes à fide ex omnibus grandibus peccatis liberat; & quando p. 85. Conser-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0761
DFG

feriuntur monti inconcusso p. 88. Sunt in fœdere Dei p. 92. & seqq. Conferũtur urbi fundatæ supra petram p. 127. debent semper edere & bibere Christum p. 168. 169. Non sunt semper aut omnes constantes in officio p. 168. Sunt in vite & vinea Dei p. 172. Non debent hic degentes perfectionẽ eorum habere, qui sunt in patria p. 182. Possunt seduci ex manu Dei, licet nõ rapi p. 187. 189. abjicere spem p. 193. fieri naufragi p. 195. Quibus argumẽtis eos Apostolus ad perseverantiam Rom. 8. hortetur p. 197. & seqq. Confirmantur ex parte Dei, immutabili voluntate, quamvis ordinata: hinc excidere refractarij possunt p. 219. Obsignantur p. 220 Non irresistibiliter & absolutè defenditur p. 226. Promissio Dei non in omnibus manet p. 235. Non omnes manent in Deo p. 237. Non semper precantur, sed quandoq; torpescunt p. 247. 251. Sancti utrũ, in sese considerati, demũ excidere possint p. 311 sancti prædestinati quomodo perdurent, ib. possunt sese avertere à sua justitia p. 345. Excidere à gratia 355. reddi sal insulsum p. 363. à propriâ excidere stabilitate p. 370. adversari Deum fide cognitum p. 371. transgredi & non manere in doctrina Christi p. 372. refrigescere p. 373. Excidere p. 375. Coronam eorum alius accipere p. 376. exstinguere spiritũ ib. Naufragi fieri p. 377. abijcere fiduciam p. 382. Carni desinere p. 387. subducere se ex fide p. 386. abnegare Dominum p. 387. reddi scoria p. 388. Lapsi võ retinent initia fidei p. 405. possunt fieri reprobi p. 439. ejici, comburi, ib. peccatare in Sp. S. p. 441. habere radicem πικρίας, quæ suppullulare potest: transfigi divitijs p. 476. Ut Eva seduci p. 478. frangi per incredulitatem p. 479. Habent duo principia agendi p. 496. Deliberant & sancto timore soliciti sunt de perseverantia & exercitijs justitiæ p. 449 Possunt ut sus & canis rursus inquinari p. 535. Præcepta quæ

ubi servanda sint pag. 549.
Sanctitas Adami & in Christo instaurata ut differant p. 85 Sardicensis Synodus lit. E.
Scriptura rem eandem modo distributivè modo collectivè considerat p. 552. Scriptura in quibus sit obscura p. 584. Semen Dei quid sit, potest tolli à sanctis p. 238. Semen fidei non manet in lapsis p. 405. 488. quomodo sit incorruptum p. 487.
Sessio ad dexteram Dei quid sit p. lit. C. 3. b.
Simon Magus verè credidit, p. 414. Socij Pauli quidam amiserunt fidem p. 470.
Spes non abjecta servat p. 193 potest abijci cum Christo p. 194. non consistit cum grandibus peccatis p. 246. quando non pudefaciat p. 250.
Spiritus quid hîc notet p. 22. ejus excussio quid sit, ib. officium in sanctis p. 24. Extinctio p. 377. Spiritus ubi est instar animæ est negotiosus p. 535. Suis locis p. 535. Studium in re margarita non sint projiciendæ p. 537.
Suscitari ad vitam æternam & temporaliter deficere non sunt contradictoria p. 193.
Τελεσφορεῖν p. 475.
Templum duplex ædificandum prædicitur 2. Sam. 7. p. 415.
Terminus vitæ an possit mutari; & quomodo p. 490.
Tetrapolitani lit. D. a. & b. quando demum in fœdus admissi sint, lit. E. 2. b.
Theodosij cura & vigilantia lit. D. 8. & E.
Thomas verè credidit, factus est incredulus p. 423.
Timor Dei quid sit p. 105. quousq; maneat in credentibus p. 106. Timor omnis justus est de re possibili p. 631.
Tristare Sp. S. quid sit & quantum peccatum p. 224. Tristatio non in omnibus est perpetua p. 221. Triticum & zizania qui sint p. 566.
Tropi quantum nocere possint: obstant fraternitati Calviniana lit. D. 6. b.
Ubiquitatis voce decipiũt Calviniani lit. C. quid nobis lit. C. 2. De sola ubiquitate non contenditur in articulo &c.

de persona Christi ibidem.
Verbum non regenerat incorruptibiles p. 227. & quare ib. est in se incorruptibile p. 243. non generat incorruptibilem effectum si proijcias, ib. Ut manserit verbum in Davide lapso p. 405. dupliciter ib. Quomodo convertat impios, ibid. Est conversionis medium: Verbum, Deus, sacramenta sunt causæ conversionis conjungendæ p. 38. Verbum juxta Calvinianos non potest impijs esse medium conversionis, imò nè quidem pijs p. 39. Verbum Dei prædicatum est unum & idem in sese respectu efficaciæ, p. 318. 319. Verba Actiua quandoq; pœnitentiam designant p. 155. Verbum & sacramenta non nisi ad salutem dantur p. 596. Voluisse Deum ea omnibus dare probatur p. 596. Verbum quale sit verbum juxta Calvinianos p. 598. non est idem electis & reprobis p. 599. Refutantur à Britannis. Verbũ stabilius cui cõparetur 1. Pet. 1. 19. p. 627. 628. Virtutes veræ in quibus reperiantur p. 550. In vite & vinea esse differũt, p. 172. Unctio Dei quid; uncti Christiani p. 236. querũ multi nunc igne infernali unguntur p. 237. Unio personalis lit. C. 2 3. Vocatio extraordinaria & illustris & ordinaria: qui illa, qui hac vocentur, p. 639. Vocatio efficax Calviniana refutatur p. 42. 77. Internam & externam quo respectu nostri quidam agnoscant p. 203. Calviniana ista distinctiò refutatur, p. 217. Immediatè vocati non errãt p. 231. Deus vocat efficaciter p. 638. Vocatio ad justificationem præsentem externam, & ad electionem exploditur, ibid. Vocati justificati & vocati electi differunt p. 317.


Voluntas Dei quomodo sit causa Electionis p. 142. Crocius propugnat absolutam p. 153. nos ordinatam esse evincimus ibid. 157. 158.

ZVinglius parturit novum dogma de cœna lit. B. 2. b & quando ib. scribit contra Lutherum ib. revocat suos errores ibid. & B. 3. eosdem reservet, ibid.


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0765
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0766
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0767
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727121472/phys_0768
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0769
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727121472/phys_0770
DFG

Ea Lucas non præterit, ibid. Fidei in cœna quare nulla fiat mentio, 531. Fidei in cœna quare nulla fiat mentio, 541.

Communicatio spiritualis fuit, etiam in V. T. 348. Communicatio est duplex 352. In cœna duplex 354.

Confessionalia scripta an ab alijs differre debeãt p. 62. Confessiones in. Harum quales, 52.

Christi præsentia regiminis in mundo, p. 20. Ejus regnum est divinum, 21. & bonos ibid. juxta Deitatem non mutatur, 34. Ejus corpus Calvinianis est signũ corporis, 437. Panisragium non mandabit 314. Ejus persona & νοιτοvia potest separari p. 531, 355.

Crucij admiratio p. 3. Accusat Prussos, 7. Habet nos pro fratibus & Aæ C. socijs; quomodo, 17. Dissentit ab alijs p. 48. Sententia de judicio Dei, 77. permissione, 78. & directione Dei, 89. contradicit Martyri, 109. Traducit Gerh.

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
mm Inch

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727121472/phys_0771
DFG